EXTEMPORALIVM
RHETORICORVM
PARS ORATORIA
complectens
PRÆFATIONES, ET GRATIAS
ad diſputandum de quaque Scientia
Ad Laureas Doctorales
ad alia quædam publica munia
Quibus accedunt
Dedicandarum Theſium, aliorumque Operum
FORMVLÆ
Editio altera multò locupletior

AVCTORE

OCTAVIO BOLDONIO
MEDIOLANENSI

Ex Clericis Reg. Barnabitis Epiſcopo Theanenſi.
Ad usum R. P. Bonav.re de Sirano.

1728.

ROMÆ, Ex Typographia Vareſij. MDCLXXIV.

SVPERIORVM PERMISSV.

Pertinet ad Bibliothecam S. M.ae de Monte Carmelo Terræ S. Antimi


TIBI
FRANCISCE-MARIA VICTORIE,
Patricio Florentino
In Rom. Curia VIS. Referendario
Magni illius Musarum Præsidis
PETRI VICTORII
masculina serie Atnepoti
hæredíq. uirtutis ex asse:
PRAEFATIONES. MEAS. RECVSAS
Quibus
ad literarias pugnas. classicum recino
ut et præcinam pugnaturis
VICTORIAS.
Voues D.co
Octauius Boldonius Mediolanensis
Episcopus Theanensis
et Sanctissimi D.N. Præsul Assistens
MDCLXXIV

Imprimatur, si videbitur Reuerendiss. P. Mag. Sac. Pal. Apost.

I. de Ang. Archiep. Vrb. Vicesg.

EX Commissione Reuerendissimi P. Raymundi Capisucci S. P. A. M. summa animi iucunditate perlegi Volumen inscriptum *Extemporalium Rhetoricorum Pars Oratoria, &c.* Auctore Illustrissimo, & Reuerendissimo D. Octauio Boldonio Mediolanensi ex Clericis Regularibus Barnabitis Episcopo Theaneñ. Opus sanè peregregium à Sacra Doctrina morumuè integritate nullatenùs dissonum, miro ingenij acumine elaboratum, Orationis elegantia suo Auctore dignissimum; qui Octauum eloquentiæ gradum, summumque dicendi, & docendi apicem consecutus, in Vniuersam litteratorum Rempublicam, totumque litterarium Orbem, alter Octauius iure ac merito sibi adsciuit Imperium. Opus ergò publica luce dignissimum censeo. Romæ die x. Mensis Iulij 1670.

Thomas de Aquino Episcopus Suess.

Imprimatur,

Fr. Raymundus Capisuccus Ord. Præd. Sac. Pal. Apost. Mag.

PRAEFATIONVM FORMVLÆ CVM GRATIIS.

SCIENTIA GENERATIM.

HIstoriographorum, seu (aptiùs) Philosophantium scripto Princeps Moyses, cuius nec apex vnus oraculo vacat, nec comma mysterio; cùm omnibus vbique rapit legentibus oculos, tùm mihi beat mentem in ipso scribendi limine, vbi habet: *Tenebræ erant super faciem abyssi*. Quæ vero istæ tenebræ? quæ abyssi facies? Auditores. Vestrum ea deposcunt ingenium; vt altè mergatur. An quòd abyssus sapientiæ prædicatur in Scholis Thomas ille Aquinas: Tenebras autem reddit Græco sermone *Scotos*: impugnandum aliquando in multis à Scoto Thomam præsensit, passurumque obijci sibi pugnantium argumentorum tenebras, qui pectore præferret Solem; vt ideò quod in Sole recentium sæculorum exhibendum foret, adumbrauerit Moyses descripto Mundi crepusculo? Ingeniosè id quidem ad elegantiam non magis, quàm ad exemplum. Verumtamen exesto hinc procul vel contumeliæ suspicio in Scotum, vel defectionis in Thomam. Quantùm ille castus in cœptis, tantumdem hic sapiens in sententijs. Nec Scotum profectò liuor corrupit, nec inscitia Thomam notauit. Philosophi nomen vterque meritus, idest Sapientiæ amore punctus. Ità quam Thomas ætate præcurrens facilè occupauerat, eam successor Scotus æmulatus fuit, vt probaret quidem certè, non vt dilueret; redderetque per offusas ipsas tenebras clariorem. Nequidquam enim mentionem lucis subiungit Scriptor, cùm proximè ait: *Dixit verò Deus: fiat lux; & facta est lux*. Significantiùs ex Græco: γενηθήτω φῶς καὶ ἐγένετο φῶς, *nascatur lux, & nata est lux*: quasi vt ex cœcà obiectucnum abysso, hoc est altercatione acerrimà summorum ingeniorum, in vmbraculo sapientium opacissimo lux sapientiæ enata crederetur, vtque inter obtentam caliginem claresceret purior natiuus veritatis fulgor. Planè est, Auditores. Noctescere antè quidem oportet, quàm diescat; tantùmque abest, vt inimicam diei noctem probes, quin parentem potiùs amantissimam fateare, necesse est, nec alias nascentis lucis cunas, quàm tenebras ipsas agnoscas. Quare nec Thomæ aduersarium Scotum quis dicat, etsi sæpè ac sæpiùs prouocantem, sed potiùs fœderatum;

nec eius insidiari gloriæ, sed fœtibus Angelicis peramanter obstetricari? O vero præclaram Sapientiæ nuncupationem symbolo lucis præstrictam. Cæcutiunt (quis non videt?) sine luce Mortales: sine sapientiæ face quàm fœdo cæcitatis laborant vitio? Sublata luce tollitur rebus cum colore species: Desipiat mens, quid illa vnquam speciosum efferat? Lucem si subtrahas diei, diem ipsum inuoluis: Destruis hominem, si subtrahas illi sapientiam. Ad summam *Deus lux est* teste Ioanne, Aquila illa cælesti: Illabatur homini sapientia, Diuinitatis hic protinùs rutilat radijs. En lucem igitur vobis, Mortales, qui caretis, suspirandam; qui despicitis, flendam; qui tenetis, longè præ omnibus fortunæ bonis gloriandam. An vllis parcendum laboribus, vt summam hanc humanæ in terris felicitatis assequamini? Est planè, est adnitendum vobis omni ope, insudandum, anhelandum. Non exhorrendæ confutationum vmbræ, non refugiendæ disputationum tenebræ: Prorsus inuehendum in diem perspectissimæ veritatis, quo fias ipse perspicacior: Audendum contra clarissima quæque ingenia, quò clarior tibi splendeat sapientia multo cum reflexu tàm in illa gloriæ, quàm in te commodi. Sic fiet, vt obtinentibus tenebris abyssi faciem, oboriatur incunctanter lux: Impugnante Thomam Scoto, illucescat amplius, illius diuinum acumen, huius cælestis soliditas, faciatque demum in literatorum Theatris admirandum vtrinsque gloria incrementum.

GRATIÆ.

SI tenebræ lucem exerunt; clarissimæ profectò erga me vestræ humanitati, Auditores, noctis conticinium diurno murmure, silentium videlicet gratum exaggerata quaque prædicatione luculentius existet.

SCIENTIA GENERATIM.

PErditam à Platone in argumento futili operam aliquis fortasse vestrum opinetur, (Ornatissime Audientium consessus) quòd in ijs ibris, in quibus maximè cœlestis ingenij acumen intendit, vt vera felicitate humanum genus impertiri possit, nihil ille moliatur accuratiùs, quàm vt Iustitiæ laudes Orbi Terrarum probans omnem Iniustitiæ commendationem excludat. Quis enim hebetis adeò, ac torpentis sit ingenij, vt patiatur tot machinas sibi adhiberi, quò Iustitiam optimam virtutum, Iniustitiam pessimum scelerum esse sibi persuadeat? Id ipsum video

iure optimo mihi obijci posse; plerosque existimaturos, quod scientiarum cultum commendandum in defensione Philosophicarum (*vel Theologicarum, vel &c.*) assertionum susceperim: quasi verò quispiam sit inter mortales adeò stolidus, ac stupens, qui vel ipse naturâ scire non cupiat, vel scientias in alijs non veneretur. Sed ita est profectò. Nec vllum Platonis tempestate magis necessarium, aut peregrinum argumentum quæri poterat, quàm Iustitiæ laus, nec mihi hoc tempore quicquam magis dubium ad disputandum, quàm commendatio disciplinarum: Nam & ille in ea tempora inciderat, quibus per omnes Græciæ Ciuitates Tyrannorum impotens dominatus furebat; atque adeò familiare erat Patriam opprimere; vt, cùm fortissimus, ac generosissimus quisque ad hoc animum extolleret, laudibus summis tales ausus celebrarentur: quibus rebus accedebat Sophistarum captiosum genus, qui assentationis studio fœda scelera felicitatis, ac virtutis specie in Cælum tollebant, & nostram etiam assertionem illud sæculum excepit, quo apud plerosque, & eos quidem opinione prudentiæ celeberrimos illa sententia inualuit; Non esse necessarium in Republica scientiarum cultum; imò verò perniciosum humanæ societati, ac inimicum; quod publicæ administrationis disciplina vsu quodam, & prudentia potiùs, quàm contemplatione perficiatur. Anteà timor, & veneratio quædam inertiæ prætendebatur. Fingebamus ad tantæ Deæ aspectum nos in ipso adyto sacro quodam horrore perfundi. Accusabamus Naturæ genitricis malignitatem, quòd deteriora mortalium ingenia hac extrema ætate tanquàm effœta Parens reddiderit, & angustioribus finibus humanæ mentis facultatem circumscripserit. Quis enim ampliùs auream Homeri tubam æquali spiritu impleuit? Quis non ad Hesiodi, Sophoclisque impetum elanguit? Quis robustum Demosthenis enthymema contorsit? Nonnè eos vt primogenitos filios omnibus diuitijs suis Natura locupletauit, & ex asse heredes instituit? Aspicite maiorem Natura Platonem, & æqualem Naturæ Aristotelem. Nonne in illis omnis sapientiæ scatebras constitutas videmus, vt inde humanum genus decuctis riuulis disciplinas potaret? At herclè post istos, atque istis æquales vterum clausisse communis parens visa est, vt disciplinas simul genuisse; & ad iustum ætatis robur perduxisse credi possit. Quid, quod posterioribus sæculis eos dedit, qui, vt illis minores essent, omnibus tamen ijs, qui eos sunt consecuti, in hoc, maiores fuerunt, quòd simillimi fuerunt Priscis, à quibus nos toto Cælo aberrauimus? Quis

enim in Homero Virgilium attigit, aut in Demosthene Ciceronem? Vt magna suspicio rudibus ingenijs ingeri potuerit, Priscorum animas in eos transiisse, cùm fere ijsdem verbis, eodem fere ore sint locuti? Hæc quondam prætendebantur, vt magna aliqua virtute, nimirum pudore inertiam tegeremus. Nunc verò excussimus pudorem, atrocique ore è Barbara Philosophia præceptum excogitauimus, minimè conducere humanæ societati literaturam. Nondum, inquiunt, Græcæ disciplinæ in Latium delicatioribus artibus iter fecerant, quùm Quinctij, Flaminijque eos Imperatores Romanis dederant, quibus possent Alexandrum non modo Orbe toto, sed Aristotele suo subnixum armati contemnere. Nondum Carthago literarum hereditatem, quas Phœnices Patres sui Græcis dederant, adire potuerat, cùm deuicta Aphrica ad Orbis victoriam anhelabat. Nec Cæsarem Anticatones sui; sed gladius, hastaque orbis terrarum ceruicibus grauem effecere. Quis Claudio Cæsare Latinè, Græcèque doctior, quis eodem ignauior, cuius humeris cùm Mundus inniteretur, nonne dicere possumus pensilem extitisse? Plena sub degeneri Imperatorum serie adhuc Philosophia sua Græcia erat, cùm eam Turcæ Scythicum genus omnium literarum ignarum sub iugum misit; duratque Imperium illud ferreis compagibus stabilitum, & inter prima Imperij stabilimenta illa lex est, quæ omnes exulare iubet disciplinas: Ipsa verò administratio publicarum rerum, & ciuilis prudentia, in quam partem maximè Philosophia se intrudit, & Philosophiæ administra Eloquentia, quanto exactiùs naturali meditatione, & inueterato rerum magnarum vsu, quàm commentariorum vmbratili lectione, aut inutili disceptatione perficitur? Nusquàm plus disciplinarum, nusquàm plus facundiæ, quàm apud Atticas Athenas; nusquàm tamen peiora consilia, nusquàm æquè corruptus Relpublicæ status, nusquàm magis distracti ciuitatis ordines, quàm apud illum sapientia turgidum populum extitere. Contrà verò Scythicam gentem in omnibus literis, omni eruditione expertem, non scriptæ, sed consensu quodam stabilitæ leges in perpetua libertate, latissimoque imperio continent, nec vlla vnquam vllorum Populorum arma eorum Rempublicam perturbauere. Nulli à literis in Græcia magis abhorrentes, quàm Ætholi, quis tamen maioribus consilijs ad Græciam subigendam inhiauit? Et Romanam Rempublicam ea tantùm tempora perdidere, quæ disciplinarum cultu, ac eloquentiæ splendore in primis scatebant. Habent eorum, qui in literis consenuere, consilia scholasticum quen-

dam odorem, & facilè versatæ aulicis negotijs calliditati fiunt obnoxia. Hæc est illorum Philosophia ex media Scythia, opinor, eruta, quæque facili negocio rudes hominum, hoc est illis similes pertrahere in suam sectam posset; neque promptum est dicere, quàm immanes radices egerit in impotentes animos peruersa dominandi libidine agitatos. Vos autem, Auditores, simulacra prudentiæ spirantissima, quorum à consilijs pendet Respublica, eruditur iuuentus, confirmantur viri, recreantur senes, vestra certe auctoritate perquàm luculenter diluitis istorum capitum exitiale humano generi placitum: sed & quantùm deterretis exemplo ipsi vestro perduelles scientiarum, tantum mihi ingeritis animum ad eas non modo toto pectore excolendas, sed etiam totis ingenij, & laterum viribus instituti hodie disputatione propugnandas.

GRATIÆ.

QVòd Rhetoricam (*vel logicam, vel Philosophiam, vel &c.*) defendente me impugnaueritis, Acutissimi ingenio Iuuenes, induistis personam Patroni, vt ficto spectaculo prælij, reportandæ ex vero victoriæ viam commonstraretis. Ego tamen ab hoc ficto prælio verè victus recedo, animique mei æternùm grati palmam offero vobis victoribus.

SCIENTIA GENERATIM.

VIrtutis nobilem fœtum logicam (*Vel Physicam, vel &c.*) publicatis thesibus defensurus cogor diem repetundarum fortunæ dicere, quæ in prouectu Romanæ gloriæ ausa fuit sibi primas vsurpare, quæ cedunt virtuti. Audio quidem Florum, qui Populum Romanum ambiguo donans Elogio, *Tot*, inquit, *laboribus, periculisque iactatus est, vt ad constituendum eius Imperium contendisse Virtus, & Fortuna viderentur*. Et quantùm ambiguus Florus, tantùm certus Plutarchus, testis dicam, an aduersarius? Quòd in Vrbe Templa surgerent plura Fortunæ, quam aliorum Numinum, infert ille hinc proinde quasi indubitatum, Romanos Ciues amplificationem Imperij, victorias, triumphos accepta Fortunæ potissimùm retulisse. Sed & Titus Liuius valdè suspectus. Perraró enim inducit quemquam Romanorum de Virtute dicentem, quin comitem Fortunam adiungat. Ego vero sic statuo, Viri sapientissimi; nec veritate, nec Romanorum existimatione salua id posse sustineri; iure vt memoratos scriptores, etsi illos primæ notæ, in suspicionem adduxerim. Quæ

porrò

porrò laus Romanis ſupererit ex tot, tantiſque triumphis, ſi Fortunæ totam dederimus? Si nihil illorum fortitudini, nihil prudentiæ, nihil laboribus permittemus, omnia in vnum refundentes caſum, omnia temeritati cæci Numinis tribuentes? Nam cùm Reſpublica nulla progreſſus habuerit Romanæ pares, conſequens illud eſt, vt neque vlla extiterit Reſpublica conſilio pari conſtituta, nataque amplificando in immenſum pomærio. Quis neget ſtrenuitate exercituum peperiſſe ſibi Imperium Romanos? Ordine verò procedendi, & ratione ſibi peculiari, atque à primo legislatore tradita Imperium partum conſeruaſſe? At, inquies, bella duo duriſſima nunquam commiſiſſe Fortunæ fuit Populi Romani, non Virtutis. Neque enim fuit ipſi bellum aduerſus Latinos, niſi vbi Samnites non tam cecidit, quàm ad illorum præſidium bellum contulit. Etruſcos nequaquam inuaſit, niſi ſubiugatis Latinis, & per iteratas clades Samnitibus propè eneruatis. Quod ſi bina ex his Regna, iam tum recentia, totis conſpirauiſſent neruis, atque opibus, promptum vtique foret coniectare, Romanæ Reipublicæ ſubſecuturum excidium fuiſſe. Vtcunque res habita, nunquam id factum eſt, vt difficillima duo bella vno ſimul tempore gererent; quin ſemper aut vno oborto reſtingui alterum viſum eſt, aut vno reſtincto alterum oboriri. Probat hoc ipſum ſatis geſtorum per eos ordo bellorum. Etenim, vt illa taceam, quæ ante occupatam per Gallos Vrbem commiſerant, liquet profecto, dum acie contenderent cum Equis, & Volſcis, nunquam aliarum gentium, quamdiu hi virium potentes eſſent, iniuriam Martialem perpeſſos. His ergo edomitis itum eſt ad arma contra Samnites. Quòd etſi nondum abſoluto bello defecerint à Romanis Latini, in ea tamen defectione fœderati conuenerant cum Romanis Samnites, ſuiſque copijs ad comprimendam Latinorum ferociam iuuerunt: qua compreſſa reuixit bellum Samnitum. Sed & horum viribus frequenti clade contritis motum eſt in Etruſcos. Hoc incendio reſtincto rurſum rebellare Samnites ex Pyrrhi in Italiam aduentu. Sed eo repulſo, atque in Græciam retruſo prima in Carthaginienſes illata ſigna: nec ea prius relata, quàm Galli vniuerſi vltra citraque Alpes aduerſus Romanos coniurarent infortunato ſucceſſu. Hoc bello confecto ſenſere Martem per annos viginti mitiorem, exerciti Liguribus, reliquijſque Gallorum apud Ciſalpinos. Id ad ſecundum cum Carthaginienſibus bellum pertinuit, quo bello ad annum ſextum decimum Italia laborauit. Huic maxima cum gloria terminato ſucceſſit Macedonicum, Macedonico Aſiaticum,

cùm, atque in Antiochum. Cui quidem victoriæ nemo vnus superfuit in Orbe Princeps, aut Respublica; cui vel singulatim vel etiam gregatim liceret Romanas vires lacessere. Sed ante postremam illam victoriam si quis ordinem bellorum aduertat, simul & administrandi rationem; suspiciet inibi permixtam cum Fortuna Virtutem quandam ac prudentiam singularem. Atque adeo si quis eius Fortunæ causam inuestiget, ipsam facilè comperiet extitisse Virtutem. Da Principem, Da Populum eò potentiæ progressum, vt illum finitimus quisque Princeps, ac Populus adoriri dubitet, vt reformidet: quis neget fore, vt nemo illorum quisquam nisi planè coactus adoriatur? Itaque liberum penè fuerit præpotenti, quem volet ex finitimis, bello præmere, ac cæteros industria sua componere. Et hi quidem cùm potentia adducti, tùm artibus, quibus ille auertendis alijs habet paratas, ex facili componuntur. Qui verò procul distant potentes, neque commercium cum eo exercent, rem curant vti longinquam, minusque ad se se pertinentem. Quo in errore eò vsque versantur, quò propiùs accedat incendium. In accessu autem præsidium nullum promptum est, nisi ex proprijs viribus, sed ijs imparibus, hoste potentissimo iam effecto. Mitto hic dicere, quemadmodum Samnites victorem Volscorum Populum Romanum spectauerint. Ac, ne sim nimius, de Carthaginiensibus meminero, quibus magna & potentia, & existimatio erat, cùm Etruscos atque Samnites Romani bello vexarent. Iam enim Aphricam totam obtinebant: Sardiniam, Siciliam, Hispaniarum partem occupauerant. Hac ergo potentia cùm essent, simul & procul dissiti à Populo Romano, quid mirum, si nec aggredi ipsum succurrerit vnquam animo, nec ferre Samnitibus atque Etruscis subsidia? Quin egerint, vt solet rebus increscentibus, hoc est ab ipso stantes, fœdus cum ipso curantes, atque amicitiam. Neque priùs admoniti sunt erroris, quàm populis cunctis medijs inter ipsos & Carthaginienses edomitis Romani de Imperio Siciliæ ac Hispaniarum dimicarent. Hoc ipsum Gallis, quod & Carthaginiensibus fatum: nec aliud Philippo Macedoni, nec aliud Antiocho. Persuaserat enim sibi quisque (quamdiù alterius armis Romanus distineretur) fore alterius illius victoriam, sibique demum vel pace, vel bello defendendi locum maturè relinquendum. Quæ cum ita sint, arguo ipse perspicuè, qua vsi sunt fortuna Romani hac in parte, vsurum iuxtà quemque alium Principem qui Romanorum viam, rationemque tenuisset; eàdem, qua illi, virtute pollens, ijsdem opibus,

bus. Quam multa in hanc rem succurrunt Romanæ virtutis digna omnis posteritatis miraculo documenta? Verùm nec mihi Annales nec Panegyricum condere mens est, aut suppetit locus. Vnum attingam fortè infimum præ cæteris, sed leonis proceritas immanis ex vngue coniectabitur. Studebant Romani in id potissimè, vt nouis in prouincijs amicum semper pararent, per quem ad eas obtinendas fieret gradus, ad conseruandas præsidium. Sic cernimus per Capuanos in Samnium inuasisse, per Camertinos in Etruriam, per Mamertinos in Siciliam, per Saguntinos in Hispanias, per Massinissam in Aphricam, per Ætolos in Græciam, per Eumenem, aliosque Principes in Asiam, per Massilienses, & Heduos in Gallias. Ità nunquam desiderauere eiusmodi auxilia, vnde sua cœpta prouehèrent tàm in potiundis, quàm in tenendis prouincijs. Hæc ergo quisquis obseruet, desinet Fortunam colere, quam conciliare valuit Virtus Romanis. Desinet Reipublicæ incusare fatum, si Ciuium in agendo aduertat ignauiam. Non culpabit sidera, non damnabit Horoscopum, optimè tenens, Sapientem virum Astris ipsis dominari, prudentia anteuerti casum, consilio raptum præcurri cælestium Orbium. Restat nunc, Auditores, vt ego iussus altiore nutu agam hoc loco Paridem Diuarum Iudicem, secundum formosiorem pronuncians; non illam certe Fortunam, quæ defecta oculis est pulcherrimo organorum in homine, sed Virtutem, quæ Dei non tam filia est, quàm sponsa indiuidua. Id quod rectè præstabo, si vestra humanitate fultus, positiones logicæ (*vel Physicæ, vel &c.*) per me excerptas propugnauero.

GRATIÆ.

QVòd partes propugnatoris vtcunque impleui, Virtutinè meæ tribuam, an Fortunæ? Verumtamen vix illius agnosco in me vestigium: huius verò fauorem inimicus frustra optauero. Vestra certè fuit Virtus, Auditores, quæ talem mihi Fortunam vel reluctantem conciliauit. Vtinam parem quoque tantis agendis gratijs conciliet facultatem.

SCIENTIA GENERATIM.

PAradoxi speciem obtulero (Viri eruditissimi) si seriò apud alios à vobis affirmauerim, inter sonitum armorum adolescere perbellè studia literarum. Et verò scholasticum iam videtur, ne dicam putidum, apud amœniora ingenia, hoc est vestri

similia,

similia, quod vſurpari paſſim, & quidem à ſciolis audimus: Repugnare cum Muſis Martem, dominari iſtas illo exule, exulare Domino: Recluſo Iano edici non tàm Ciuibus bella, quàm Literis: Non benè cum calamo committi ferrum, cum lauru oleam, cum galea ſertum: longè multum diffidere à caſtris choros, togas à ſagis, tubas à tibijs: Denique nihil cum Capitolio commune eſſe poſſe Parnaſſo, nihil cum claſſico citharæ, nihil paci cum bello: Itanè? Suſciperem ego. Quaſi non præclarum Natura exhibeat argumentum vel pueris ipſis obuium; laſciuiente ſcilicet vere; quando ad pompam Reginæ hortorum Roſæ conſpirant pulcherrimè (vt videmus) horror ſpinarum, ac foliorum amœnitas. Ecquid niſi bellum delineat cohors illa dumorum haſtata? Quid niſi pacem odorata illa, & ad Regales delicias molliſſima purpura? Planè ſi tollas è Roſa ſpinas, præſidium ei omne ſuſtuleris, exponas elegantiſſimum florem iniurijs, proſtitues fœdè Regiam maieſtatem. Si literas excipies bellis; deſtitutas protinus habebis: exarmabis, ſi armis eripies. An quærit hic aliquis curioſior ab experimento præiudicium? Repetat, quæſo, ab Græcorum hiſtorijs Phocionem illum decantatiſſimum; Virum, in quo dubitatur, vtrùm inſignior laus eſſet à Patria, an ab animi virtute. Athenæ eius patria, ſcientiarum altrix, ingeniorum palæſtra, morum magiſtra, virtutum officina; Athenæ dico, dixi omnia. Sed virtus in tanto capite qualis? Vno argumento conijcitote. Homo famem auri faſtidiens oblati ingenti cumulo ad nauſeam ab Alexandro Macedone: Cæterùm tantæ vis in dicendo, vt ipſius voluntas loco legis eſſet in patria: Bellicæ virtutis tantæ, vt depulſo ceruicibus iugo imminentium hoſtium veterem libertatem Athenis victricibus integram, incorruptamque ſeruaret. Sed (heu) hominum monſtra, in feris beluis nondum monſtrata. Ecquam tantorum meritorum mercedem retulit, putatis, Phocion? Ecquod authoramentum? Nil aliud certè ab ingratiſſima patria, niſi ſupplicium mortis viuus, mortuus exilium. Itaque ille ſine patria, ſine tumulo in Eleuſine quidem Rogum habuit, & à Megara ignem. Subſiſtite parumper, Auditores, & adhibete iudicij veſtri purgatiſſimi lancem. Propitiatio iſta fuit (crediderim) & clementia fatorum peculiaris in Phocionem demortuum, quod funere, & rogo priuaretur Athenis: Ne inquam integerrimi ipſius Manes ſpectarent inuiti Patriæ mox ruituræ funus, & rogum: atque eius, pro qua toties periclitante vitam ſuam promptiſſimè pacti erant, miſerum dein, etſi meritum excidium teſtari cogerentur

oculati. Iam aſſequimini rem, Auditores. Quandiù turbatæ bellis fuerunt Athenæ, quandiù armis quaſſatæ, quandiù petitæ hoſtium inſidijs, vexatæ incurſionibus, laceſſitæ iniurijs, obſidionibus, impugnationibus, incommodis: tandiù eloquentia Phocionis ſuſtinuit Ciues, Virtus abſtinuit hoſtes: tandiù cum eloquentia dominante floruerunt ingenia, valuerunt Diſciplinæ, atque Artes, doctarum Athenarum nomen inclytum, adorandumque Orbi terrarum fuit. Pariat verò pacem inexpugnata Ducis virtus, referat Eloquentia poſt turbulentiſſimas procellas malaciam, Soluat belli metu animos Ciuium; diſſoluat otio, heu indigna tantæ Academiæ cataſtropha, quam ſubitò ingenia torpeſcere, ſordeſcere Artes, armari temeritas! Ita eſt. Petitur caput innocens eloquentiſſimi viri, atque cum eius vita, ipſa quoque Eloquentia, cum Eloquentia adminiſtræ eius Artes reliquæ, ac diſciplinæ funerantur. Sed & cum ipſis deprauantur mores Ciuium optimi, Reipublicæ antè cultiſſimæ florentiſſimæque iura inſtitutaque ſanctiſſima in tranſuerſum feruntur. Loquantur hic Demadis tempora, quæ poſt Phocionem naufragas Athenas complorarunt. Mihi verò iam ſatis, Auditores, Vt ex negocio bellico literarium prouehi ocium perſuadeam. In præſenti quoque prouoco vos ad prælium propoſitis inſtar libelli aſſertionibus (*Rhetboricis, vel logicis vel &c.*) non niſi armis ingenij, ac machinis argumentationum pro tuenda libertate ſententiarum, & opinionum cuiuſque committendum.

GRATIÆ.

QVod antè videbatur nonnulli durius, inter feritatem armorum, nutriri humanitatem literarum; euictum cernitur præſenti congreſſu, cùm inter duritias diſſertationis meæ humanitas in me veſtra, Auditores, maximè floruit. Ego itaque inter horrores ſilentij ſuauitatem animi erga vos grati in dies magis fouebo.

SCIENTIA GENERATIM.

Cum mentione honorifica Præceptoris.

HOminis ingenium inſtar piſtrinenſis molæ irrequietæ (ſic vſurpabat quidam, nec inſcitè) cui ſi triticum ſuggeras, triticum molet; ſin paleas, paleas: corruptela morum admiſſa inanibus plerumque aut etiam pernicioſis occupari ſtudijs optimus

mus quisque non sine sensu doloris acerbo animaduertit. Hæc illa est fatalis scientia boni, malique ex ligni olim vetiti esu concepta, quæ facultatem intelligendi nostram separatis Intelligentiarum substantijs affinem propensione degeneri vitiat, miseréque distendit. Itaque quò quis perspicacior est, & valentior, eò improbiùs insano labore, alius alio, genium pascit. Nonnè videtis, Auditores, quemadmodum hic excussa è tabulis situlentis antiquitate thesauros terræ conditos infatigato studio vestigat, latentes pertentat terebris, fugientes vectibus, bipalijsque persequitur? vt mirum sit, Antipodas magnete, non simul ferro, iam dudum esse repertos. Ille partas industria, & sudore maiorum fortunas ignibus infaustis totas insumit, vt nescio quos spiritus colligat, vaga discordiaque elementa componat, mobilem Mercurium sistat, lapidem stultorum (veriùs dixerim, quàm philosophorum) conflet, vnde sibi in vigilia montes attollat aureos, Crœsi pertingat in atria, Solis ac Lunæ plaustra conficiat, denique Midæ Regis fabulæ de portentosa ex attactu metamorphosi, subiecta historiæ veritate fidem quærat. Alius honestiore auso Rempublicam comminiscitur ex genio nouam, cuius imagò expingi in mentis tabula bellissimè possit vnius Morphei penicillo, fortuitis lineamentis, temerarijs coloribus, nocturnis vmbris: Cæterùm facilior fingi, quàm efformari, somniari, quàm cerni. Adeò suggeri quidem valet studio communis boni, spe tamen nulla successus promitti. Quid illi, quibus viuere furere est, & belluino more humanitas exercetur? Illi, dico, qui pulcram sibi videntur petere per vulnera mortem: Qui gloriam, atque opes militaribus studijs consectantes, ipsam cum vita gloriam, opesque ipsas perditum eunt? Nam opum quidem fundamentum vita est, quæ si aleæ committatur, inter fulgurantes mucrones, intentaque tela certiùs profectò casura, quam duratura, nonnè tibi labantes, atque adeò labentes opes reddit? Gloria vero, quia in æstimatione aliena nititur, non in tua fruitione, tùm maximè carere videris, cùm frueris: quippe quæ ferè post cineres obuenit, id, cui maximè inhiant mortales. Atque in his, & alijs eiusmodi negocijs quàm leues se, ac ventosos præbent humani, sùs deque follis in modum agitati? Etiamnè illud, vt obscænos se præbeant? Mentem illam Diuinæ consimilem non modò contusa corrumpent acie, sed etiam turpitudinibus immersam temerabunt? O illa portenta fœdissima antiquis sæculis in Mundum inducta. Quòd flagitijs, ac scelestissimis inuentis nobiliores homines pro Dijs haberentur:

Quòd inimica omnis pudicitiæ, honeſtæque diſciplinæ Venus titulo ſcorti Diuinitatem meruerit; nec ſcorti qualiſcunque, ſed eius, vnde ars meritricia cœperit, vnde in Cypro edoctæ ſint percelebri magiſterio mulieres, vulgato corpore dotem contrahere, vnicam dotem ac decus virginum virginitatis eſſe iacturam. Hi nimirum flores candidæ antiquitatis, Floram famoſam meretricem veluti Latinam Venerem à ſapientibus Romanorum Diuinis honoribus coli, ludis Floralijs celebrari. Id autem multò tetrius, atque intolerabilius, Herculi illi ob publica totius Orbis latrocinia notiſſimo, Marti armipotenti, neque non Quirino, Caino alteri, propter atrociſſima bella, cædeſque cruentiſſimas; Mercurio ob inſignia furta, fraudeſque memorandas; Ioui atque Saturno obſcæniſſimis perinde, ac immaniſſimis hominum; alijs ob alia nefaria (hominibus dicam, an monſtris?) cultum iſtis Numinum, Aras, ſacrificia data eſſe. Seilicet *optimi corruptio peſſima*: & ſicut vſu mentis recto ad Deum proximè extollimur, ita prauo deijcimur infrà pecudes. Nihil enim meo iudicio caueri impenſiùs debet in Republica, quàm quomodo literarum ſtudia tractentur, quomodo inſtituendis ingenijs, tradendis doctrinis, capiendis diſciplinis conſulatur. Ne moderatorum inſcitia peſtem creet humano generi, quod fortunando Diuinitùs eſt inſtitutum. Agite ergo, Viri Auſcultatores, & mihi in diſciplina Sapientiſſimi Præceptoris NN. (*exprime Præceptoris nomen*) educato, quamquàm infelicis exitus alumno; Scientiæ (*exprime ſpeciatim ſcientiam cuius Theſes propugnandæ hic ſunt*) tamen rara cum prudentia, perſpicuitate, methodo pertractatæ ſumma quædam capita, & poſitiones depromenti adeſt, vt ſoletis, qua candidis ad meum exacuendum ingenium obiectis, qua benignis ad ſubleuandam tenuitatem auribus, ſapientiam certè Præceptoris inclyti, ſin minùs eruditionem meam humanitate veſtra, atque auctoritate probaturi.

GRATIÆ.

Recenſui proludens malè meritos de humano genere, inanibus, imò iniquis ſtudijs mancipatos. Vobis humanitatis vindicibus, deque Re literaria meritiſſimis, parum eſt, vt ego pro collato in me hodierna concione beneficio gratias agam, quibus humanum genus vniuerſum habere ſe maximas profitetur.

SCIENTIA GENERATIM.

NOn eſt ſcientijs dandum vitio, quòd ſuos ſemper oppugnatores habuerint. Dandum his potiùs audaciæ, illis gloriæ, quod eæ inuidiam conflauerint, vnde calumniæ labem nullam metuere poterant. Nouum haud equidem venit vobis (Eruditiſſimi Viri) vt laureato Imperatori petulans conuicijs adſtet in ipſo triumphali curru mancipium: vt Homericam famam liuenti maſtige impetat Zoilus: vt ne clariùs quidem effuſi in corpora Solares radij immunitate gaudeant vmbrarum. Quid? Monſtra teterrima vitam Alcidæ inuidentia an non fuere virtutis heroicæ ſemina, ſempiternæ pabula gloriæ? Nec mirum, ſcientijs quoque in hunc modum ſidera diſpenſaſſe, ipſarum dignitatem vt inuidi magis extollerent, quàm amaſij; ipſarum nitorem vt clariùs nigella capita, quam candida teſtarentur, ipſarum triumphis, vt per conuitiatores acclamaretur feſtiuiùs, quàm per præcones. Quoties, quæſo, allatrauere ſordentiſſimo rictu iſta portenta? Nouiſſimè tamen in bellicam diſciplinam ingenuarum facilè principem lethale hoc virus exhalarunt: ſitum in primis eſſe bellicum neruum in pecunijs. Diſceptemus parumper, ſi placet, & loco armorum adſciſcamus verborum præſidia. Humano ſiquidem, non belluino ingenio præliari hominem decet, iudiciumque armorum togæ deferre. Nam quòd poſſit quis bellum conflare pro libito, non conficere, metiri antè debet ſuas vires Princeps, quàm quidquam aggrediatur, atque ex earum denique ratione ſe gerere. Eam verò prudentiam adhibeat, oportet, vt ne de ſuis hallucinetur viribus. Porro autem id fiet, quoties ipſas vel pecunia, vel ſitu, vel hominum beneuolentià metietur proprijs ipſe armis deſtitutus. Illa enim ſibi adijcere quidem vires poſſunt, fundare non poſſunt: cæterùm ſunt ipſa per ſe nihil, nec ſine fidelibus armis quidquam conferunt. Nam neque auri copia ſola par eſt, neque ſola regionis munitio firmat, neque fides hominum beneuolentiaque diuturna; niſi fortè perſuaſum habeas, fideles tibi affore, quos tueri ipſe non valeas. Quidquid montis, quidquid ſtagni, quidquid denique loci imperuij, inacceſſi explanari per hoſtem videas, vbi ſtrenui propugnatores deſiderentur. Aurum ipſum non modò præſidio ſubtrahit omni, ſed & prædæ præſentiùs exponit: neque vlla demum abſurdior ſententia, quàm quæ robur militare in pecunijs reponit. Audacior verò Tute es (carpet

pet aliquis) in Q. Curtium censuram arripiens, à quo ista primùm sententia: neque ipse mehercules Cato tantùm ausit. An tibi excidit, quod is de bello inter Antipatrum Macedonem, ac Regem Spartanum enarrat, desiderio pecuniæ coactum ad pugnam esse Spartanum, cladem que accepisse? Ad paucos dies si prolatasset, venturum fuisse in Græciam de Alexandri obitu nuncium, ex quo victor extitisset citra pugnam. Deficiente verò pecunia, veritus, ne ab se quoque deficerent copiæ, compulsus est fortunam pertentare congressus. Hinc igitur belli neruum pecunias intulit Q. Curtius. Quod sane placitum & vsurpatur passim, & Principibus viris minus iusto prudentibus arridet. Ea quippe opinione nixi sat esse definiunt auri cumulos ad præsidium: neque id reputant animo, aurum si bello imperaret, triumphaturos fuisse de Alexandro Darium, de Romanis Græcos, Patrumque nostrorum temporibus Carolum Ducem de Heluetijs. Verùm his cessere Victoria, qui non in auri cumulo, sed in milite strenuo summam belli constituunt. Gazam ingentem inter alia spectacula Regij fastus ostentauit Rex Lydiæ Cræsus Soloni, illique scitanti, quid de potentia sua sentiret, Non tu iccirco (inquit Solon) potentior mihi videris, propterea quòd non auro geritur bellum, sed ferro: posse autem adesse alterum maiore cum ferri copia, qui tibi aurum eripiat. Ad hæc Alexandro defuncto vis Gallorum numerosa traiecit in Græciam, inde Asiam petiuit, ac misso per Gallos ad Macedonum Regem legato causa fœderis, ipse Rex vt sua explicata potentia terrorem Gallis faceret, aceruos auri argentique insanos exposuit: ex quo rescissa pax est, quæ pene constituta per illos erat. Vsque eò exarserant potiundi thesauri desiderio. Ita Rex despoliatum se se doluit per id, quod in præsidium sui coëgerat. Quid? Arguunt euenta superioris sæculi, ne amplius sit nobis, cur peruersi dogmatis conscientiam comprimamus. Nonnè Veneti ærario iam tùm conserto, minimè tamen iuuante, vniuerso ceciderunt imperio? Non ergo inquam (vt clamitat vulgus) auro bellum viget, sed bono milite. Nec enim sufficit aurum bonis parandis militibus; at boni quidem milites auro parando. Romanis auro quam ferro si bella ministrare maluissent, ne totius quidem Orbis ærarium extitisset par; tot ac tantas res gessere, difficultates exorbuere. Sed cùm disciplinam bellicam exercerent ferro, numquam profectò auri laborauere inopia, cuius copiam, vel in castra deferebant, vnam virtutem formidatam habentes. Quod si illi Spartano Regi, quia pecunia defecto, fortuna

prælij

prælij tentanda fuit, cecidit prorsùm ob pecuniam, quod plerunque alias item ob causas. Nam quia deficiente commeatu, copijs iccirco aut fame absumi compulsis, aut prælio congredi, is facilè congrediendi cæpit consilium, tùm quia honestius, tùm vt fortunæ relinqueret fauoris locum. Hoc simul vsu venit, vt missa hosti subsidia cognoscens Imperator, alterutrum sibi putet optandum, aut scilicet confligendum, tentandamque fortunam; aut sustinenti increscere hostem, confligendum nihilominùs neruo longè impari. Sed & illud succedit crebrò, quemadmodum Asdrubali, cùm in Piceno à Claudio Nerone, atque altero Consule impeteretur, vt in arctum coactus Imperator, siue in fugam, siue in prælium, hoc semper deligat, visus sibi in hac parte, tametsi plena discriminis, posse tamen vincere; in altera verò omnino vincendus. Multa igitur sunt, quæ inopinanti Imperatori vim faciunt, vt ineat pugnæ consilium: e quibus cadere nonnunquam potest pecuniæ desiderium: nec ideò belli neruum in pecunia potiùs collocandum dices, quàm in reliquis, vnde necessitudo illa oboritur. Primas itaque in bello debemus virtuti militum, secundas pecuniæ. Quod sanè placitum suo probauere Athenienses periculo, quùm suadente Pericle aduersus Pelloponenses arma omnino quasi astu, atque auro fortunanda, illi secundis licet euentis nonnunquam vsi, fracti tandem, profligarique cessere, experti suis ipsorum artibus, ac nummis pluris esse consilium, bonumque Lacedæmoniorum militem. Ac ne male audiam ego apud nonnullos, impugnator tanti Scriptoris, quantum probat communis ferè prudentum opinio Q. Curtium: Consulatur si placet super hac re Scriptorum antesignanus T. Liuius. Hic differens, Petenti Italiam Alexandro Macedoni vtrùm nè Romani victi cessissent? tria esse admonet bello gerendo necessaria, numerosas easque valentes copias, prudentes Duces, prosperam fortunam. Ibique vtrinam præstarent his rebus, Romani, an verò Alexander, late expendens, tandem clausulam facit nusquam memoratis pecunijs. Hiccinnè vero belli neruus, cuius in iudicio rei bellicæ ne nomen quidem auditur? O nostra corrupta tempora, quæ tam futiles sententias ratas habet. O infaustè aureum sæculum, quod aurum ferro substituit ad bellandum. Est, est gloria bellica non in ignauo illicio, sed in animi magnitudine; non in fraude, sed in robore; non in splendore opum, sed in puluere, & squalore certaminum; non in fugaci pecunia, sed in audaci congressu collocata. Quid tu, O perdite, vitias virtutum insignia?

Quid

Quid tuum fraudas animum immortalibus ornamentis? Quid, perduellis, impugnas in re militari Rempublicam disciplinarum? Quid genus humanum corrumpis submota Virtute, substituta Fortuna? Quandoquidem ars ista, vt ingenio acri hauritur; sic animi magnis spiritibus exercetur: nec aurum æstimat quia tractabile sed ferrum, quia rigidum. Quid ego amplius cunctor? Pugnauit Ars bellica pugnam suam; ego stipendia faciens Rhetoricæ (*vel Logicæ, vel Philosophiæ &c.*) partes eius, vt æquum est, pro virili defendam.

GRATIÆ.

NEc auri pretio emuntur certò victoriæ militares: Nec pretio verborum compensantur merita in me vestra, Humanissimi Viri. Sed vt virtus in bello maximè pollet; sic vestra virtus agere vobis gratias sola potest.

SCIENTIA GENERATIM.

INfecit miserè humanam propaginem tametsi damnatissimus vulgo error Academiæ, quæ dissidium frequens Philosophorum vel segnis pertæsa, vel superba fastidiens, rerum scientiam ex humanis tollebat: iamque inde ab Arcesila primo Auctore ad hæc vsque tempora exitiale hoc virus ita peruasit, vt non vmbraticis tantùm collocutionibus; sed vsu quoque, & publicis institutis spem remedij apud multos penè omnem excludat. Quos ego priusquàm vsu ipso, id est publica disputatione commissa hodierno cœtu confutem: quia obtentu prudentiæ stultissimam sententiam suam tueri ipsi student, petitis ex prudentia scilicet, neque à compote rationis homine refellendis argumentis, abiecto eloquentiæ apparatu, sic vrgeo. Agite iam Disciplinarum euersores, Ignorantiæ consulti, Imprudentissimi Iuris prudentes; ad quid opinamini (cedo) Naturam omnem conspirare? Certè quamcunque ipsi sectam, quamcunque Philosophiam profiteamini, & Naturam ipsam, & Naturæ vnumquodque in bonum ferri, fateamini, oportebit. Lapides in altum proiecti suopte ingenio ima repetunt. Flammæ in humilibus locis suo pabulo detentæ, in apertum Cæli tractum nullo impellente tolluntur. Fert naturalis impetus amnes in maris gremium præcipites, & subterraneis inclusæ cuniculis auræ luctante spiritu imposita quæque immani motu euertunt, vt se Ioui suo restituant. At herclè quidnàm in ijs adeò potens, ac validum clauditur,

quod

quod tantos motus ciere possit? Nil aliud sanè, quàm Natura. Ergo si Natura mouentur, naturalis erit ijs omnibus hic motus, & ea ipsa parens, quæ tales fœtus in lucem edidit, eosdem tamquàm obstetrix ad incedendum assuescere docet. Quod si ab innato quodam principio mouentur, etiam ad id mouebuntur, quod ad acquirendum bonum aliquod illis conducat. Hinc cùm leuia sint, quæ superiorem sedem obtineant; grauia, quæ in imis locis subsidant, docentur à natura hoc ipsum acquirere per motum, quo cientur, vt propriæ naturæ perfectionem, & speciem acquirant. Est igitur aliquid, ad quod tendunt vniuersa statim ac in lucem sunt edita, quod quidem ipsorum vel perfectio est, vel bonum, vel conseruatio. Hoc ipsum etiam in homine statuere necesse est, ne videatur Princeps cæterarum animantium fortuito quodam casu, & quasi temerè informatus, vt hæreat incertus ingenij sui, & illud nesciat, quod elementa ipsa, ex quibus constat insitum habent. At hercle sentio in hoc verti cardinem totius dubitationis; aut si minùs hic, haud sanè procul latitantem foueam deprehendemus. Dicent enim, quòd necesse est, Hominem ad felicitatem natum; sed iam felicitatem ipsi in Imperio sitam esse contendent: Artes verò imperij non disciplinis illas, sed vsu ipso animis instillari. Equidem si qualemcunque Imperij artem, aut qualemcunque Imperandi rationem in felicitate collocauerint, obijciendus erit his hominibus accuratissimus Platonis sermo in Trasimachum, & putidum illud demonstrandum, nihil esse peius iniustitia, aut turpius. Sed nihilo minùs, quàm Platonis, damnatum foret hoc sæculum quasi impotenti pariter dominatui Tyrannorum obnoxium. Est igitur reliquum, rectam imperandi rationem felicitatem humanam esse, in quo ego sanè volo vltrò ambitioni illorum manus dare, licet multa possint hanc sententiam in discrimen adducere. Recta vero imperandi ratio qua re alia, quàm ciuili virtute difinietur? Si igitur in recti imperandi ratione felicitas est, ea verò ciuilis virtus est, nihil erit aliud felicitatem obtinere, quàm ciuilem exercere virtutem. Discurramus iam per hanc ciuilem virtutem, & videamus, quibus ea opibus, quo præsidio comparetur à nobis quod non difficile erit consequi, si statuerimus ciuilem virtutem, in agendo, atque eligendo versari. Quod quidem neque ipsis aduersari potest, & multum illis præterea ad sententiam suam probandam conducere videtur. Electio verò, quæ & consultatio est, cùm hoc vnum sibi velit, vt peioribus abiectis potiora eligat, nonnè boni, & mali quædam cognitio est, quæ auspicium qui-

dem in cognitione, finem verò in actione situm habet? Hinc illud Philosophorum, Ciuilem philosophiam partim quidem in cognitione, partim vero in actione versari. At verò si boni malique cognitionem præmittendam actioni fatentur, descendat iam versutia ista aulica in campum, quæ se instar Vlyssis multorum consiliorum parentem indigitat; quæ se Mundum, vt olim Archimedes, mouere posse sibi persuadet, si habeat modò, vbi pedes figere possit: & se ipsam interroget, an habitu quodam, & vsu bonum ipsum cognoscere se posse confidat. Non dormitabat hebes atque imperitus in rebus agendis Orbis terrarum, antequàm cognosceret in virtute felicitatem sitam esse, nec oscitantis ingenij Trasymachus fuit, quem tamen malum potiùs, quàm bonum delectabat. Quæ gens in Italia Tarentinis magis viuida, magis rerum magnarum capax? Priùs tamen in maxima solertia delicijs se mancipio dederunt, atque in ijs bonum situm esse putarunt, quàm Pythagoras eos per philosophiam ad boni cognitionem extulerit. Syracusanis nihil magis versutum, nihil magis callidum, quippe totius Orbis emporium non corrumpebatur magis, quàm corrumpebat: ipsorum tamen Regales mensas derisit Plato. Non enim cum prudentia idem calliditas est. Illa bonas artes ad optimum finem; hæc quælibet machinamenta ad falsum bonum adhibere solita. Itaque nec bonum ipsum totius bonitatis fontem, nec bonitatem eius boni filiam vsu quodam, aut meditatione humanarum rerum dignoscimus. Tollenda mentis acies est per contemplationem ad huius solis fulgorem, & disciplinarum præsidio illud tenendum, à quo calliditas sensu decepta, & nimiùm sibi confidens aberrauit. Hoc igitur bonum, quod per Philosophiam tantùm dignoscitur, electionis normam, & prudentiæ nobis præscribit, quæ ex illius disciplinæ præscripto agens, vnde boni cognitionem haufit, comparat in rebus agendis animi sensus ad illud verum bonum, & per quandam similitudinem iudicium instituit. Falluntur ergo vel solertissimæ mortalium mentes in boni cognitione, cùm vsus ipse, & exercitatio viam quidem nobis ad aliquem finem assequendum aperire possit, ipsius verò finis vel rectitudinem, vel prauitatem à contemplatione tantùm accipere valeat. Sed prosequamur iam paulò diligentiùs hanc imperandi felicitatem. Nam si rectè imperare hanc felicitatem impertitur; quid est aliud rectè imperare, quàm eam imperandi rationem in Republica instituere, quæ tùm Reipublicæ, tùm imperanti maximè conducat? Non enim aliud rectitudinem facit Imperij, quàm eius Imperij electio,

quod rectum, & iustum, & summo bono consentaneum sit. Non enim siquis Aulicis dolis innutritus ad militare Imperium Tyro traducatur, rectè dicitur Imperium exercere, quòd nimirum alienam prouinciam imperitus inuaserit. Nec si filius senilem patris canitiem aspernatus domesticarum rerum clauum arripuerit, si rectè imperare sibi persuadeat, cùm præpostero ordine Naturæ patrium ius violauerit. Qui igitur eas in Republica partes susceperit, quæ iuxta Naturam, Æquumque, & Bonum maximè fuerint, is se & rectè imperare, & felicem esse sibi persuadere poterit. Sed cùm ciuilis virtus priuatam pro fundamento constituat, ea verò sine Philosophia, & disciplinis acquiri non possit, iam nullum poterit Imperij genus in Republica rectum dici, quod non philosophiæ innitatur, & à disciplinis dependeat. Non perpendam hoc loco singulas Imperij partes, ne videar materiam orationi quærere, breuitatem professus. Sed de forensi prudentia tantùm quæram, Núm ea vsu quodam perfici possit, an verò longa indigeat meditatione. Neque enim prudentum responsa, aut edicta Principum vsum tantummodò parentem suum agnouerunt: sed ex virtutum, ac vitiorum contemplatione prudentiæ nomen, auctoritati pondus inuenerunt. Quid stultius scriptis legibus, si sola hominis solertia, & rerum vsus omnibus contentionibus tollendis tamquam Alexandri gladius sufficeret? videte administram legum, & concionis Reginam Eloquentiam, quæ bonum à Philosophia acceptum, fœcunditate sua deductis ex lacteo fonte riuis populo communicans, boni pulchritudinem exornando tollit, vt adametur; persuadet, vt retineatur; defendit, vt exsurgat: vtrùm illam putatis vsu, an artis meditatione longa, studioque comparari? Cauete, ne, qui ita sentiunt, rabulæ in foro, pedarij in curia, circulatores in concione, vbique ridiculi censeantur. Demosthenem (credo) balbutientis oris natura, non autem studium & artis præsidium ad gloriæ apicem tulit: Aut Tullium fori strepitus, non hausti è Græca sapientia fontes contra Demosthenis gloriam armarunt. Sed iam obmutescere video aduersarios re ipsa perorante conuictos, & suam in ipsos inscitiam exprobrante. Reliquum est vt eorum silentio eruditos clamores disputationis vestræ, Auditores, subrogetis.

GRATIÆ.

Magnum ergo quiddam est Ciuilis prudentia: quæ præter vsum contemplatione amplius opus habet. Sed maius quiddam actio gratiarum, quas habeo humanitati vestræ hodiernæ,

Viri Auditores; cui actioni non contemplatio scientissimi capitis; sed nec vsus consummatissimi Oratoris par est. Vos ipsi auctores & gratias iuste æstimare potestis, & dignè testari.

SCIENTIA GENERATIM.

IVcundus est, vt nusquam magis, & in seueritate Philosophica poeticè amoenus Pythagoras, vbi molem Vniuersi per partes contemplatus, in illud denique placitum venit, compositam ipsam esse ad rationem musices, atque ad harmoniam concinere. Id quod Platoni inspirauit (opinor) Musam inter philosophandum, vt Orbibus Cælorum, quorum vertigine continenti, omnium successus effectorum in Natura temperantur, Sirenes moderatrices, cuique suam, affigeret: Illas dico Sirenes, quas postmodum auditor ipsius Platonis, idemque obseruator Pythagoræ Aristoteles Intelligentias inibi præsides nuncupauit tam perspicuè certè ad doctrinam quàm grauiter ad veritatem. Quid enim vsquam in natura rerum cernere est, quod ad aliud reciproce, atque aliud se se referens non musicè consonet? Mirabilis planè, ac sui vbique similis Deus, non in conditarum rerum varietate solùm, atque numero sibi vni comprehenso; verùm & in multiformi concentu ex varijs earum affectionibus quasi vocibus quibusdam suauissimo, & vel dissonantibus consonantissimo; adeo vt nemo vnus existat mortalium ita hebes auditu, ita surdus ingenio, qui pleno hic odæo decantari gloriam summi Conditoris non audiat. Sed est cùm inter Vniuersi partes sigillatim, tùm inter Mundum vtrumque summa consensio. Neque enim absurdè Paruum Mundum dixere Hominem veteres nisi ad Magni contentionem fabrefactus, nihil in illo planè eluceret, architectæ Diuinitatis opus; quod non iste sin minus mole, certè quidem virtute ac pretio vel exæquandum ostentaret, vel etiam præferendum. Non est mihi mens ire per singula: Nec tempus id patitur, aut institutum: nec, si ad argumentum hoc amplissimum patesceret campus, adhuc daret animus, vt præreptam ab alio in tanta re laudem affectarem. Habetis, Viri Auditores, dignum vestris oculis, dignum audientia, Principem ingeniorum nostri sæculi, ac Genuensium lumen clarissimum FORTVNIVM LICETVM, qui vulgato iusto volumine speciosissimam materiam digna vtriusque Mundi spectaculo elegantia pertractauit. Mihi interim cum stupore oculos hac illac errantes rapiunt errantia illa quidem Cælis lumina, quos Græci planetas nuncupant; atque eorum intuitu facilè mei-

met

met ipsius admoneor, vt a Magno ad Paruum Mundum vno vix gressu traductus, dum mente planetas intelligo, ipsam mentis meæ intelligentiam cælesti radio collucentem dono Numinis Conditoris inæstimando tandem agnoscam. Habet siquidem noster animus lumina rationis, quibus non tam luceat alijs, quàm aliorum conspiciat lucem; nec tam visendus ipse, quàm visurus se se offerat. Et sanè planetis septem, Artium septem ornamenta, quibus homo liberaliter institutus fulget conspicuus in Republica, non obscurè referri quis neget? Nisi quis malit elucere potissimùm scientias in planetis, vt neque tamen ab earum cœtu illas excludat disciplinas, quæ, vel humano magis arbitrio, quàm Naturæ lege nituntur, cuiusmodi habetur vtriusque Iuris prudentia; vel præter intellectus notitiam, actionem vltra intendunt, cuiusmodi Medicina, sed quarum vtraque non minùs illis profecto Reipublicæ iuuandæ pondus habet. Ita si Rationalem hic asserueris Philosophiam, tam Oratricem idest Rhetoricam, quàm Disputatricem, idest Logicam: Si Naturalem, nimirum Physicam: si Methaphysicam, seu Trasnaturalem: si Matemathicam: si denique Theologiam, quàm belle studia omnia perstrinxeris, quorum gratia tam multa ingeniorum in celeberrimis Academijs, vt in spatijs, atque arenis athletæ generosissimi, non sine magnis propositis brauijs exercentur! Hoc atque adeo congruit rei nostræ; quod si planetæ instillatis deorsum seminibus metalla ingenerant intra orbis terrestris viscera, quibus abundè mortales non ad vsum vitæ solummodò, sed ad delicias quoque ditantur: Anne breuior vlla via aperitur ad turpem excludendam egestatem, ad cumulandas in splendorem opes, ad opplendos in luxum thesauros, quàm si Cælum Microcosmi tui, idest excelsiorem, nobilioremque tui partem Animum aliquo lumine ingenuæ facultatis industrius adornaueris? Euolue tu veterum monumenta, excute Scriptorum omnium testimonia, disperéam ego, si crebrius quidquam, aut memorabilius offendes, quàm ex cœno sordentissimæ fortunæ ad Attalicam magnificentiam subuectos probatæ literaturæ Viros. Vt mihi ideò ab enumerandis exemplis supersedendum esse putem, ne aut alicui vestrum, Eruditissimi Auditores, notissimarum rerum ignorationem obiectare videar, aut ego ad grauius negocium procinctus, quàm par est, longius in re nullius quæstionis, tametsi momenti permagni, patiar immorari. Nequaquam itaque mihi curæ est, vti scientiarum Planetæ depluant hominibus diuitias, sed vti homines ipsi accendant in Cælo mentis Planetas. Quod equidem hodierna luce ope

vestra,

veſtrà, ac beneficio ſingulari, Viri, ſapientiſſimi, iubeor de me ipſe ſperare, dum Philoſophiæ, (*vel Theologiæ, vel &c.*) impenſam operam meam, addictum ſtudium, Cenſuræ veſtræ grauiſſimæ per publicam diſputationem ſubiecero.]

GRATIÆ.

PLanetas dum prædico largos influxibus ad homines ditandos, ſimul damnare cogerer auarum mihi eloquentia Mercurium ad agendas vobis, Humaniſſimi Viri, gratias: niſi aduerterem magnitudine beneficij veſtri vel ipſos Cæleſtes planetas inexhauſtos, facilè exhauriri.

RHETORICA GENERATIM.

AMphion muſicus antiquitatis enchomijs decantatiſſimus, quemadmodum artis ſuæ præcellentia humanam æſtimationem, ac fidem excedebat, ita fabulæ illi locum facilè dedit; Acceptum à Mercurio patre Lyram adeò blandè, ac ſuauiter digitorum argutiſſimo pulſu temperaſſe, vt ſaxa ex ambientium crepidinibus montium exciſa ſpontè, ac perpolita, ſtruendis Thebarum mœnibus ampliſſimis, ipſius concentu lytæ pertraxerit. Huic lepidiſſimæ fabulæ alluſit lepore non impari Latinus Pindarus eo diſticho, (*Dictus & Amphion Thebanæ conditor vrbis, ſaxa mouere ſono teſtudinis*). Quo ſanè figmento quid niſi Orationis præſtantia ad verum exprimitur? Habet hanc gratiam genus mortalium diſertis viris; quòd eloquentiæ ipſorum vi homines olim victu rudes, ac moribus inculti deſerta per loca terrarum ferino modo diſperſi ad ſocietatem vitæ, ciuiliſque obſequij diſciplinam fuere traducti. Hinc celebres paſſim in terris fundatæ Ciuitates, coactæ Reſpublicæ, conſtituta Imperia tam digno humana conditione, quàm alieno à brutis inuento. Neque id ſolùm: Sed & Ciuitatibus ipſis, & Rebus publicis, & Imperijs præſto ſunt inſtar mœnium firmiſſimorum Oratores, & loco præſidij, atque arcis munitiſſimæ ab omni hoſtium incurſione tutantur. Vnus ille Dictioni noſtræ firmamento ſit, quem Oratorum primipilum agnoſcit literaria Reſpublica; Demoſthenem volo, qui ſolis Eloquentiæ lacertis Rem Athenienſium ſeruauit aduerſus potentiſſimum, ac plurimis triumphis formidandum Regem Philippum florentiſſimæ gentis inhiantem imperio, & iugum ſeruitutis liberæ Ciuitati molientem. Quid? Nonnè hoc ipſum in dies vſu venire cernimus inter ſacras conciones, vbi Diuina

eloquen-

eloquentia instructi Euangelici Oratores ceu firmissima quædam propugnacula Religionis, agmina scelerum, malarumque artium imminentia prohibent, inuadentia frangunt, minacissimo Dite Imperatore subacto, triumphato? Hæc ita cùm sint, Auditores; cùm tantum in Oratione momentum sit positum: placet hodierna luce, annuente N.N. Moderatore meo Viro grauissimo nonnullas super eo argumento Theses in medio ponere, vt hoc præclaro operæ pretio Diuinam, in quam toti incumbimus, Eloquendi artem faciliùs imbibamus.

GRATIÆ.

AVdistis tàm nouum dictu, quàm factu incredibile miraculum ex vetere poetarum licentia compositum. At Herculè maius quiddam hodierna luce: ac tanto mirabilius, quòd verùm, iustumque prodigium sensibus vestris exploratum habetis, Auditores. Ibi enim demirati Amphionem estis sonitu lyræ animantem ad cursum saxa. Hic contrà, ex taciturnitate animatam intuemini ad eloquendum linguam. Quid? Nonnè elinguem me, ac mutum conscientià imbecillitatis, & ex tanti argumenti maiestate trepidum, nutantemque silentio ipsi vestro excitastis ad hanc qualem qualem disputationem alacri animo ineundam? Discuperem hìc certè (si foret in promptu) Amphionis Diuinam lyram, quo accepti beneficij dignas æternitate laudes gratis concentibus explicarem. Sed, vt vos mutis vocibus, ac benigno silentio mecum egistis; sic mutis ego quoque concentibus, surdaque lyra humanitatem vestram incomparabilem profitebor.

Audistis.

RHETORICA GENERATIM.

SI quod est animi quærendum præsidium, si quod expetendum decus ingenij, & inter honestas disciplinas si qua est ingenuo digna adolescente: Rhetoricen in primis, ac benè dicendi peritiam promereri humana vota, studium optare, industriam poscere non immeritò semper duxi, Egregij Auscultatores. Non enim singularem aliquam porrigit cultoribus suis adoream, vti cæteræ facultates: sed variam prorsus atque multiplicem alio atque alio splendore ornamentorum cumulatam. Id quod animo attentiùs agitanti succurrit mihi prodigiosæ illius Mensæ, dignæ non nisi stylo iuratissimorum Scriptorum, quam Bizantino in Templo S. Sophiæ celeberrimo Iustinianus Cæsar pieta-

pietate pari ac magnificentia dedicauit. Hæc non in aliqua singulari gemma, aut metallo elaborata; sed ex auro simul, & argento, omnisque generis metallis, lapidibus, lignis, rebus prætereà omnino omnibus, quas vspiam terrarum, ac marium vniuersi Orbis natura profert, conflata atque perfecta, Orbis vniuersi sola vel spectaculum faciebat, vel pretium. Nimirum ex pretiosa quaque materie plura, ex viliore pauciora coëgerat, ligatisque fluidis immiserat sicca, atque in Mensæ formata absoluerat, Dædaleum planè opus cùm nulla æquandum imitatione, tùm æstimatione omni, ac prædicatione superius. Haud secus de Rhetorice nostra vsurpare fas est, ad quam ornandam, atque adeo constituendam artes certatim omnes, scientiæque conspirant, vt non vna quæpiam virtus extitisse ab alijs discreta, sed omnes simul in vnam coaluisse ad miraculum mortalis ingenij videantur. Siquidem ipsa, quà rationem hominis perficit, Virtutis sibi vendicat speciem. Quà docet in vtramque partem de re quacunque propositâ disputare, Facultatis vtique formam habet. Quà pulcherrimi Operis præceptiones tradit, Artis nomine decoratur. Quà suarum causas præceptionum inuestigat, scientiæ. Sapientiæ, cùm causas earumdem primas rimatur. Cùm certis informat rationes regulis, orationem figuris, & elegantia, quid nisi Philosophiæ sedem occupet? Perstringamus rem paucis. Cùm Eloquentiæ numeros omnes quis absoluerit, is demùm Dialecticum, is Philosophum, is Politicum, is Encyclopædiæ consultissimum iactare se citra iactantiam poterit. Iure priscorum sapientissimi vnum, eundemque esse iubebant Philosophiæ interpretem, atque Eloquentiæ: Nec illam ab alijs facultatem distrahendam putabant, vel quam coniunctam esse cum omnibus, vel cui omnes deseruire, atque ancillari viderant facultates. Quare cum ea sit Rhetorices præ omnibus dignitas, quam, & à me modò accepistis, & vestro ipsi vsu, ac periculis in hoc honestissimo puluere comprobastis, arbitror id fore pretium studij, si de hac ipsa in hoc florentissimo cætu congressum instituero: Vt, quantum, non iam in ea profecerim, sed profecturum me esse confidam, exhibitis assertionibus, & vestra impugnatorum solertia excussis, aliquod non dubiæ fidei argumentum promptum habeam.

GRATIÆ.

PRolusi, Auditores, cum sacra Mensa, quæ suo & pretio, & arte apponendas à me exigebat eruditionis exquisitissimas, epulasne dicam, an dapes? Tandem spei irritos vos dimitto, ac

ieiunos,

ieiunos, appositis fructibus tam ingratis palato vestro delicatissimo, quàm ex meo penu acerbis adhuc, & auaro Sole præcocibus. Sed vestræ comitatis erit, aliquid ætati meæ, non parùm ingenio, plurimùm autem insolentiæ muneris, ac tyrocinio remittere, communi illo adagio refricato, *Debile principium melior fortuna sequetur*. DIXI.

RHETORICA GENERATIM.

ANimo bene fingendo (quæ portio Philosophiæ nobilior) bonam linguam conducere, nemo non aut stolidæ est linguæ, aut liuidæ, qui refragetur, Cordatissimi Auditores. Siquidem præsidio vnius Naturæ nonnè valet lingua informes brutorum fœtus formare? Et eam imparem existimabimus, opis cælestis ministerio idipsum vt perficiat in hominibus? Pluſes vna Babeles (quis mihi neget?) sibi tempora redimirent sideribus, nisi linguæ ex aduerso obsisterent, suam despumantes confusionem. Esto Ierichontina Vrbs mœnium circumsepta æternis propugnaculis, minacibus pinnis: sed labare nullo ariete ipsa mœnia, sed corruere illicò cernes oculis, simul atque buccinas fatales inflauerint ora Sacerdotum. Esto quasi Cælestis tonitrus vox: Ecce tibi decussum ephippio horrendum aliàs illud fulmen Tharsi; & è Saulo reside atque adeò refractario resurgentem Paulum, ad nutus Cælestes expeditissimum. Si malo, quod creare solet, atqui renuit lingua hominis, metiri bonum eius velimus; mirum hic, quantum ipsa in semet vibraret. Paucis autem plura complectens Apostolus inclytus Hispaniarum Iacobus, linguam appellat malorum vniuersitatem. Hoc ipsum fateatur, licebit, testimonio è Romanis fastis petito Posthumius Regillensis. Annè vlla furiarum è Tartaro, præterquàm lingua ipsius ardentior iusto facem attulit indignationis, & flatibus tumebundæ mentis accendit seditionis flammas Tribunitijs in ordinibus, atque Senatorijs? Ciuile enimuerò incendium non antè restinctum legimus, quàm qui verbis oppidò inflatis excitauerat, suum superfunderet sanguinem, obrutamque & consepultam ingemisceret vitam sub ingruenti lapidum tempestate, quàm durities sermonis illius exciuerat. Ac quemadmodum siquis directuram arboris populeæ probare velit, nequaquam opus habet, in speculo allabentis Padi illam inspectare: ita planè ad indagandam bonæ linguæ virtutem, non est, cur in malæ vitia defigamus obtutum. Sanè quidem lactata melle facundia Ambrosij Mediolanensium Anti-

ſitis amaritudinem leniuit Auguſtini. Ipſa extitit Chimica, quæ iſtiuſmodi Mercurium ſitit: Ipſa ſilentium tumultibus indixit, quos in eius Viri diſertiſſimi pectore turba ciebat effrænium cupiditatum: Ipſa magiſtrum illum perfidiæ, diſcipulum effecit fidei Sacroſanctæ: Ipſa Citharæ inſtar fuit, qua Saulem alterum furiali æſtro iactatum Dauides recentior excantauit: Ipſius tonitru vocis ad enitendum fœtum Religionis coëgit hunc Ceruum: Ipſius denique linguæ fulmen in iſto angue monſtroſo, non eo quidem Aphricæ, ſed Hæreſeos exprompſit gloriam veritatis. Quare ad bene viuendum cùm in bene eloquendo tantum inſit momenti, non ab re Maiores noſtri, quibus caſtigatio morum cum literarum cultura formandæ huic ingenuæ iuuentuti propoſita in primis fuit, Academicas haſce meditationes de Copia, & elegantia ſermonis inſtituere; è quibus cùm illa emineat, quæ & ſtylum expolit, & acuit ingenium, diſputatio ſuper placitis Rhetorum, non erit mihi arduum elicere vobis, ſtudioſiſſimi Adoleſcentes, attentionem, dum pauca quædam capita heſternis auſcultationibus per Doctorem diſertiſſimum tradita, hodierno cœtu diſcutienda propono.

GRATIÆ.

SI bene eloqui bene eſt viuere, vt ſumus præfati; non ego equidem male viuam, ſpero; dum gratè, ne dum bene eloqui iam inſtituo in præſentia. Qui enim niſi gratè audiatur, quòd gratias promeritas tam bene de me meritis vobis, pro exhibita humaniſſima attentione agere ſtudeo, quas nequeo referre?

RHETORICA GENERATIM.

SI nudus fortunæ bonis homo, & cum egeſtate continenter luctatus in coronam locupletum accerſeretur, iuſſus de diuitijs coràm diſſertare; &, quid ipſe tandem de illarum affluentia, commodis, vſu ſentiret, libera voce ſtatuere: quid eum hominem facturum putatis, Auditores? quid conſilij initurum, eiuſce planè inexpertiſſimum argumenti? quid de rerum copia dicturum, rerum omnium, & penè ſui ipſius egentiſſimum? Tam inſperatas ille coactus in anguſtias, horum profectò alterutrum ageret; aut in ſilentium ſimulata ſurditate diſcederet, aut prouinciam huiuſmodi in eos conſultiſſimos, illoque in puluere verſatos reijceret; aut, ſin neutrum, petito è re nata conſilio ſtuderet ex ſua ipſius inopia illorum copiam, ex pauperie opulen-

tiam,

tiam, ex fordibus lautitiem, ex miferijs delicias, felicitatemque exprimere. Hoc ipfum belle in rem præfentem venit, Auditores; fi quidem belle, quod non nifi fummo incommodo mihi venit, vt iubar apud vos de Rhetorica facultate differere; vt in confeſſu difertiſſimorum virorum homo indifertiſſimus, coram eloquentiſſimis penè elinguis adolefcens; neque minùs ætate rudis, quàm oratione, ac eloquentia, de ipfa eloquentia difputationem inftituere hodierna luce compellar. Sed ego

Fungar vice cotis, acutum
Reddere quæ ferrum valet, exors ipfa fecandi,

& meam in medio proponam dicendi tenuitatem; vt, quando hæc vocis hebetudo, non dicam in hac fapientiæ corona florentiſſima, fed in fodalium meorum adolefcentum, atque adeo in tyronum quorumcunque numero vix me poftremas compellit in partes, nec tacito diſſimulare mihi liceat iuſſum moderatoris noftri, nec peruicaci detrectare prouinciam, memet certè tantæ tenuitatis confcium erigam in fpem leuamenti maximam, animo reputans, quod veterum monumenta deprædicant de literatis viris non paucis ex egeftate fumma fummam ad opulentiam adiumento ipfius literaturæ traductis. Fuerit (vt pauca quædam delibemus) fuerit pertenui patrimonio Ifocrates; locupletauit illud facilè, ad oratoriam appellens animum, in qua vfque adeo profecit, vt vel vnam orationem fuam talentis viginti vendiderit, hoc eft aureis numis quatuordecim millibus. Fuerit natalibus obfcuris Maro, patre opifice figulo, aut veriùs mercenario cuiufdam viatoris; fed eloquentiæ florefcens gloria, reculam fuam ad vfque fextertia fex millia, ducentos fcilicet, & quinquaginta mille aureos perduxit, præter contractos fibi à Cæfare, à Populo Romano ab Ordinibus omnibus honores quantos maximos, atque ampliſſimos. Fuerit Marcus Tullius Cicero patre fullone, vel agricola genitus: quantum veró fortunam eius abiectam erexerit, obfcuram illuftrauerit parta vigilijs eloquentiæ confummatæ facultas, vidit cum admiratione Orbis Romanus, inuidit pofteritas omnis, & poftmodum inuidebit vno illo infpecto ex hiftorijs veftigio, quod ad Ciceronis exulantis incommoda fubleuanda Pomponius Atticus Eques Romanus loco ingentis beneficij accepti habuerit, ducentis quadraginta mille feftertijs illum iuuiſſe. Fuerit (vt propiora noftro feculo attingamus) fuerit inter rufticos agricolas numerarius Antonius Campanus; fed fortunam pertentans ftudio amœniorum literarum, vndè fibi ad Hiftorici, Poëtæ, Oratorifque lauream gradum ftruxit; ecce tibi renuntiatus

Episcopus Interamnensis, & Pij II. Pontificis Maximi auspicio ab aruis ad aras, à caula ad aulam, ab aratro ad Pedum Pontificium vocatus: Inde à successore Pij Paulo prouentuum amplissimorum auctario cumulatus. Quid? non videtur mirandum, elicuisse literatos fortunas à Principibus, quorum animis disertæ vocis, aut styli potentia imperitabant. Cui rei fidem facit Philosophorum veterum illud tritum Elogium de Oratione, quòd ψυχαγωγὴν, idest flexanimam nuncuparent: Et velut habet in equum sessor, sic in animos hominum, quam libeat in partem, pertrahendi potestatem illi faciebant. Et illud argutius Philonis Hebræorum disertissimi, quòd ἑλέπολιν τῆς ψύχης diceret, hoc est machinam bellicam, quòd obduratissima quæque pectora, atque ære triplici communita per vim, per impetum tandem expugnet. Siccine ergo literarum candidatis metuenda pauperies? Ecquid est, cur vel ego tyrunculus quantæcunque inopiæ meæ conscius, studio tamen inflammatus literariæ gloriæ despondeam animum, quin cum orationis copia, fortunarum quoque, atque honorum copiam, siquando illam consequar, sim contracturus. Interea loci disceptaturus super Rhetoricis positionibus iubeor de vestra attentione bene sperare, & meæ inopiam orationis humanitatis vestræ opibus fore subleuandam.

GRATIÆ.

ELoquentia subleuari pauperiem, congestis in literatos diuitijs, nuper accepistis, Auditores: Nunc ineloquentia posse iuuari, quis credat? Credat, tamen oportet, quisquis pro exhibita mihi humanissima attentione, taciturnitate potiùs, quàm compositis ad pompam verbis, diuitias vestrorum in me meritorum testatas me facturum intelliget.

RHETORICA GENERATIM.

Contra Logicam, cuius est initium. Quæ duæ res nostri generis.

DIspudeat suæ quemque nequitiæ: Me autem sodalis quamquàm aliàs meî, nunc verò desertoris, ac transfugæ quid est, cur non magis pœniteat non exècrari tota mente turpissimam notam, nec, quanta possum, vocis, & laterum contentione insequi, suæque ipsius iaculo Rationis retorto conficere? Audistis, puto, hominem imberbem humanioribus innutritum studijs, atque non modicam consecutum laudem politioris literaturæ, inde

ad

ad feueriora transgressum, in ipso aditu ita raptum fuisse nouo illo spectaculo vmbraculi philosophici, ita captum Græcia illa syllogizantium in pallio, & barba studiosorum, vt præ Rhetorica, cui dudum se deuouerat, decorandam Logicam titulo humanioris disciplinæ non modò statuerit sibi; verùm & alijs olim Collegis pro virili sua parte persuasum voluerit. Et quando cardinem eius actionis videq in facultate hominis potissima, hoc est Mente, & Ratione consistere; cui equidem regendæ, moderandæ, perficiendæ desudat Logica; miror, ita rationismet suæ, ac mentis impotem euasisse Aduersarium nostrum, vt vix limen ingressus Rationalis Philosophiæ, ad primum ipsum prospectum imitari videatur lymphaticos, humaniorem eam ratus, quæ seueritate sua deterret plerumque studiosos; humaniorem, quæ hominem fatigat ampliùs; quæ humanitatis præ se nihil fert, nisi quia ingenium hominis, rigentis instar ferri ardore disputationum perdomat, porphyritis quasi duritiem improbo pulsu mallei, acie scalpri immiti victam perpolit; adamantinam æquans pertinaciam cruento emollit sudore frontis. Quàm verò secùs humanum sonat, cui aliquis humanitatis est sensus? Nos iuuat adolescentes cœtibus hominum antè adiungi, quàm indigetum choros anhelare; gressibus ferri, quàm alas assumere; ad humanitatem formari, quàm Diuinitatis cognationem affectare. Damus nos itaque Rhetores, nec illibenter, vobis Logicis locum; inferiori, quàm colimus, facultatem contenti sumus loco reponere. Denique Rationis esse Orationem filiam damus vltrò vobis; damus ampliùs ancillam, damus pedisequam. Quid inde? Humanioremnè igitur vestram, quia loco, munere, iure superiorem? Imò verò quia nostram humiliorem, idcircò humaniorem hanc esse contendimus. Ita enim se se res habent, Auditores. Pusiones ludus recreat, Viros labor exercet: Delicijs nata infantia est, tenetur iuuentus periculis: Illa flores consectatur, hæc captat fructus. Quare humaniores meritò eas literas, quas & amœniores interpretatione vocis commodiore videmur vsurpare. An non amœnior, numeris concinnata oratorijs periodus, quàm cusus cathegorica seueritate syllogismus? Omninò enim sapere videntur mihi, qui Logicen cum illo conferunt rosarum genere, quas rubo enasci obseruant rerum naturalium scriptores; tametsi illorum princeps Plinius enasci omnes generatim spina veriùs, quàm frutice tradiderit. Sed qualia sint cumque illarum cunabula, vix profectò tu florem vspiam legas incffensis digitis, aut incolumi dextera. Hanc fere quis dicat esse Logicæ artis

condi-

conditionem, cuius iucunda quidem meditatio, sed delicias identidem suas temerat infixis aculeis; Rhetoricam porrò nostram Rosarium esse iam inde ab aurea ætate, atque adeò à Mundi infantia beatissima seruatum mortalibus, quo ex genere describit charactere suo verè ambrosio Mediolanensis Antistes; *Surrexerat*, aiens, *floribus immixta teneris sine spinis Rosa, & pulcherrimus flos sine vlla fraude vernabat:* dignus enimuerò (subijciam ipse) delicijs Paradisiacis flosculus, sempiterni ocellus Veris, pignus innocentiæ vitiato generi nostro suspirandæ, cuius quàm oculus elegantia, quàm nares suauitate, tàm oblectaretur tactus mollitie. O Rhetoricen felicitatis pristinæ superstes delicium. Quid enim? Syllogismo vestro, Logici, gracilitas propositionum, ex quibus conflatur, quid nisi spina est? Dilatetur per nos in Ratiocinationem, En vt euadit in Rosam. Definitionis vestræ ratio ex genere, & differentia aciem spinæ vtique repræsentat: Circumducatur per nos descriptione varia, nonnè vides explicatam floris amœnitatem? Vibrate, vos, cum Causa dumtaxat Demonstrationem, pungetis illa equidem Aduersarium: Pluribus ex topicis locis per nos colligatur; & afficimus animos, & aures titillamus. Ad summam probando, hoc est arguendo incumbit Logica: mouendo ampliùs, ac delectando Rhetorica: atque vbi illa contenta est subijcere oculis mentis nudam veritatem; hæc mundo splendido, lautoque ornatam Regina animorum producit in medium. Quò dubium nullum extare vobis debet, Sapientissimi Auditores, quos etiam compello in hodierna quæstione Iudices, quin arrogatus Logicæ facultati humanioris titulus, pensitatis rationum ponderibus, Rhetoricæ nostræ multò, vt audistis, humanissimæ per vestra collata suffragia restituatur. Id quò faciliùs decernatis, placet nonnullas exponere publicæ disputationi theses Rhetoricas, vt ne ab ipsa quidem altercatione, quæ alibi simultates, & iurgia plerumque serit, modos humanitatis omnes abesse coràm probetis.

GRATIÆ.

HVmanitatem cum amœnitate præfando commisi, Causam Rhetoricæ propugnans. Itaque sicut humanos ipsi vos, Auditores, erga me disputantem præbuistis, par esset, vt ego contrà amœnus verbis gratias adornarem. Verùm vestræ quoque fuerit humanitatis, quæ modum habet nullum, inamœnum sermonem meum, atque sterilescentem ad tantum officium excusare.

RHETO-

RHETORICA GENERATIM.

Ad victorias classium literarias in ludo renuntiandas. Scripta Venetijs. 1655.

QVod mihi erat in votis, cùm reluctante licet animo, vrgente autem imperio moderatoris mei prouinciam hanc Censoris Maximi grauissimam tandem iniui, vt, quantum sodales athletæ adhortatione potiùs mea, quàm exemplo animati literaria in vmbra profecissent, in luce aliquando literatorum, quos penes Censura ingeniorum maxima sedet, patefacerem: id me benignitate siderum, Cælique clementia planè singulari consecutum hodierna die fuisse, magnoperè Lætor, Viri ornatissimi. Ecqua vmbra studiorum amœnior ex multo iam cursu annorum patuit Venetæ iuuentuti, quàm cui nouus, ac Cælo lapsus Apollo hic noster præsidet? Aut quæ lux fulgentior sapientiæ, quàm isthæc ipsa vestris illata conspectibus, Auditores; & eò clarior, quò rarior in tanto, tamque diuturno Musarum nostris è tectis exulantium mœrore? Quippe amat Pieridum chorus abstrusa saltuum, & suos inter sacra antrorum silentia exaudiri concentus. Nunc enimuerò cùm Martialis vndique lituus perstrepit, cùm terra, marique circumsonant omnia castrorum fremitu, an vllus Musarum choreis locus hospitalis fore putabitur? Id quod luculentiùs multò fortunam apud vos nostram extollit, vt profugas amasias pacis, aureis quasi nexibus tentas media inter arma per nos egregiè foueri, quin & concussis bello laribus nostris volentes eas lubentesque hic sisti non sine admiratione spectaretis. An non verò graphicè id expressum agnoscat quisquis rem apud nos literariam sub quadam belli specie geri aduerterit? quisquis delectos quasi milites huiusce Academiæ cultores, quisquis distributas hinc inde copias, decretos vtrinque Imperatores, creatos Tribunos, designatos Duces, explicata minacibus notis vexilla, hinc Romanorum, inde Carthaginiensium; tùm instructas acies, lacessitos hostes, commissa prælia, rem denique ad omnes militiæ numeros administratam obseruauerit? Atque illud in primis iam claro clarius est, studio æmulationis procedere literalem æque, ac militarem disciplinam. Nolo à proposito Academiæ commento, vnguem quidem vnum discedamus. Ipsum Romanorum negotium cum Carthaginiensibus præiudicium nobis pulcherrimum, ne dum exemplum suppeditat: Et quidem quod bello tertio prioribus

ribus multò atrociore accidisse testantur monumenta veterum vniuersa. Feruebat, vt anteà nunquam, in obsidione barbaræ vrbis Romanus, vendicaturus superiores iniurias, reparaturus extremis conatibus, vnà cum dignitatis iactura, clades acceptas. Cùm contumacia hostili tandem edomita bellum quidem sedit; sed efferbuit simul victoriæ studium de belli fine stabiliendo. Ergo deliberatum hinc inde in Senatu consilijs aduersis, pugnacissimèque pars vtraque altercata. Prior sententiam rogatus Cato inexplebili odio delendam esse Carthaginem, & cùm de alio consuleretur, pronuntiabat: Posterior Scipio Nasica, seruandam; ne metu, inquiens, ablato æmulæ vrbis, luxuriari felicitas Vrbis inciperet. Vtrùm horum consiliorum, Auditores, grauissimo illi consessui probatum fuisse existimatis? Eiusnè Viri consilium, quod vna vexatione inspecta suggerebat liuor, an quod ex emolumentis & fructibus illius belli in Rempublicam redundantibus pendebat? Ita verò deliberant prudentiores viri: Qui Patriæ hostem, quòd Patriam modò exercet, extinguendum putat, is hostis habendus est Patriæ: Amicus ille plane, qui commoda Patriæ maiora incommodis pensitans, seruandum ab interitu hostem contendit. Denique optimo Ciui plures esse debet amor in Patriam, quàm in hostem odium. Nec enim, quia ingratum palato pharmacum redditur, vti minùs salubre ægrotanti reiectandum. Quid autem hìc afferam, æmulatione Carthaginis, quasi cote, exacutam illico ad Martias meditationes Romanam pubem? Quid referam sublatum nullo negotio luxum in Vrbe, excussam vecordiam, eliminatam libidinem? Quid enumerem voluntarias legiones, inuictissimos Imperatores, innumera prælia? Quid cæsas formidabiles phalanges, munitissimas occupatas Arces, impetus validissimos perfractos, tot illa discrimina superata, tot stratos exercitus, tot palmas collectas, trophæa posita, triumphos reuectos? Sed hæc vetustatis ignaris hominibus recensentor: quamquàm & se ijs res ipsæ gestæ immortales prædicant, & à millibus licet annorum spiritum adhuc & vocem retinent, ne cui vnquam posterorum ignorantia prætendatur. O sortem nostram, Commilitones, nulli non mortalium inuidendam. O plenum prudentiæ consilium Institutoris nostri, quò studia hæc alacriùs capesseremus, quò viuidiùs literarium agonem proposito brauio iniremus. Hic lætus belli vmbratilis apparatus, hæc species elegans confligentium quasi classium, hoc nouum aspectui auctoramentum ingeniorum, quonàm, obsecro, tendit? quò spectat? nisi vt excitata reciprocè virtute, prouocata indole,

dole, ad palmas quisque eruditionis, ad trophæa literaturæ, iuuenilia hæc, sed rerum aliquando maximarum (si fata dederint annos) in Republica gerendarum lectissima semina pro virili sua parte adspiret? Quid? hæc tempora Martialia, hæc Respublica, hoc Imperium Scythicis armis iam diu exercitum, rudioribus politicis, nec bene sanis capitibus vexatum, afflictumque quandonàm feliciùs effloruit gloria non militaris modò prudentiæ, verùm etiam ciuilis? quando luxum longiùs propulit? quando alacriorem vidit Venetam iuuentutem, etsi Regales inter delicias enutritam ad capessenda diffitis in terris, rigidiore sub Cælo, omnibus exposita iniurijs, belli pericula? Quando verò aut maiore domi tranquillitate potita est, aut metum hostibus Veneti nominis maiorem ingessit, aut Orbis terrarum fines, inconcussæ, ac formidandæ potentiæ suæ fama compleuit? Scilicet habent Tyranno illi truculentissimo gratias plurimas Venetiæ nostræ, quòd furiali perfidia sua, nostratium virtutem pertentans magis, magisque adauxit, ac vegetauit. Nos etiam adhuc ephebi, annis quidem tenelli, ætate molles, sed ingenio viuidi, sed spiritibus erecti, inter hos lusus literarios magna vtique molimur, magna anhelamus excitati hac ipsa, quam cernitis, geniali sanè, sed tamen acri æmulatione ab Institutore Academiæ Viro Sapientissimo, non sine Cælesti consilio adinuenta. Quare vt eorum, quæ hactenus ipse disserui, specimen aliquod habeatis, vt maius quiddam, quàm me dicente vestris forte animis concepistis, ipsismet oculis propositum habeatis, profero in medium vtriusque partis acerrima studia, tentamenta, congressus, victorias, & has quidem incruentas dixerim, nisi, quos vinci, & campo cedere coëgit fatum, sanguine suffusa ora, pudoreque sanguinantia, summa ipsorum ingenuitas ostentare compelleret. Adeste igitur auribus, adeste animis, digna studijs vestris humanitate.

GRATIÆ.

Vicistis, Auditores, quod volueram. Commilitonum meorum trophæis incomparabili humanitate non attendistis modò, sed etiam plausistis. Quid isthæc humanitas, nisi trophæum à me exigat grati animi notis incisum sempiternis?

RHETORICA GENERATIM.

Disciplinarum vniuersitatem cùm mecum ipse reputo, quandam veluti Regiam ingenijs nobilioris notæ quasi procce-

ribus frequentatam; vbi & honores in humanis amplissimos, & digniores in Republica Magistratus, atque his congruas ad sustinendam dignitatem fortunas sibi conquirant, non insulsè adumbrare dixerim, Ornatissimè Sapientum cætus. Pergite, si lubet, mecum, & gressibus mentium vestrarum obsequimini ducem, meum sermonem. Siquidem in ipso huiusce Regiæ limine occurrit oculis ex Græca magnificentia Peristylium (disciplinarum quippe magistram agnoscimus Græciam) amplum illud, & genere structuræ mirabile; quo schemate Rhetoricam ingenuarum artium mundissimam, amplitudine, ac splendore dictionis conspicuam referri quisque facilè coniectabit. Hùc autem progresso patescit in atrium aditus clauso Cœlo, ac se curuantibus in angulos parietibus subobscurum, quod habet Dialecticæ non obscuram speciem. Est continens huic porticus iustam procurrens in magnitudinem, & elegantiam planè visendam, qualem Ionicus nitor, Corynthiusuè fastus offerret, Geometriæ non absimilis. Tùm per longam seriem hinc atque inde conclauium iter est, quibus Philosophiæ alia atque alia membra distinguuntur ex Naturæ multiplici contemplatione; quòusque tandem in penitissimam Augustalis partem, in secretius domicilium, transgressi Naturæ sedem, deferamur; ad sacram dico Theologiam literaturæ omnis centrum, & vltimam lineam sapientiæ. Nec deest huic Regiæ (vt cernitis) ad magnificentiæ numeros absoluendos adapertum ante frontem vestibulum, quò confluant rudioris adhuc ingenij homines, quasi de plebe ciues tractaturi grammatica, vt procedente studio ingressum Regiæ aliquando meriti per Eloquentiæ peristylium ad reliquas disciplinas subinpè aditum parent. Atque hic parumper subsistere operæ pretium puto, Auditores. Sic enim arbitror, nullum esse planius aut compendiosius iter meditatione Rhetorica ad altiores quasque scientias, ad seueriora studia ineunda. Est enim Rhetorica media inter Grammaticam, ac Philosophiam, & quidam inter vtramque communis terminus, atque nexus. Nam quà poliendum spectat sermonem, & figurarum pigmentis ornandum, habet commune aliquid cum Grammatica sermonis congrui architecta. Quà porrò proponendi, diuidendi, probandi, denique concludendi subit negocium, cognata efficitur Philosophiæ, quæ rectam differendi rationem, quà Rationalis est, inuestigat. Itaque sicut humana corpora ab æstiuis incendijs facilè algorem patiuntur hyemis, erudita prius autumno, qui medius est inter vtramque tempestatem calore partim, ac frigore per ingenium

Natu-

Naturæ temperatus: haud ſecus ingenia deduxeris facilè ad ſublimiora exercitamenta, ſi iuſſeris priùs emetiri campum eloquentiæ: facilè ex iſta accliuitate ad illud iugum, ex iſto tempore ad rigorem illum, ex iſta temperie ad illam ſeueritatem, ex dicendi munditie ad acumen, ex flore ad ſpinas, ex illecebris ad aculeos gradum ſubdideris. Nec enimuerò apud me bene audire illi poterunt inconſultiſſimi ſtudiorum ſuorum, qui ex ludo Grammatico in arenam Philoſophicam proximè ſe conferunt, hoc minimè intelligentes, Rhetoricam diſciplinam limen eſſe ad eam Philoſophiæ partem, quæ, vt eſt in diſputando ſtrictior, quaſi compreſſa in pugnum manus; ità nihil faciliùs, quàm ſi ex ipſa priùs manu in palmam dilatata formetur; ampla numeris, arctanda; dictione magnifica, coërcenda. Sic prudens topiarius non ſubitò enatam, & vix pullulantem buxum aggreditur in formas varias componere; ſed vbi primùm luxuriantem ramuſculis videt, tùm præcidere ipſam ſtudet, ac caſtigare ad mentis exemplar. Priùs ergo luxuriari doceas orationem, oportet, quàm ipſam caſtigandam putes. Priùs argumentationis formæ laxiores tenendæ ſunt tibi, quàm preſſiores, & numeris certis contentæ. Denique, vt feras punctum in ludo Dialecticæ difficillimo, proludendum in Rhetoricis eſt, ne rem tuam literariam cæcæ aleæ committere videaris auarus temporis, prodigus dignitatis. Quò mihi præclariùs, & conſultiùs inſtitutum videtur à Moderatore huiuſce Gymnaſij, vt quotannis ab emeritis diſcipulis theoremata Rhetorica diſputationi publicæ exponantur, videlicet optimè proſpectum rato candidatis Philoſophiæ, ſi ex facilibus modis theatralis orationis ad arduas vmbraculorum diſceptationes prouehantur. Quamquàm enim in huiuſmodi congreſſibus remiſſior euadat impetus, nec robora illa ſyllogiſmorum, atque enthymematum, qualia apud Philoſophos, intendantur, nemo tamen iure negauerit, quin eadem ſit iſtis, atque Rhetoricis methodus, par ordo, ratio non abſimilis. Vtrobique confirmatur, vtrobique & infirmatur, proponitur, deducitur vtrobique. Itaque ſiquis veſtrûm, Ornatiſſimi, Auditores, ex honeſtiſſimæ diſciplinæ tractatione materiam gloriæ præbere & ſibi & mihi voluerit, en illum maneo in arena, quantulas vires meum mihi ſuggeſſerit ingeniolum, exerturus.

GRATIÆ.

Reliquum eſt, vt & tibi (*hic locus eſt laudandi virum, cui dicatæ ſunt Theſes perſtringendo epithetis vel periodo in Elogij*

 modum

modum eius laudes) & vobis nobilissimi Auditores gratum explicem animum pro beneuolentissima, qua me disputantem prosecuti estis, attentione. Nec me despero præstiturum, atque adeò (quod citra arrogantiam dictum putetis) cumulatè satisfacturum. Nam quòd ipsi fauistis mihi silentio, quo nisi silentio dignè respondeam? Beneficium itaque vestrum pro meritis tùm demum extollam, cùm nulla oratione mea extolli pro meritis posse, ipso meo silentio religiosè testabor.

RHETORICA DE ELOCVTIONE.

FEcit miraculum priscis, incitamentum posteris argutissima successu æmulatio celeberrimorum pictorum Parrhasij, ac Zeusis (Nobilissimi quotquot hunc cætum coronatis, Auditores). Horum vtrumque titillabat gloria, pungebat alterum alterius inuidia, & sudatam experimentis diuturnis frontem laureare quisque certatim studebat. Nec verò se alter suspici in arte sine alterius deiectione arbitrabatur. Nobilis quidem æmulatio de Artium liberalissima: quæ, dum fingit Naturam, Naturæ præcellentissimum munus ingenium humanum perficit: Alludit ludenti tot in formis spectabilium vndique rerum: docet speciosiorem fieri posse speciem eius, adscitis ingenio pigmentis; addit pretium imaginibus ipsius originarias reddens transumptis exemplis: cogit in stuporem suæmet ipsam formæ depereuntem, veriorem Narcissum. Quid moror? Procinguntur Artis magistri ad certamen, opere quisque suo ad genium elaborato. Condicunt diem. Prodeunt in forum confluente ad spectaculum Ciue promiscuè ac peregrino. Ibi omnibus intentissimis exigit periculum artis alter ab altero, iudicium à nemine; vsque adeò studuerant captandis aspectibus, vt oculos cuiuslibet tam Iudices, quàm spectatores admitterent. Prior Zeusis audax, imò impatiens moræ conscientia felicissimi operis, vitem in tabula onustam vuis profert, iudicio præsenti auium ad numeros Naturæ sinceros, ad vltimas lineas expressam; vt meritò illæ inter acclamationes admirantis Ciuitatis subito volatu, petulantissimisque rostris impetere non timerent. Iam ad Parrhasium conuerti omnes, hærere vno intuitu, num tantæ virtuti obijcere posset ad palmam. Sed plausus æmulo dati auxere huic fauorem fortunæ. Hic ergo addito ad virtutem dolo victum se simulat, renuit rogatus concurrere. Tandem diducto pallio profert egrè tabulam suam, stimulante insolentiùs aduersario,

fatio. Referebat ipsa veluti obtentum velum imagini, sed ita scitè pictura expressum, vt illud verùm ratus vrgeret idem aduersarius submoueri, spectandæ latenti imagini. Tu verò Heus (inquit) tu quoque tuam expone operam; iam detrahe velum. Tùm Parrhasius, Tu potius, inquit, detrahe, ne mea ipse deuelem pudenda. Iam enim certaminis tu palmam præripuisti, Vix, cùm admota Zeusis manu, picturæque fallacia cognita, attonitus, Tu, inquit (fateor) iam habes palmam; siquidem ego Aues rationis expertes, tu hominem consultissimum artis fefellisti. Simile quiddam vsuuenire mihi videtur hodierno congressu (Nobilissimi Auditores) quo expromptas de Oratoria Elocutione Theses è Rhetore Vincentij Galli præstantissimi Viri proponere iubet disputandis eius, qui habenas ingenij mei moderatur, auctoritas. Quamquàm enim seruato more maiorum postulare res ipsa videatur, vt eliganti aliqua, & bonis ornata luminibus oratione pro argumenti dignitate proludam: Nihilo tamen minùs inelegantiæ mei ingenij conscius, atque in dicendo ieiunitatis non modò non deterreor à disputandi instituto; sed, quod habet miraculi speciem, excitari me sentio maiorem in modum, & certam victoriæ spem concipio; vt eadem, sin minùs virtute, fortuna certè cum Parrhasio vsus, charactere meo incompto, quasi rudi velo speciosissimam ipsius Elocutionis imaginem tegens, æmulos etsi ingenio, ac eloquentia multò superiores, congressu hodierno propellam. Sed hæc fatis permittamus. Intereà siquis adest inter vos, Egregij adolescentes, non dico alienæ inuidus, sed suæ studiosus gloriæ, ne renuat de pulcherrima parte orationis oratoriæ, hoc est de Elocutione certamen instituere, & inuictos conatus consummati Rhetoris cum imbecillis tyrunculi viribus committere.

GRATIÆ.

QVàm possum maximas ago, quia pares non possum gratias vobis, Humanissimi Auditores. Verùm ne agere vllas quidem licet, cui magnitudo meritorum vestrorum velum silentij magis exhibet, quàm picturam dicendi. Itaque quod Parrhasio præstantia facultatis, hoc idem mihi tenuitas suggerit: fortunatiùs tamen mihi, qui ex infelicitate ipsa peto felicitatis materiam.

RHETO-

RHETORICA GENERATIM.

Pro Impugnatore.

LEpidum eſt, ac dignum adagio, quòd in audaciorem Ariſtarchum aliquando ab Apelle refuſum tradunt. Hic depictam tabulam è pergula in omnium conſpectu exhibuit, quò prætereuntium cenſuram latens ipſe ponè tabulam liberiùs exciperet. Scilicet homo emunctæ naris non proprio magis iudicio, quàm alieno niti ſecùrius ad immortalitatem ſui nominis intelligebat. Inter alios ergo, atque alios prætergreditur Sutor. Pictura conſpicata ſubſiſtit, contemplatur vocante genio crepidas; capit vna intùs pauciores anſas; auſcultatur cauſæ ſcilicet illius arbiter iuſtus. Sed mox vſurpato iure ad cauillanda crura prolapſum, *Hem*, inquit Apelles, elata voce compellans hominem, *Ne ſutor vltra crepidam*: Sic cenſuram picturæ cenſura confutauit audaciæ. Hoc tu mihi facilè obieceris (Ornatiſſime Adoleſcens) quòd ipſe impolitus ingenio, impolitus oratione; nihilominus de Arte illa, per quam ſermo expolitur, diſputare contra expoſitas per te aſſertiones non dubitem. Verùm quod audaciæ alioqui vertendum fuerit, cùm noſtri Moderatoris cogat imperium, virtuti abs te potiùs atque officio tributum iri confido.

RHETORICA GENERATIM.

Pro Impugnatore.

CItharædum te facio (lectiſſime Adoleſcens) Philomela ego dum prouocor ad muſicam pugnam. Non tibi certè deeſt numerus ad eum abſoluendum, quem olim STRADA proludens ad Claudiani modos belliſſimè cecinit. Adeò te ſcitè linguæ plectrum tractare, explorare argumentorum fides, percurrere argute omnes cæſim, iunctim pro Cauſæ menſura. Denique ipſo Eloquentiæ ſono demulcere, incendere, reſtinguere, ſimul aures ſuſpendere, atque animos agitare, qua modò proluſiſti, diſertiſſima Præfatio teſtis eſt. Tecum igitur congredi de ſono Rhetorico, etſi canoræ auiculæ; mutæ tamen animantis auſum fuerit; quidem longè temerarium, nihilo minùs damnandum in homine orationis compote, quàm Stradanum illud ſolo lepore fabulæ probandum. Sed ſi tamen fabulari iuuat non ad oblecta-

oblectationem magis, quàm ad commodum, quid est, cur Philomelæ partes detrectem, quamquàm iacturæ præſcius? Oblectabo te fortè inſtar illius vel ipſam aſperans atque offuſcans vocem. Certè meo commodo ſtudebo, tuis intentus argutijs. Cæterùm ſicut exanimata Philomela Citharædi virtute triumphum illius ſuo funere honeſtauit, par nacta ſepulchrum, eiuſdem in quod decidit, plectrum: ſic tua de me victoria tam mihi vtilis fiet, quàm tibi honorifica.

RHETORICA GENERATIM.

Pro Impugnatore.

IN contentione laudis vtri Ciuitatum Græcarum concedenda ſit palma, Olympiæ Theatris celebri, an Athenis Academia nobilibus, Cauſa in ancipiti adhuc poſita præiudicari ab illa expectat; Armanè literis, an literæ armis concedant. Perorant vtrinque diſertiſſimè fundatores, hinc Hercules, inde Plato: ille meritus cætum Deorum, hic Diuini cognomentum. Certè ſtudere ambos Reipublicæ, nemo neget alumnis innumeris ad clauum aſſumptis. Verumtamen Olympico pulueri quis neget præcellere munditiem animi, exercitationi lacertorum culturam ingenij, oleagineæ coronæ lauream? Sed & ludi illi thetrales ferinum quiddam redolent, militaria nimirum ſpectacula tam immanitati finitima, quàm aliena ab humanitate, cui potiſſimùm Academica ſtudia nata ſunt. Verùm diremerint hoc alij. Te quidem, Egregie Adoleſcens, quòd magis iuuat vmbra Philoſophantium, quàm Sol Athletarum, planè demonſtras prudentiam maximam, vt honeſtius eſſe putes ad gloriam, Diuinum inter homines cenſeri, quàm inter Deos hominem. Ergo vt votum impleas, aggrediar homunculus perſpicuum ingenium tuum quibuſdam obiectis laceſſere.

RHETORICA GENERATIM.

Pro Impugnatore ſecundo loco.

EXcipio ſecurus prouinciam, quàm antè reformidabat mihi mens, refugiebat genius, pallebat conſcientia imbecillitatis meæ; virtutis verò tuæ notitia reclamabat, Nobiliſſime Adoleſcens, Mirum tamen, vt apud me plus valuit ſodalis exemplum,

plum, quàm robur Aduerſarij. Scilicet (vt ait vulgus) Leonibus animoſiores cerui, Leone Duce; Ceruoque Duce timidiores Ceruis Leones. Sed me animauit in primis, quod de Ceruis ipſis vulgauit fama, traijcere maria gregatim nantes, ſuggerenteque animos neceſſitate imperare ſibi ipſis virtutem, ita vt præeat erecta ceruice animoſior: inde porrecto ordine reliqui capita imponant præcedentium clunibus, donec ille fatigatus, abdicatoque primatu ad terga poſtremi per vices abeat recreandus. Itaque nec pelagi immenſi vortices timorem ijs faciunt, nec terræ aduerſi littoris inuiſæ ab inſtituto reuocant: Adeò pollet Ducis ſtrenuitas vel in meticuloſis, & natis ad fugam animantibus. Sic ferè de me ipſe vſurpabo. Trepidum reddebat meritò ingenioli mei tarditas, hebetudo, inopia, quò minus tecum in arena iſta congrederer. Ipſum Moderatoris imperium fruſtra vrgebat reluctantem, quem nutus aliàs expugnabant. Debeo ſodali meo Adoleſcenti magnanimo, quòd ſubeo victus negocium: Debeo exemplò ſingulari eius virtutis, ſolertiæ, ſtudij, quòd excuſſo metu non dubito illiteratus literatiſſimum adoriri, infirmus fortem, inermis armatum, ac tanto Duce excitatus inire alacer pugnam, tentare victoriam. Impugno itaque &c.

RHETORICA GENERATIM.

Pro Impugnatore.

Dictata Iacobo Lapio Florentino Cum alluſione ad eius nomen gentile.

NE mirere, Nobiliſſime Adoleſcens, expoſitis per te Rhetoricis theſibus ingenium illicò meum prouocari, & quaſi claſſico cieri ad ſingulare certamen. Carere æmulo non poteſt ſingularis virtus, quemadmodum nec vmbra Sol. Sed & hunc ex vmbra clariorem, quàm ex radijs ipſis diſpicimus: & illa tum demum triumphare cernitur, ſi quando aliena conſequatur inuidia. Quamquàm nulla me aduſſerit inuidia tui, quem ſingulari præ alijs beneuolentia complector, obſeruantia proſequor. Neque minus temeritati vertendum, quod ego amicè te impugnem, nouitius veteranum, tyro expertum, illiteratus eruditiſſimum, homo LAPIDEVS (fatebor ingenuè, nec ſine gloria) homo, inquam, LAPIDEVS Phœbum alterum. Sequar enim exemplum Memnonis illius marmorei, Priſcis tantoperè memorati;

qui

qui mane aduersis Phœbi radijs non tàm percussus, quàm animatus articulata ad miraculum voce vel arguebat ferientem, vel illucescentem salutabat. Te igitur Eloquentiæ iubar, dum ex isto suggestu nobis affulges, audebo securus arguere articulata, quamuis incompta voce, nonnullas ex propositionibus tuis, dissertationis gratia impugnans.

RHETORICA GENERATIM.

Speciatim de Oratione pro Impugnatore.

OPpugnaturus theses quàm scitissimè per te depromptas ex GALLI RHETORE (ingeniosissime Adolescens) etsi Moderatoris mei nutu, non mea mè sponte procingo, non magnopere tamen reformidare non possum nouitatem prouinciæ, quæ mentis inopiam, & consilij peritissimo cuique facesserit. Quem enim hic lapidem primùm moueam, aut quid contra dignitatem Orationis pertentem, vnde non miseram mihi protinus ruinam consciscam, & periculo temerario certissimum exitium creem? Et quidem siue tu viceris, Generose athleta, ego causâ excidero, Orationis firmitatem irritis meis conatibus periclitatus. Siue ego victoriam eripuero, Orationis certè causa integra persistet, quod præsidio ipsius, & armis ex hodierna dimicatione triumphauerim. Quid igitur? Ignauum est silentium, si audax, ac temeraria oratio. Sed & ipsa audacia ingenuitatis fortè comes est; & ipsa plena consilij temeritas. Audebo igitur: Et, vt iucundum vobis, Ornatissimi Auditores, exhibeatur spectaculum, Oratione munitus cum Oratione ipsa congrediar: vt eadem ipsa, quæ mihi arma suppeditat, campum quoque certaminis præbeat, ac segetem triumphi. Arguo igitur contra, &c.

RHETORICA GENERATIM.

Pro Impugnatore.

Cum allusione ad nomen gentile Propugnatoris.

ME, quantùm argumenti amœnitas ad disputandum allicit, sodalium æmulatio prouocat, Institutoris imperium cogit: tantumdem absterret, ac reuocat cùm tua spectatissima virtus (Egregie Condiscipule) tùm quod præfers acceptum à maioribus

nomen ſanè plenum auſpicij. Ità quod felicitatem tibi certam portendit, id mihi infelici prorſum auſpicio vertitur. Nam quis non brauium cui cederet à certamine Rhetorici curriculi, conſtanti vaticinio proclamauerit, cùm primùm accepit, decretum ex alijs Franciſcum Curſium, qui decerptas ex Auctore RHETORIS poſitiones publicè propugnaret? Eum quippe non tàm curſurum in ſtadio valenter, quàm gloria præcurſurum aduerſarios, ipſa nuncupatione præiudicium non ambiguum faciente. Ego igitur quid prodeam tecum in arenam initurus negocium, aut quid congredi tentem infirmus cum valente, tardus cum præpete, nouitius cum veterano? Recreat me tamen illud, atque erigit, quod nullius exiſtimationis cùm ſim, nullius nominis apud ſodales palæſtritas, vti nihil deperdam in certamine ſuperatus, ſic non parum aliquid parauero ſimilem tui Athletam aggreſſus: vt ſin minùs eruditionis atque ingenij; ſolertiæ certè atque honeſti auſi commendationem apud hunc florentiſſimum ſpectatorum cætum mihi iure pollicear. Impugno igitur duas ex tuis poſitionibus, &c.

RHETORICA GENERATIM.

Vel quæuis Scientia generatim pro Impugnatore.

DEdignarere, metuerem, congreſſum meum (magnanime adoleſcens) niſi perſpecta cum multiplici iſta eruditione ſingularis tua virtus, & in ſummo gloriæ faſtigio ignara faſtus modeſtiæ meum confirmaret animum, incitaret ingenium. Non enim iniuria delectum Athletarum habebat Alexander iam tùm ephœbus, Magnus ille vel in ætate paruula, cùm aliquando inuitatus curriculo decertare; *Sanè*, inquit, *ſi habuero aduerſarios Reges*. Et verò quid Magnus, niſi cum magnis concurreret, eò illuſtrioris cupidus palmæ, quò ſimiliorem ſortitus aduerſarium? Tua te ſtrenuitas (nobiliſſimè candidate) in eò ſtatuit honoris, ac præcellentiæ gradu, iure vt exprobret mihi conſcientia, quòd auſim manus conſerere cum Magno minimus, cum ſtrenuo iuualidus, cum egregio gregarius, cum Imperatore lixa; denique cum rude donato, omnibus rudis donis, ac præmijs literariæ palæſtræ. Ita planè, ſi tantùm literaturæ penſum habeam, non etiam illarum virtutum, quæ præter ingenium, animum quoque inſtruentes, magnanimum efficiunt hominem. Itaque quantùm eruditio tua, & mentis vigor abſterret à cæpto aduerſarium, tantùm

tantùm prouocat facilitas ista, & incomparabilis moderatio, vt me maximè iuuet ab ea vinci, & cuiusuis loco victoriæ ipsa mihi iactura reponatur. Quod ergo exponis in thesibus, &c.

RHETORICA GENERATIM.

Vel quauis Scientia generatim pro Impugnatore.

EXequor ductum Intelligentiæ Cæli mei, iussum Moderatoris. Exhibeo impugnator harum Thesium spectandum Solis defectionem cum horrore vulgi, sed vestra sapientissimorum Virorum cum altiore indagine. Si quis tantùm in Adolescente isto, qui partes Propugnatoris agit, obseruauerit æmulam Solis claritatem non modò generis, sed ingenij quoque, solertiæ, eruditionis: In me verò Impugnatore cornibus dilemmatum, saggitisque enthimematum instructo, Lunæ bicornis importunum obiectum subtrahentem mortalibus Solis faciem; habebit vtique, quod statim imprecetur, quod diris impetat viduantem omnia, violantem, corrumpentem, perduellem Naturæ vniuersæ, quæ sola sine Sole iacet, ac cæca. Nihil tamen sic Solem pandit, vt qui occulit: nihil sic eius lucem commendat oculis nostris, vt cùm paulisper subtrahit: nec diem tu cernis serenius illucescere, quam si præuiæ noctis tædio fatigatus fueris. Augetur itaque defectione ipsa fulgor Solis, crescit pretium lucis interstitio tenebrarum. Nequaquam poterit (quis iam neget?) eruditionis tuæ lumen, Præstantissime sodalis, explicari latiùs, quàm si Lunæ subobscurum corpus, hoc est obiectorum meorum densitas offeratur. Sic non infausta dicenda Ecclypsis, quæ fructum mihi vberrimum sapientiæ ex eruditis responsis tuis, quæ claritatem tibi gloriæ maiorem ex obtrectatibus meis importunis pollicetur.

RHETORICA GENERATIM.

Seu Academica generatim pro Impugnatore.

ARenam istam Palladiam dum meditor tecum (Magnanime Adolescens) hæret in limine animus, & secum certaminis genus voluens simul reuoluit Romanorum quondam fortunam, & Albanorum. Ecquid est (sic ipse mecum) quod Tute adoriris? Ecquem denique putas casum subire? Præliaris cum potentissimo: Comminuaris ergo, necesse est, quamquam & ipse potens,

Parum eſt. In vnius horæ dodrante compendium moliris: Vide ne diſpendium potiùs laborum omnium, quos latè deſudaſti, quos exantlaſti literarijs in ſpatijs. Id quoque parùm. Etiamnè fata tuæ claſſis, commilitoni committis? Horatium (credo) te tibi fingis, Curatium Aduerſarium. Vide obſecro, ne occupata interitu gemino eius victoria victimam te ſui portendat. Et quidem Curatius cura tibi fuerit, & ſolicitudo, ne expers virtutis etiam dolos æmuleris: ne Romanam gloriam imbellis affectes: ne deniquè Albano victori album relinquas calculum. Sed illud animo ſuccurrens recreat, ſtudium longè aliud vtriuſque noſtrum eſſe; longè igitur aliam fortunam. Neque enim procingimur ad Martem cum ijs, ſed ad Mineruam: Non habemus diutinum, quod dirimamus, bellum; ſed fœdus cum Muſis noſtris diutinum nobili prælio conſtabilire paramus ad lauream immortalem. Erit itaque non pauendum mihi hocce virtutis periculum: Erit mihi ſine ſorde collectus hic puluis: Erit compendioſa hæc altercatio non ſanè abſque compendio; Tibi quidem (O egregie) dignitatis, & plauſus: Mihi verò fructus non modici. Sic fiet, vt victus ego ab ingenio Romano, hoc eſt inuicto atque acerrimo; iacturam tamen meam albo lapillo, optatiſſimo quaſi trophæo Albani ingenij glorioſus conſignem. Iam ergo aggredior partem illam tuarum Aſſertionum, &c.

RHETORICA GENERATIM.

Seu Academica generatim pro Impugnatore.

Primo loco.

Agunt inuitum fata in hanc arenam (Viri Spectatores) vt primus ego tantum ingenium Commilitonis adoriar. Ignorem, creditis, vulgatum illud ex contentione Decij, Fabijque problema: In prælijs vtrumnè præſtet: Aduerſum ſuſtinere impetum, ſuſtentoque hoſtem vrgere; An primùm impetu facto premere. Ignorem ex his inclytis Romanorum Conſulum, ex his belli machinis formidandis, ſpectabilem quidem extitiſſe Decij virtutem, qui acerrima impreſſione, immanique conatu hoſtilem irrupit in aciem: Fabij verò prudentiam Reipublicæ afflictæ votis magis conſonam, & opportunam: quippe qui ſat habuit ſuſtinuiſſe hoſtem, vtilius fore ratus, ſi cunctabunda lentitudine obnitens, impetum ſuum ad extremum reſeruaret, vbi hoſtis calore

lore

lore primo restincto deferbuisset à pugna. Egonè Decium æmulatus, meam sin minus vitam, existimationem certè turpi aleæ committam? Siquidem ipse exitus etsi vtrique gloriosus probauit, vtri tandem fuerit sanius consilium; vtri nobilior triumphus: Atratusnè funere Imperatoris, an clarus pompa seruati? Cupressunè lemniscatus, an lauro? Nisi forte inijsse aduersarium non sua spontè, sed nutu Imperatoris: non præripiendæ palmæ, sed suggerendæ causa; vrgendi non tam pugna, quàm victoria hoc mihi fortunam sistit, hoc firmat aleam communis cum aduersario victore triumphi. Adoriar ergo te, adoraturus virtutem: impugnabo propugnaturus dignitatem: refragabor suffragaturus plausibus: inuadam euasurus consors gloriæ, trophæi collega. Quòd igitur asseris in These, quæ est in ordine, &c.

A C A D E M I C A.

Ad expositionem Græci Epigrammatis dictata post ortum Caniculæ.

Καλὸν ἀκουέμεν ἐστὶν ἀοιδοῦ
Τοιοῦδ', οἷος ὅδ' ἐστὶ, Θεοῖς ἐναλίγκιος αὐδήν.

(Ὁμηρ. Ὀδυσ. α.) Vsurpabo fidenter hoc ex Homero inuitamentum, vbi parem encomio Poëtam expono N. (*exprime nomen Poëtæ, cuius interpretandum est epigramma*). Neque enim timeo exprobrari mihi leuidensæ operam: quasi vel vulgarem è poëtis delectum habeam, vel genus argumenti de triuio apud hunc grauissimum cætum auso temerario meditatum. Qualis notæ censeatur hic noster, & qualis in literaria Republica celebritatis, iniurius profectò essem in vos, Viri Auditores. literarum non tàm alumnos egregios, quàm parentes, si adscitis testimonijs, aut recensis ingenij illius opibus, planèque gemmeis carminibus laborare in hac parte quidquam vellem. Ipsa vulgatissimi nominis appellatio ignaris instar est testimonij cuiusuis, & encomij. Nec puto fore vestris absurdum auribus, quamquàm seueriori acroamatum stylo assuetis, quòd poëtica hodie pertractem mitia in primis auditu, & ad delicias ingenij nata; non illa solum de causa, vt amœnitate ipsa materiæ vestras paullùm demulceam à solibus æstiuis ægras mentes, præsertim cùm solito nunc vehementiùs (vt ait Homerus) ἥλιος φαέθων ἐπιλάμπεται ἀκτίνεσσι: Verùm quia, cùm Poësim dico, nihil minùs, quàm Philosophiam interpretor. Vnum enim vtrique istarum est spatium, quod procurrant;

currant; vna vtrique meta, quàm teneant, quamquàm ſtudio diſpari: Vnus idem Roſcius in ſcena productus, ſed varia in perſona. Miratur hoc aliquis tanquàm liberius dictum? Miretur potiùs ipſius Poëſeos conditionem, quæ *hoc ipſo* (inquit Magnus Albertus) *quòd hominem in admirationem adducit, dat modum philoſophandi*. Minùs autem eſt, modum dare, & quaſi claſſicum philoſophaturis canere. Vultis eam ampliùs in philoſophicis caſtris militantem? *Poëſis* (ſubdit Albertus) *ratione metri quo ad menſuram ſubeſt Grammaticæ, quò ad intentionem pars quædam eſt Logicæ*. Ego verò maius aliquid ſubijciam cum Strabone, Ex dicto videlicet ſapientiſſimorum inter veteres: *Primam quandam Philoſophiam eſſe Poëticen, quæ ab ineunte nos ætate ad viuendi rationem adducit: quæ mores, quæ affectiones edoceat, quæ res generoſas cum iucunditate præcipiat*. Adhuc illud maius, quod idem aſſerit Strabo, poſteriores antiquis literatos: *Solum Poëtam ſapientem* affirmare. Exemploque dictum roborat, quòd Græcorum Ciuitates ab ipſo primordi[illegible] liberos ſuos in Poëticam erudirent non id vtique voluptat[illegible] caſtæ moderationis cauſa. Minùs eſt igitur, quòd miremur obſeruantem Quintilianum, ſententijs poëtarum non orationes ſolùm eſſe refertas, ſed etiam libros Philoſophorum; & quamquàm inferiora omnia præceptis ſuis, ac literis credant; non faſtidiſſe tamen à pluribus verſibus authoritatem repetere. Eſt ideò poëtici ſalis, ſed conditum ſapientia dictum Homeri, in Clytemneſtræ cuſtodia eſſe poëtas, cantores, & caſtigatores, vt qui Philoſophi ſint, & ex Muſis omnia ſciant. Siquidem ad cantum naſcuntur poëtæ, & ipſo munere σωφρονιστὰς, ideſt caſtigatores quondam agebant. O verò noſtri temporis cantores aliqui non tam à Græco ἀείδοντες, quàm Λαίδοντες à græcando. O poëtæ mero plus operæ dantes, quàm Homero. An non ſapientiſſimus mortalium oraculo cœleſti prænunciatus Salomon nuncium vino remittendum putauit: iſti mero innatantes affectabunt ſola appellationis græcia, vt ſe ſe & εἰδεῖν hoc eſt cognoſcere, & ἀείδειν planè cognoſcere omnium rerum abſoluta comprehenſione glorientur? Iam demus poëtis, oportet, philoſophicam lauream; & quemadmodum Platonem ex vſu frequenti allegoriarum fateri poëtam cogimur; ita Maronem, & quiſquis alio idiomate paribus veſtigijs inceſſit, philoſophum agnoſcamus, dum ille ſua in Æneide quaſi tabula depingit allegorico penicillo vniuerſam moralis philoſophi diſciplinam. Nihil verò intereſt, cur in lyceis ſeuerum exhibeat philoſophia

ſuper-

supercilium, in theatris facilè; cur illic senticosa monstretur, hic florida; illic acutè differat, hic amænè. Neque enim eadem vna est ætas hominis, cui formando illa studet: neque genius semper idem, qui licet sagax, & vegetus, amat nihilominùs ocia negocijs interponere: & curarum contumaciam iucundis identidem commentationibus castigare. Quamuis

Ἔργον γε λύπην ἐκφυγεῖν, ἡδ' ἡμέρα
Ἀεί τι καινὸν εἰς τὸ φροντίζειν φέρει.

Quare si neque infans solidioribus ferculis arridet, neque à lacte abhorret penitùs grandis ætas, cùm & senectus miseri Cimmonis vnius lactis alimento è filiæ mammis diù steterit: Ita & puerorum teneritati instillatur per fabellas poëtarum instar lactis institutio ad sapientiam: nec importuna redditur hodie poëtica dissertatio in cætu virorum illorum, qui à multis cùm forensibus curis, tùm clamosis scholæ congressibus fatigati iucundius aliquid appetunt, quo recreentur. Ergo agite, & N. vatis elegantissimum epigramma ex præscripto artis interpretandum excipite.

GRATIÆ.

Gratias vobis de more acturus pro præstita mihi facillima audientia, duo illa ex antiquo Monosticho iustè proferam, vnum mihi competens, alterum vobis. Nimirum

Κάριν λαβὼν μέμνησο, καὶ δοὺς ἐπιλάθου.

Ita fiet, vt & vestra vobis humanitas iam nunc obliterauerit in mente gratiam, & mihi æternis eam notis insculpserit.

RHETORICA VEL ACADEMICA.

Cum Disputatione de symbolo Academico OCVLATORVM in Oppido Piscia apud Hetruscos, dicta à nobili Discipulo Ioanne Chelio.

ITanè verò, Piscienses, Academia nos tandiù caruerimus? Itanè Hetruriæ hæc ora lectissima pulcherrimæ quondam ditionis caput, Florentis Reipublicæ sedes, postmodum verò vrbanitatis omnis, & cultus politioris emporium, illud habuerit neglectum præsidium, vnde omnis potissimùm efflorescit vitæ ciuilis splendor, & traditi à maioribus Imperij stabilitas in omnem posteritatem protenditur? Itane homines exteri ab remotissimis terris appellentes mirati fuerint in agro Pisciensi faciem hanc ridentis benignius Naturæ, saluberrimi Cæli clementiam, inexhaustam

hauſtam aruorum vbertatem, atque cum vbertate certantem telluris amænitatem quà placidè ſurgentis in cliuos, quà deſidentis molliter, & in plana ſe ſe pandentis: Commendauerint ad hæc maritimi portus propinquitatem, finitimarum commoditatem Vrbium, lacuum, fluminumque delicias, ingenia cum primis incolarum viuida, & ad egregia quæque munia maximè præcocem indolem: Tot verò iſtis, tamque præclaris Naturæ beneficijs haud liberaliter reſpondere viderint conſilium maiorum noſtrorum in decernendo, more illuſtrium nationum, Ephebio, educandis ingenuè noſtris liberis, quos ad propagationem fortunatiſſimæ Patriæ tam munificè nobis, ac ſplendidè ſydera largiuntur? Itanè, dico, induſtriam illam noſtram nulli gentium poſthabendam vnis aut congerendis pecunijs, aut exædificandis magnificis tectis, aut theatralibus ludis inſtituendis, aut ſaltibus auerruncandis dilatandæ culturæ terrarum, aut demum conquirendæ ſumptibus inſanis domeſticæ ſupellectili contulerimus, nihil curioſi, nihil ſoliciti de publica morum diſciplina, in qua quidem veriores ſitæ ſunt hominis opes, quæque omni ſecuriùs patrimonio filijs atque nepotibus tranſmittuntur? Fortunatam verò noſtram ætatem, Auditores, quæ duas ipſas vno naſcentes tempore Academias videt, quibus vt binis cardinibus ſubnixa, noſtra Piſcienſium felicitas vertigine immortali perennetur. Sed vna fundatorem ac Principem veneratur? IOANNEM RICCIVM Præſulem noſtrum Illuſtriſſimum: Altera Sereniſſimorum Principum auſpicio parentem colit ſuum Octauium Boldonium huiuſce Sodalitatis Antiſtitem. Illa virorum eſt, hæc adoleſcentum. Veteranorum illa in caſtris literarijs, hæc tyronum. Illa rudem emeritis decernit, hæc ſtipendium rudibus: vt proptereà vnam ab altera diſtrahere nefas ſit, quando illi iſta aditum munit, & per hæc iuuenilia ſtudia grauioribus ijs ingenij periculis perbelle proludit. Gratulor itaque vobis etiam atque etiam, Viri Academici, veſtram in tam præclaro conſilio primigeniam gloriam. Gratulor & vobis, Adoleſcentes egregij, conſortem iſtam, concordemque Academiæ fortunam. Gratulor demum Patriæ vniuerſæ hoc ipſum, quod in commune redundat, bonum; felix illud, fauſtumque ab immortali Deo, ac tutelaribus Diuis apprecans. Sed mihi adoleſcenti dabitis hanc veniam, Auditores, vt meam potiùs Academiam hodierna ſereniſſima luce exornem,(quando altera nec patitur puerilem meam, & pene infantem eloquentiam, nec ſuos hactenùs deſiderauit robuſtos & conſummatos oratores, ſua nimirùm dignos ætate, ac

suo Principe) & quàm præclaros ex mea fructus ingenij, quàm eximia commoda tùm priuatæ rei, tùm publicæ præstolari liceat, exposito recente ipsius symbolo de more solemni patefaciam. Hoc igitur esse placuit Academiæ nostræ symbolum. In agro campestri compositum retibus aucupium. Stat suppositium in medio nemusculum è cædua quercu. Circùm cauea frequens captiuas pellices auiculas tenet, fallendis, nimirùm peregrinis. Quarum ecce grex aduentitius specie varia, sed passere præsertim, & pica, è ramis, quibus vix tùm insederat, dum retia fune traijciuntur, ocyssimè auolans, insidias aucupis eludit, colluditque desuper inscripto lemmate FRVSTRA IACITVR. Alludit autem ad illud Salomonis, Prouerbiorum primo: *Frustrà iacitur rete ante oculos pennatorum*. Simul ipsis peropportunum subministrat Academicis nomen OCVLATIS. At huius bonitatem Symboli (quoniam mihi etsi immerito Censorij fasces obuenerunt) vbi Academiæ consilium exposuero, vos vna mecum adhibità disputatione, ceu lydio lapide probabitis. Agite iam, Auditores, qualis in illo campestri agro campus excultis ingenijs aperitur? Quàm non modò ad dicendum spatiosus, sed speciosus etiam ad contuendum? Videlicet in hoc ludicro studio perquàm serium acroama percipitur: In agresti scena politioris vitæ referuntur exempla: denique in aucupio aucupari fas est pari cum fructu, ac voluptate, quid tandem nostrates ephæbi apud Patres Barnabitas affectent. Quemadmodum enim hic aues tùm sagacitate sua, tùm exemplo monitæ oculatissimarum comitum picæ, ac passeris capturam retium ingruentium effugientes, natiuam sibi tuentur libertatem: ita vitiorum illecebras, quibus ferè iuuentus patet, declinare parant Academici, ad egregia excitante indole, prouocante exemplo, coæuis corruptis (si qui fuerint) frustra insidiantibus. Sed exponamus rem planiùs, Auditores. Agrum campestrem placet nostram nuncupare Patriam, excultam olim (quis neget?) iam inde à suo exorsu vetustissimo publicis, priuatisque institutis puerorum, velut ad messem ditissimam. O quæ vestigia huiusce culturæ agnoscitis Ciues? Heu inquam, Ciues, ergonè sola dabitur agnoscere vestigia tantæ culturæ? At vos, Adolescentes, agnoscite in campestri agro horrentem agrestis animi faciem. Cognoscite quid tandem felicitatis, quid solidi boni inimica Virtutis Voluptas pollicetur. Incultus hic ager vix offert viriditatis nemusculum despicatum; ne illud quidem natiuum (si benè caueatis) sed insititium: Videlicet si quæ spondentur deliciæ intemperatis hominibus, adscititias illas, & breui

Sole ætatis perituras intelligite. Nec afferunt voluptatem concentu suo auiculæ dispositæ; sed fraudes afferunt, dolos attexunt: dumque omnia circùm modulationibus complent, vbique laqueos incautis tendunt: Cautis verò vobis, atque OCVLATIS argutè detegunt hoc typo, declinandum esse non animo solùm, ac studio ab assentatoribus, & corruptoribus morum, sed commercio quoque, & vsu, atque adeò conspectu ipso, Iuuenes, procul auolandum. Hocce nos Oculatos Orbi probabit, hocce hominis dignos nomine. An verò Princeps animantium ideò censetur homo, quia sensuum instar brutorum inseruit cupiditatibus, paret blanditijs, motibus obtemperat? Nec potiùs dignitatis, seù (meliùs) Diuinitatis conscius, generosa velut Auis, arrepto mentis volatu in oras Cœlestes liberè expatiaturus euehitur? Sed quid ego hic pluribus? Iniuriam facio Sapientiæ vestræ i Viri Audirores; Ingenio vestro; Adolescentes, huiusce Argumenti sensa curiosiùs pertentans. Nec mea interpretatione, Viri, opus habetis, qui vel mutum picturæ sermonem optimè capitis: Nec luce mei sermonis, Adolescentes, qui satis per vos OCVLATI, nouistis inter communes coëuorum tenebras depræhendere, ac declinare latentes insidias. Agite nunc. Disceptemus si placet, de propositi Argumenti bonitate. Patescit campus, prodeamus in medium.

Oppugnant duo ex Academicis Prioris oppugnatio.

EXquisitum prorsùs, & ad Polycleti normam absolutum argumentum pari cultu orationis persecutus fuisti (Egregie moribus & ingenio Adolescens) planè vt nesciam, quid hic potiùs demirer, argutiam commenti, annè styli amænitatem. Certant inter se ambo; nec tam tueri dixerim alterum alterius dignitatem, quàm vtrumque inuicem de venustatis palma contendere. Nam illud, vnde bonitas argumenti commendatur, summum præfert acumen in summo compendio; Hic varium ac multiplicem florem in campo patentissimo latè diffundit. Illud in angustijs bellissimum est; Hic felicissimus in amplitudine. Denique nihil illi adimi; Huic nihil addi meo iudicio potest. At quemadmodum olim in Eunomij lyra cicadam consedisse aliquando ferunt, & quacunque poterat vocula concentum fidium delicatissimum prosequutam fuisse, æmulam Principis Citharœdorum argutissimam: Non absimili ratione cùm symboli nostri encomia tuæ ipse vocis mellitissimos neruos feriens concinueris,

Ego qui & ingenio, & eruditione vix impleo exiguæ cicadæ numeros, interpellare audeo orationis tuæ concentum, & quasdam voces fundere, quibus encomia ipsa non magis interrumpens, quàm distinguens, eo iucundiora circumsistentibus reddam, quo garuliores eæ, ac insuauiores videbuntur.

Illud igitur primùm carpi posse à Zoilis video in Argumento proposito, quòd figuram ornaueris eo lemmate. (FRVSTRA IACITVR) Te enim in huiusmodi disciplinis amænioribus versatissimum præterire non puto, exponi quandoque singulariter figuram, quandoque lemma: Vt ideò vel consuetudinem hanc summorum ingeniorum damnandam vel alterutram certè partem in argumento nostro redundantem fatearis. Neque enim religiosè minùs cauetur, nequid huiusmodi argumentis necessarium desit, quàm nequid luxuriet: Cùm vel ipsi apices in lemmate ad examen vocentur. Prætereà cùm ex proprietate figuræ peruestigandum sit arcanum mentis consilium eius hominis, à quo propositum argumentum: non video, cur istic & euolantes aliàs aues ex retibus, & aliàs in caueis, ac laqueis tentas defendere tutè possis. Nam vt probatur eruditis viris figura singularis ac simplex, ita hæc multiplex, & varia improbetur, necesse est; cùm intuentis mentem confundat veriùs, quàm illustret: &, quæ operibus alijs elegantiam varietas affert, auferat ea potissimùm huic operi humani ingenij maximè portentoso.

Propugnatio.

INgeniosè admodum nobilis alumnus Palladis obiecit Argumento nostro, felicior (credo) quàm illi ipsi, quos in Argumento cernimus capiendis auiculis retia expandentes. Verumtamen quod fuit ingenio fictum ingenio item facilè resoluetur. Non inficior equidem occurrere passim lustranti monumenta eruditorum lemmata aliqua singularia in clypeis, aliqua item symbola sola figura contenta. Sed illa in numero Argumentorum minimè censeri, quandam autem constituere commenti speciem ab Argumentis nostris discretam, quod placet nomine lemmatis, aut epigraphes, aut etiam epigrammatis nuncupare. Porrò huius rei apertissima succurrit ratio, quòd id genus lemmata sententiam Auctoris absoluunt, ipsaque per se absque figuræ præsidio oculos lectoris implent. Sic ædes Iasonis Iuris consulti celeberrimi in Vrbe Ticino apud Insubres frontem Ianuæ exornant illo lemmate (*Virtuti Fortuna comes*) Aliter se habent Argumentorum Epi-

graphæ, quæ nec se ipsis absoluunt sententiam, nec destinatum Auctoris absque figuræ accessione significant. Nam quòd figura singularis absque lemmate nomen obtineat Argumenti, est id quidem verum, sed rarum, vt omnibus proindè Argumentis commune esse non possit. Ea verò conuincit ratio. Cùm enim aperire meditetur Auctor suæ mentis consilium per aliquam figuræ proprietatem: cuilibet autem rei proprietates complures accidant; consequens illud est, vt ad vnam ex proprietatibus secernendam opus sit additamento lemmatis, seu dicti, cuius peculiare munus est proprietatem aliquam designare; nihil quippe in mentem hominum cadit, quod non externa imagine referri posse debeat. Cum autem nulla rerum aspectabilium non huic negocio seruiat, iure ac merito præcipiunt eruditi, vt figuræ nubat lemma. Nisi fortè figura ipsa instar phœnicis, singularis ac vidua consistere magis gaudeat.

Deinde quòd obijcis multiplicem figuram, aues nimirum alias euolantes ex retibus, alias in caueis & laqueis tentas; Addam ego & retia, & nemusculum, & casam Aucupis, & arbores circumsitas, quæ quidem vniuersa multa sunt, & specie discreta. Vno autem verbo satisfacio, omnia hæc in vnum congredi, constarique ex his omnibus vnum aucupium. Quare vnius figuræ locum in Argumento tenere.

Concessio Oppugnatoris.

Egregia planè solutio, Præstantissimè Sodalis, vnde argutius quoque argumentum istud reddidisti.

Posterioris Oppugnatio.

IN hoc leporis aucupio, in hoc ludentis ingenij spectaculo iucundissimo, quod per te (Censor Optime) communi Academicorum nomine expositum nemo non suscipit: Ego, quantula est ingenij mei acies, tàm laudo illius aucupis industriam, quàm plaudo Volucribus bellè declinantibus insidias. Quàm enim non fallat è pennato grege tàm scitè composita captio? Quàm non titillent salientes (etsi captiuæ) concinentesque ad amorem hàc illàc nobiles auiculæ? Quàm non capiant demum, ne dum rapiant fictæ ad illecebras voculæ latentis aucupis? Qui, quod olim præstitisse fertur Parrhasius expicto vuæ racemo, id iste simulata volucrum argutia, & garrulitate mirum in modum consequitur.

Sed quoniam Pictoris meminimus, liceat mihi instar illius quondam Sutoris de Appellis tabula iudicium ferre, quando id Argumentum Apelleæ instar tabulæ iudicijs alienis hodierna luce subijcitur, & ingeniosissimum inuentum ingenijs Academicorum acuendis in medio collocatur.

Videri igitur potest illudendus hic ludus, vt qui casu nititur, hoc est fortuito euentu. Nam quòd effugiant hic aues insidias, tribuendum fortunæ est, cùm fiant plerumque captiuæ: secus id genus aucupij vti futile nequaquam vsurparetur. Quis porrò nesciat niti Academica argumenta qualitatibus rei certis atque perpetuis, vt ex ijs certo, non fallaci tramite ad intelligentiam deducamur latentis consilij eius hominis, à quo expositum Argumentum? Hinc historias ab argumentis quidam excludunt, Eæ siquidem ab exemplis pendent rerum gestarum, quæ semel, aut perquàm rarò succedunt. Absurdior videri potest vsus humanæ figuræ, quàm scilicet Paulus Iouius Argumentorum academicorum inter Magistros Princeps ab ipsorum finibus proscripsit: Vt ideò brachium istud, & manum protentam ad retia contrahenda, contrahere satius fuerit, & cum reliquo Aucupis corpore, quòd latere in casa fingitur, amandare. Quarè prouideant Academici, ne hic ipse Auceps, intentus insidijs, aduersus ipsorum existimationem machinari videatur.

Propugnatio.

SVtorem vt ageres, non tàm modestia suasit, quàm solertia, leporque ingenij. Nec enim calceorum, vt Apellomastix ille quondam, sed conceptionum mentis sutor tàm belle expressisti acu ingenij, & sermonis cheleumate collocatam infaustè operam ab aucupe nostro, vt instar racemi Parrhasici, non volucrum ocellos, sed virorum mentes circumspectantium fallere potueris, &, vt malà de argumento nostro suspicarentur, suadere. Non erit autem difficile, vt opus tuum fictum esse, non factum demonstrem. Nam quòd casus, sicut & historia, congruat argumentis, id via duplici consequi potes, ratione, & auctoritate. Quorsùm enim, assumis figuram, nisi vt ex eius certa proprietate, quàm lemma explicet, consilium Auctoris latens intercedente similitudine aut proportione deprehendas? An verò negabis proprietatem huiusmodi non minùs à Casu, atque Historia, quàm à re naturali peti posse? Siquidem vtrisque accidere multa liquidum est, quæ cum sententia nostræ mentis conueniant. Et

quam-

quamquàm absurdum est, versantem in Sole accendere lucernam, aut facem: placet nihilominùs ex innumeris vnum exemplum subdere: & illud ab Aresio recenti scriptore probatum; scilicet Gordianum nodum præcisum, adiecto lemmate Italico (*Tanto monta*) à quo quidem scriptore alia multa congeruntur, quæ tàm historiæ materia sunt, quàm casus (vt ità dicam) miracula. Nam quis non in casum refundat incendium illud authoribus Græcis ad extinctionem Vrbis Troiæ excitatum; ad eius tamen dimidium elanguens: Et ipsam in argumentum semiustam Troiam assumpsit probatissimus Auctor, cum Epigraphe (*Tenent Danai quà deficit ignis*). Quamquàm quis nostrum à casu petitum dixerit? Quis fortuitum vocet, quòd etsi rarò, secundùm naturam nihilominùs cadit? Rarum fuit, imò singulare, quòd in transmittendo fluuio cæcus & claudus mutuam sibi operam, ille pedum, hic luminum locarent: hinc autem pro Emblemate proprietatem secernere non dubitauit auctor nobilis. Quòd itaque sæpiùs captiuæ, rarò liberæ euadant ex retibus volucres, non ideò naturalem ijs facultatem adimit ad capturam. Reliquum est, vt quòd obijcis de humanæ figuræ vsu, amoliar. Quid amoliar dixi, cùm stet à nobis Bargalius censura illa argumentorum seuerissima? Hic quidem humanæ figuræ admittit partem ad figuræ ipsius vel sustentationem, vel decorum; cuiusmodi foret Hominis manus etiam cum brachio accensam tenens facem, aut ensem nudatum, idque tam familiari apud scriptores omnes exemplo, vt & superuacaneum fuerit rei probandæ, & literatissimo tibi iniurium, pluribus probare. Quare manus cum brachio extenta hìc ad funem tenendum, cùm nihil præter adminiculum, aut decorum præstet, immeritò reprobatur.

Concessio Oppugnatoris.

Illudentem me huic ludo elusisti mirificè acuta, & erudita responsione.

GRATIÆ.

Habemus ergo (Academici) i symbolum nostrum quo literaria in Republica dignoscamur à cæteris, ne gregarij, ne numerus habeamur. Quid igitur est reliquum, nisi vt institutum felicissimo auspicio studium prosequamur alacriùs? Magnum quiddam est, quod spondemus, quod nouo isto nomine profitemur. Altiùs equidem præfiximus scopum, quò studia, quò nisus ingenij, quo meditationes omnes, actionesque intendamus:

cultum

cultum animi, decus familiæ, ornamentum patriæ (Adolescentes) pollicemur. Qnid tandem illud sit, vos, OCVLATI scilicet, videtis. Enitendum igitur omni contentione, vt facta verbis, initijs exitus, fides promissis respondeant: nec tàm æquetur alijs concepta spes, quàm superetur à vobis. Vestra autem patientia, Viri Auditores, me Censorem Adolescentem, omnium censura dignum impunè apud vos disputasse, vt maximè miror; ita maximis semper gratijs prosequar, encomijs publicabo.

Dixi.

RHETORICA, SEV ACADEMICA.

Ad dedicationem libri nostri, cui Titulus est DIES ATTICI Ioanni Arias Maldonato D.

Hæc formulam quoque præstabit noui generis præfationi.

Quæ tota in laudibus occupetur præsentis viri, cui Theses dicantur in quacunque scientia disputandæ.

Etiam absenti viro inseruiet, substituta secundæ persona tertia.

PRodeunt Dies Attici è caligine ingenij mei in communem aspectum: atque ex te, Mecœnas optime, lucem quærunt. Audacior fortasse Operi frons videbitur, quòd nocturnas lucubratiunculas dignas equidem nocte, libuerit inscribi Dies: sed & importunius consilium meum; quippe subseciuas tibi Horas (si tamen vel momenta horarum superant ex continenti ista serie publicarum rerum) audeam ego Diebus occupare, Teque ex iucundissimo recessu Mineruæ domesticæ Athenas vsque Atticas abducere. Sed illa me duplex ratio causatur, & quòd ipse minimè peregrinus es in Græcia, Græcis à puero literis pari cum splendore, ac Latinis excultus: & quòd vmbra tua obscuris alioquin operibus lumen impertit. Nimirum ea parentem habet Solem diei, ac lucis opificem; illam (dico) claritatem auiti stemmatis, quàm Tute à maioribus acceptam vel illustrasti nouo radiorum accessu, vel gloriosiùs obscurasti. Diem profectò ignorat, qui ARIÆ Gentis ignorat laudes. Literis, Armis, Prudentia, Religione claros Gentiles tuos iam fama omnis ætatis loquitur, omnis nationis historia prædicat. Viuit adhuc (vt siceam reliqua) tuis deuota Sceptris Galatia, quæ Arium Myrrhum prouin-

prouinciæ Regem vltimum, Ariæ stirpis satorem primum ostentat. Tu verò tantorum heroum heres dignissimus, vnus omnium virtutes absoluisti compendio: Arma Literis, Literas Armis ancipiti meditatione conciliasti; vt eadem disputanti laurus, ac dimicanti pangeretur. Et quasi id quoque supinum esset otium, traduxisti feliciter ad forum quidquid vel hauseras in lyceo, vel castris apparaueras: Hisque omnibus ad corruptæ ætatis exemplum coronidem fecisti pietatis cultum. Non appellabo hic testes. Etiam num auditur vocali præconio celeberrima toto Orbe Academia Salmaticensis, quæ te dudum Iuris Interprete per gradus omnes, ac sedes gloriatur. Auditur Insubria, quæ tertium excepit Aduocatum Fisci: quæ communis annonæ Conseruatorem, fundatorem pacis, iustitiæ vindicem difficillimis temporibus experta fuit. In quo illud suspexit prodigij simile, cùm in togâ simul, ac sago publicam rem incredibili virtute curauisti. Siquidem prouincijs plurimis magni momenti confectis, cùm in Patres Conscriptos demùm adlectus esses, renuntiatus præterea. A Consilijs Catholicæ Maiestatis, Regius in Insubria redituum (vt aiunt) Annatæ Præses, Reuisionis generalis publicarum, atque Regalium rationum Iudex Regius, pro Magno Cancellario ad Comitia tunc pacis vniuersalis ablegato: tot, tantisque muneribus honestatus, dicam, an oneratus? non modò pacatam administrationem rei Ciuilis pro dignitate iniuisti: sed vno simul tempore præfuisti rei bellicæ, irrumpentibus Gallis, A Consilijs Iustitiæ militaris, supremusque cum imperio Præfectus. Quàm verò opportunè Catholicis copijs? quibus tuendis non satis putauisses consilium, ni manus quoque cum hoste sæpe collatas adhibuisses ea successus gloria, vt tantumdem inuidiæ conflaueris tibi, quantùm alijs ademisti spei. Sed enimverò mores tuos integerrimos, ac studium in primis Christianæ pietatis intuenti necesse fuerit inuidiam omnem in admirationem conuertere. Tu accipe lætis oculis, quod à me syncera fide traditur munus: nec patere inuidorum conuitio delitescere in tenebris, quod clarissimo tuo nomini nuncupatur, &c.

GRATIÆ.

Sic ferè dicendæ.

NVlla hactenùs mihi candidior DIES, quàm ex præsentiæ tuæ fulgore (vir Amplissime) quæ & nebulas ex meo resoluit

soluit ingenio, & purum veritatis cernendum exhibuit. Diem hanc igitur lapillo candido felicissimam consignabo: lucis verò tuæ præsentiam mihi communicatam nigro in marmore, sed aureis notis iucundè gratus inscribam.

RHETORICA, VEL ACADEMICA.

Ad Excellentiss. Principem Sacri Rom. Imperij, & Eminentiss. Cardinalem S. R. E. Theodorum Triuultium.

de Clericis Regularibus Diui Pauli optimè meritum.

Cùm in Collegio ipsorum primario Ad Diuum Barnabam Mediolani literario apparatu exciperetur. anno 1631.

Habita.

In aditu Collegij ab Auctore, Allegoriam Solis suggerente Triuultio Stemmate.

Sit felix, & faustus aduentus tuus, Cardinalis Amplissime: sit felix, & faustus tibi, & nobis. Non quemadmodum Sol iste è Cælo spectabilis cùm aduentat, fouendis æquè, & exurendis aruis exoritur: serenando Cælo iuxtà, ac procellis turbando: calefaciendis Scythiæ populis, vnàque Mauritaniæ incolis atro colore fœdandis. Nam & auiculæ mellitis cantibus, atque vno tempore maledictis & probris Æthiopes erumpentis Auroræ conspectum intendunt. Nos verò, Collegium, Ordo vniuersus te subeuntem has ædes Diuinum quasi Solem ignarum iniuriæ, profusum beneficiorum agnoscimus: Roseam istam faciem iam in auito stemmate prælucentem accensis diù votis præstolamur: Aureum os pretiosi roris opificem salutamus synceris, sin minùs argutis nuncijs. Vtque aduentum exoptatissimum purpureis istis quadrigis sollicitet, etiam atque etiam comprecamur. Ergo agè

Ingredere, ò Præsul, plaudentia limina Pauli,
Præsul, in aduentu pectora nostra beas.
Ingredere, Antistes, Cælum, quod lumina pandit
Ingenij: Antistes, tu mage blanda facis.
Ingredere, ò Princeps, Orbem, in quo Palladis artes
Florescunt: Princeps, vox tua dulcis alit.
Si Cælum hæc Aula est, si Orbis, si Pallada seruat:
Tu Sidus, Phœbus, Iuppiter almus ades.

In receſſu.

GRATIÆ.

TRiuultui tuo (Cardinalis Ampliſſime) obijcimus ternas Charites: Vt, quando illius ſereuitate noſtros hodie beaſti cum oculis animos: harum nos benignitate præſentiæ, ſin minùs noſtrarum facultate virium, grati aliqua in parte erga tantum Principem, & Patrem habeamur.

LOGICA, SEV SCIENTIA GENERATIM.

NOn eſt, cur deſideret Regales delicias meditatio literaria; quæ Hominis Regiam amplitudinem in Aula mentis ipſius honorificentiſſimè oſtentat. Ac quemadmodum in Ædibus Dynaſtarum cùm omnia occurrunt oculis magnifica, ac digna Principe Domino; tùm in primis ſuſpiciendæ veniunt deambulatoriæ porticus, in queis præter ſtructuræ, & molis elegantiam, augent hinc inde proſpectus decorem diſpoſita alternis per ſeriem longam Signa marmorea, pictæque tabulæ, ſuos inter artifices de principatu certamen cientia. Ita propemodum habemus, N. N., in homine literatura decorato, cuius amœnitatem ingenij duo illa munera potiſſimè commendant, quæ hiſce in congreſſibus atque vmbraculis eruditorum obeuntur. Vbi ſolenne primùm eſt proludere oratoriè ad Scientias, quas quiſque profitetur; tùm diſputando excutere per obiecta argumenta propoſitas illarum Theſes. Quid enim aliud eſt Oratoria dictio præterquàm ſpecies quædam Picturæ? Diſputatio verò inter Doctos quid niſi ſculptum Signum? Sed Picturam inter & Sculpturam hoc intereſſe nemo neſcit, quòd illa adiectione exiſtit, hæc detractione: Ibi apponimus colores tabulæ, vmbras coloribus; hic planum ſcalpimus, plenum euacuamus, rude deterimus; ſcilicet præfamur in rem noſtram cum laude Scientiæ, cuius dignitatem conquiſitis luminibus orationis, aggeſtis coloribus artis Rhetoricæ, figurarumque dicendi pigmentis iconicè repræſentamus, quo in ipſam Scientiam oculos circumſiſtentium animoſque conuertamus: Deinde inſtituta diſputatione patimur libentibus animis oppugnate, imò verò prouocamus vrgentes, vt ſcalpro obiectionum quaſi detrahente veritati, euadat tandem per reſponſa Propugnatoris Simulacrum ex verò illius Scientiæ, oculis omnium ſpectatum ſimul & probatum. At ego quidem expoſiturus hodie de more

Theses Logicæ (*vel Physica, vel &c.*) ad publicam disputationem, intelligo superuacaneum omninò fore alterum ex hisce muneribus, hoc est Oratorium. Forem enim profectò iniurius huic consessui, quoties Logicam (*vel Physicam, vel &c.*) disciplinam laudare aggrederer apud laudatissimos viros cùm in omni disciplina, tùm in hac ipsa, quæ suos istic agnoscit Apelles, ac suos Parrhasios. Est igitur reliquum, vt propositis Thesibus permittam scalpris ingeniorum vestrorum acutissimis, & validissimis elaborandum pulcherrimum simulacrum.

GRATIÆ.

EN Logices (*vel Physices, vel &c.*) simulacrum hodierna disceptatione perfectum. Gratiæ equidem non mihi debentur, sed vobis, quorum è scalpro tantum opus prodiuit in lucem. Ipsum igitur erit vestræ virtutis partus idem, & præco.

LOGICA GENERATIM.

In exordio annua interpretationis in Pisana Academia.

QVerelam illam plerisque mortalium familiarem, qui prona quadam censura suam obiurgant ætatem ignauiæ, præteritas quasque florentes ac beatas deprædicant, quò præsertim longiore antiquitatis tractu recesserunt: hac certè nostra ætate, hoc Cælo nostratis Etruriæ auspicatissimo haud dubia cum antiquorum inuidia conticescere intelligitis N.N. Habemus nos quoque Lysippos nostros, Apelles, Pyrgoteles; Habemus, & Alexandros, qui se nullo, nisi illorum vel scalpro fingi, vel pingi penicillo, vel sculpi adamante iubeant non edicto, sed merito. Ferdinandi nostri Serenissimi non minùs verendum sceptrum, quàm adorandum ingenium sentit non sine triumpho Etruria, sentit simul Italia, Europa omnis, ac dissitæ procul oræ sentiunt, in quas vel recto radio, vel repercusso felicitatem longè dispensat. Testis hæc ipsa Academia consummatissimæ sapientiæ, quæ sicut indigenis iuxtà patescit, & aduenis; sic aliorum promiscuè poliendis ingenijs, aliorum politis ostentandis, vt nullæ vsquam gentium Academiæ, constanti tenore felicitatis floret, & ita floret, vt nisi iure ab omnibus nationibus encomia sua exigeret Ferdinandus, qui est de omnibus tam magnificè meritus, priuilegium hoc sibi ista vindicaret, suo quoque Magno Macedone gloriosa. Et quidem ea secula candido lapillo notare solent Scri-

ptores, quibus Martiali silente classico aurea in pace exercentur negotia, excoluntur commercia, aluntur studia fabrorum, proueuntur conatus, ex quo breui immutata rerum facie nouus & splendor vrbibus, & ciuibus opulentia, & Aulis maiestas felicibus incrementis accedit: Nihilo tamen meliùs foueri, ac stabiliri pacatum imperium, quàm cultu liberalium artium, ac disciplinarum, cùm ipsa per se demonstrat ratio, tùm aggerata periculis ætatum veterum memoria testatur. Ita verò res habetur, Auditores. Respublica non nisi in multis nititur, communi societate vitæ, communi iure domicilij fœderatis. Ad vnum autem omnes tendant, omnes conspirent, necesse est, quò omnium ope iuuentur singuli, atque à singulis omnes opem accipiant. Atque vt in humano corpore vnum ceteris membris præstat caput, quod excelsiore loco Natura constituit, quasi in Arce Regem satellitio sensuum stipatum, quorum opera toti corpori regendo, conseruando, moderandoque vtitur; sic planè in Republica vnus præsidet, veluti caput, ciuibus, populisque Rex, conseruator, moderatorque omnium, vt eorum tamen, quibus imperat, opera vti, consilio iuuari, satellitio muniri necessum habeat. Non sat igitur administrandæ ciuitati, si Rex præcelso instructus ingenio, si opibus præditus Sapientiæ præsto fuerit, ni simul subditis palæstram eandem exercendi ingenij, theatrum idem ostentandi patefaciat, easdem cum ipsis gazas literaturæ communicet. Opus omninò est capiti ministerium reliquorum sensuum ad vitam, Regi ministerium subditorum ad regimen. Et quemadmodum humani corporis Respublica collatis membrorum cum capite facultatibus continetur: sic ex Populi cum Rege collatis ingenijs ingenium quasi vnum conflatur, proferendis ad Ciuilem administrationem consilijs. Egregiè, sicubi Plato, asserturus beatitudinem ciuibus, regnare præcepit Philosophos: ciues dicam hìc ego antè Philosophos, rectè postmodum è Lycæo ad Regiam, è Cathedra ad Solium, è Pallio ad Purpuram, è Stylo ad sceptrum traducendos. Philosophandum igitur priùs, & quidem cum multis, quorum vsu & contubernio excitet sibi quisque vèl desidem animum ad inquirendam sapientiam, quorum experimentis commodiùs poliat ingenium, obiectis exacuat, præceptis informet, iuuetque ita protritum quotidianis certaminibus puluerem philosophicum Olympiaco gloriosiùs colIegisse. Conferte iam ex annalibus Orbis (Viri Auditores) tam multa terrarum Imperia, Monarchica, Aristocratica, Democratica, Quàm vario illa fato defuncta! Siquidem aliqua tenui pacta stipite, sed firmis adulta radici-

radicibus annosæ veluti quercus ad multa seculorum feliciter perdurarunt. Alia contrà in ortu ipso aspirantibus Zephyris florentia repente canuerunt, speciem Rosæ caducam præbentta, cuius fulgorem Regalis purpuræ (vt scite cecinit ille) Vna dies aperit, conficit vna dies. Scilicet vbi literaturæ flos viret, ibi viget Imperium, quod ab illa suos omnes, quibus nititur, habet neruos. Nec aliud (nisi fallor) elicuit Platoni illud, præceptumnè dicam, an suspirium? certè vocem vouentis Politici, dignam studijs omnium mortalium, qua voluit deferri Philosophis sceptrum Reipublicæ. In eam quippe ætatem calamitosissimam inciderat Plato, quæ principatum totius Græciæ multiplicem vna tyrannidis fabula referebat, claudente catastropha miserrimæ seruitutis bonorum, deletionisque Ciuitatum. Verùm (ne longiùs diuagemur) vndenàm clariùs orationis nostræ lumen petemus, quàm ex MEDICEO Principatu? Quem à cultu splendido ingenuarum artium auspicatum quid miremur successum ætatum subinde meliorem, ac fortunatiorem habuisse? Alios Viros Principes pro varietate ingenij, alio atque alio studio distentos memorant priscorum scripta; atque ita distentos ac defixos, vt ausis iugentibus Regias suas opes prodigerent, gazas exhaurirent. Sic Cyrus Medorum Rex ædibus suis tantùm insumpsit, quantum sat esset octauo constituendo Orbis miraculo. Sic Templo Hierosolymitano construendo, ornandoque Salomon Rex haustam diuinitùs sapientiam splendore diuitiarum cumulauit. Sic hortorum Regalibus delicijs postremam lineam fecit Alcinoi magnificentia. Sic Marcus Scaurus excitato Romæ Theatro vastitatem suæ mentis, opumque superbiam ostentauit. Sic mœnibus Vrbis Troiæ ad passuum millia quadraginta circumductis, quisquis ille fuit, homo certè mortalis, Diuinitatem apud Ethnicos comparauit. At verò Principis nostri ingenium quanto nobilius instituendæ iuuentuti, quàm excitandis molibus; colendis virtutibus, quàm apparandis delicijs intenditur? Quamquàm ne desiderari quidem in se se patitur excelsæ mentis exempla, vnde & parem se probet memoratis Principibus, & iure Magni titulum Ducis supra Maximos quosqne occupare. Nam si magnificentiam Ædium quærimus, quid illa Regia Florentina magnificentius? Si Templorum sumptuosum cultum, quid illa ipsa in Vrbe Templo Laurentiano sumptuosius? quid cultius? Si hortorum delicias, quid hortis Regiæ illi adiacentibus, quid consitis passim ad delicias Villis amœnius? Si Theatra, habemus inibi ampiissimum, opere exquisito, sumptu Regio. Denique si Vrbium miracula, est

est

eſt quidem cernere nouum Liburni, Vrbem in continenti maritimam, innatantem terris pelagum, firmam in fluctibus plagam, continentem ſimul contentam; Vt ingenio FERDINANDI parum fuerit viciſſe hominum mortalium conatus, à quo victam ſe ſe fateatur Naturæ opera. Hæc, & alia explicauerit Heros noſter ad pompam, niſi Piſanæ Sapientiæ fulgor inſtar Solis reliquum omnem in Principatu ſuo ſplendorem vti nocturnum lumen inuolueret. Quid enim Princeps Florentinus meditetur, niſi vti florentem reddat, conſeruetque Regni ſui prouinciam? Non alitur ſuperbis tectis felicitas Ciuium, ſed ſpiritibus celſis: Non vouet ſumptum æris in Templis, ſed affectuum victimas: Non tenetur delicijs hortorum, quibus perſæpe virtus corrumpitur: Non habet opus theatro, ipſa ſibi theatrum ſimul atque ſpectatrix: Non denique mœnibus altis attollitur, ſed magnanimis factis, tanti æſtimans vrbes lateritias, quanti marmoreas: Quæ quidem omnia nullo ex fonte manare perſpicuum eſt, præterquàm ex publica iſta cultura Sapientiæ. Nam ſi liberalitate Principum in Artifices tantùm nitoris accipiunt Mœchanicæ diſciplinæ, vt plures è fortunæ ſordibus educantur familiæ, erigantur iacentes in gradum, reſpirent ab iniurijs oppreſſæ, floreſcant miſeræ, fortunentur; quid eſt, dicamus, conſequens de artibus ingenuis, de ſtudijs honeſtioribus, ſi quando Magnos Principes Mecænates habuerint? Quàm fauſtè tractari videritis habenas Reipublicæ? Quàm proſpero curſu teneri Regni clauum? Quàm propitiam conciliari fortunam populis? Sanè quiſquis Regiam illam porticum Florentinam inuiſit, ibique varias eas luſtrat officinas excellentioribus huiuſce ætatis fabris largo ſtipendio conductis attributas, protinus mirari deſinit famæ ſonitum de Principis Etruſci magnificentia peruagantem, deque operum Florentinorum pretio, pretium omne ſuperantium. Nec enim alia manus, quàm MEDICEA tam nobile hoſpitium fabrilibus artibus inſtruere valuit; nec inde, niſi exquiſiti, & nuſquam temporum ſpectati artificij opera proferri poſſunt. Cedat tamen, oportet, Academia illa Piſanæ noſtræ, quantum Mœchanicæ noſtræ liberalibus cedunt. Cedat literali nitori fabrilis. Vix ſiquidem hic obtinet partem in publica felicitate, quem vèl Tyrannorum impotens dominatus excluſo literarum cultu ſeruauit. Itaque duplici potiſſimùm iure prænomen Magni videtur ſibi vendicare FERDINANDVS, quòd artes vtriuſque ordinis ita fouet, vt nec Mœchanicæ alibi liberaliùs, nec liberales ſplendidiùs habeantur. Hæc verò conſummata gloria eſt feliciſſimæ Reipu-

blicæ,

blicæ, vbi virtutes vniuersæ eminentia honoris Duces Fortunam comitem facilè exorant. Quid inquam Virtutes? ipsum vnum Virtutis studium iam ciere Fortunæ fauorem, testis est concessa hæc mihi modò Sedes Logicæ disciplinæ interpretandæ. Quantum enim est, hominem adolescentem inter tot summos viros, tyronem inter veteranos, nouitium inter emeritos iudicio tanti Principis adnumerari? Vix dudum Auditorem Sapientiæ, iam renuntiari Doctorem? atque ab auribus ad linguam, ab exhedra ad cathedram, à Lauru ad rudem vocari? vix in ludo spectatum, iam lacessiri in palestram? nondum probatum in vmbra, iam Sole dignum censeri? adhuc versantem in Templi vestibulo, admoueri protinus Aris, sacris præpositum hecatumbis? Vt propterea sit mihi cauendum etiam atque etiam, ne, quæ me nimium attollit Fortuna tantæ omninò imparem prouinciæ, periculosiore ad ruinam gradu suis ludibunda successibus collocare videatur. Gratias igitur habere Serenissimo Magno Duci, cuius annuente benignitate honestissimum hunc locum accepi, meæ quidem sunt partes: Vestræ autem fuerint, Humanissimi Auscultatores, tenuitatem meam fulcire, humilitatem erigere, inopiam subleuare: Ne quando reflantem Fortunam culpa mea præsentiam; quàm hactenus beneficio quoque vestro afflantem experior. Dixi.

LOGICA GENERATIM.

ADsum vestrum in adspectum producturus Magiam: Ne me propterea præstigiatorem Magum suspicemini. Adsum detecturus arcanum Chymicum: Neue circumforaneum hominem in hunc cœtum grauissimum putetis irrepsisse. Tantum abest, vt ego cum Demosthene strangulatus audiam ARGENTANGINVS, quin argenti nouandi ipsa mentio fauces mihi oppido quàm dilatat, atque ampliat, beneficio potissimùm alieno, cuius quidem præ meo longe studiosus huc accedo. Ac ne vos pluribus remorer, ita statuo: Venenum illud omnium rerum, quod est Plinio Argentum viuum, quod vulgo Græcorum Hermes, nostratium Mercurius hac ipsa, qua de loquimur, arte mirificum euadit in huius vitæ mortalis calamitatibus leuamentum. Magice, quæ nostris est Philosophia, cuius vtique portio Chymica, imbutus sit penitus, oportet, non tantùm aspersus, quisquis è Mercurio conflare argentum intendit. Quantum est enim, instabile metallum sistere, irrequietum domare; è fluido solidum, è liuido pellucidum efficere ad vsus splendidos Principum, ad

sordes

fordes egeſtatis, opum inde contractarum cumulis abſtergendas? Ac nequis venalitium ſermonem hunc meum eſſe in morem Agyrtarum exiſtimet, Chymicen longè aliam ſubintelligo; aditum tutum expeditumque ad Magiam pandentem. Procul hinc verò metus anginæ, vbi eloqui liberè, vbi diſſertare vocaliter, vbi diſputare acriter datur citra erroris periculum, citra victoriæ ambiguitatem. Logicen hic mihi volo, Auditores, quàm preſsè, & bellè Tullius ex ethymo græco Rationem differendi definiuit. Ecquid, cedo, viuacius ingenio humano, & varios ad errores, niſi ratio ac diſcipiina contineat, paratus atque procliuius, prorſus vt argentum viuum nihil illo magis adumbrare videatur? Quàm verò ad amuſſim, & quàm è propinquo petita ſententia, promptum cuique eſt vèl ſciolo obſeruare, qui huic metallo nomen apud veteres Græcorum commune cum illo eſſe animaduertit, quem ingenij, quem ſermonis, quem negotiationis Præſidem colebant; quem alis inſtructum expingebant ad motus celeritatem exprimendam; quem moliendis fraudibus, quem furtis patrandis, quem texendis mendacijs verſatilem adeò faciebant, vt non immerito ipſum ſibi tutelare Numen delegiſſe Reſpublica furum, commento poëtarum falſo feratur. An vultis percenſeam hoc loco, quàm multa, & quàm fœda in errata prolapſa fuerint ingenia cæteroqui egregia veterum Philoſophantium, Logices Arte nondum adinuenta? Eſſet hoc profecto & imprudentis hominis, & impudentis quoque tam multa breuiſſimo complecti velle ſpatio; ac vos Auditores in ſcriptis veterum verſatiſſimos erudire. Quamobrem quòd modo ingenij noſtri natiua mobilitas procul à lapſus diſcrimine ſubſiſtat, quòd caligo in lucem definat, quòd rationis peruerſæ vitium in pretium tranſeat rectæ diſſertationis, debemns id totum Chymicæ noſtræ miraculo, debemus Logicæ facultati, quæ vna inopiam animorum noſtrorum ditat, quæ ad opes incomparandas, rerum ſcilicet omnium tam creatarum, quàm perenniter ab immortali opifice Deo creandarum intelligentiam, complanata reliquarum diſciplinarum via traducit. Huiuſce tanti arcani pernoſcendi ſiquis veſtrum ſitiens eſt, accedat, & mentis aciem in ea, quæ per me mox proferentur, intendat.

GRATIÆ.

CHymicen alteram niſi Natura proſpexiſſet, per quàm gratiæ agendæ penes homines humanos, referendarum acquirunt æſtimationem, quomodo ego inopia preſſus poſſem pro beneficio humaniſſimæ veſtræ attentionis, immenſo gratias referre pares?

pares? Retulisse itaque confido, quas ego in præsens vobis gratias immensas.

LOGICA GENERATIM.

PErfremat licet hac misera ætate, Iano adaperto, discissus turbulenter in partes Orbis terrarùm: quando vel nos literarum cultores, hoc est iurati amasij pacis in partes scindimur. Fulguret minaci vultu Bellona, fulminet ad rixas Iupiter, tonet indignabundus Mars: Nos quoque Iani nostri Apollinei recludimus fores ad bellum, & ipsum belle ciendum. Pugnet ille positis nullo non loco, nulla non ora castris, permixtis rebus humani generis, vtriusque Solis concusso cardine, ipsa (dixerim) Cœli tranquillissima facie corrupta, vitiata. Nostra nos etiam statiua tenent procinctos ad pugnam, excitos, implacatos. An bellis Mars imperitet solus, quem non verentur imbellia è Parnasso Numina acri æmulatione lacessere? Nam quòd ille in campo, atque acie instituit, hoc ista in licæis, hoc in cathedris, hoc in vmbraculis aggrediuntur, vt scitè referretur antiquis Præses literarum Pallas armata. Quid enim? Præsto sunt nobis ad tegendum, ad feriendum arma omnigena. Quippe pro ensibus sunt syllogismi, pro pugionibus enthymemata, pro lanceis inductiones, pro telis exempla. Tormenta requiritis? Diuinæ sunt auctoritates: Balistas? Humanæ. Responsa, quid nisi clypeos faciunt? Distinctiones, loricam & ægida? Glossæ, galeam? Negationes, vallum? Instantiæ, fossas? Conclusiones, arcem? Inuadendus est hostis? Infirmationibus vtimur. Effugiendus? Digressionibus à re proposita. Insectandus? Repetitis obiectis. Vnde verò melius obsidetur, quàm dilemmatis, hoc est cornutis argumentis? Vnde receptus paratior, quàm concessionibus? Vnde certior clades, quàm absurdi alicuius admissione? Vnde clarior victoria, quàm ex Aduersario errati confessione expressa? Vnde cædes acerbior, quàm obiectione ignorantiæ? Denique vnde gloriosius suismet armis confoditur Inimicus; quàm si sua in ipsum retorqueas argumenta? Planè est. Siquis vestrum auet experiri, expediat argumentationum arma, dirigat disputationis aciem, impugnationem intentet in arcem nostrarum Thesium, quas in conspectu statuo pro virili mea parte propugnandas.

GRATIÆ.

REceptui iam canitur. Dimicatum satis. Verùm quòd meæ feliciter defensæ sunt Theses, illi dandum est gloriæ, qui &

nomine, & auctoritate Sapientiæ opportunum subsidium tulit: Quòd verò acriter impetitæ, ingenio vestro (Viri studiosissimi) tribuendum; qui nec detrectastis cum pumilione gigantes congredi. Ergo disputationis series, vestræ fuit virtutis; fortunæ verò meæ, successus.

LOGICA GENERATIM.

INiturus hodierno cætu de Logicis theorematis disceptationem (Ornatissimi Viri) imitabor musicæ artis consultos, quibus in Chorum confluentibus, iamque procinctis ad cantum, solemne est proludere teretismate, seu id peritiæ commendandæ gratia, seu magis conciliandæ adstantium attentionis. Igitur artis meæ à me prolixum encomium, vt à plerisque solet, ne expectate, Auditores.: Alumnus Logices presso gaudet sermone, non laxo: Laconicum familiarem habet, non Asiaticum. Non enim fucatam speciem habeo vænalem exponere, sed natiuam, ac synceram; neque indigentem præcone ad sui commendationem pretij, sed se ipsa contentam ad insignem quamuis captandam auctionem. Quid ergo? Proloquatur paucis Aphricanum oraculum, quid de mea disciplina sentiendum. *Hæc*, inquit, *Ars est Artium, Scientia Scientiarum: qua aperta, & nota omnes aliæ aperiuntur: ignota, & clausa omnes aliæ clauduntur.* Magnificè id quidem, dignumque Augustino, hoc est augustum, si quod aliud, encomium. Coronidem fecerit non ignobili commento philosophus ex neòteris, qui Logicæ notitiæ necessitatem expressurus in tabula, Clauem expinxit, superinducta epigraphe NON SINE HAC; quasi non sine Logica recludi possint cæterarum disciplinarum thesauri. An verò de vlla omninò re certò quis differat, quamquàm literatura multiplici præditus, ingenio præcoci donatus, vsu longo, experimentoque vario institutus, cui desit huiusce artis adminiculum? Errabit (quis dubitat?) eò longiùs, atque enormiùs, quò sua se fidentiùs prouehet intelligentiæ opinio. Naufragabitur tanto miseriùs in scopulos erroris, quantò plenioribus velis eruditionis fidetur disciplinarum pelago: Ruet fœdiùs in præceps ineptiarum, quò audacior ad apicem sapientiæ tentabit gradum: Hæc, inquam, hæc fient, nisi indicem viæ, quàm premat: nisi versoriam, qua proram intendat, nisi tritum vestigijs callem; quem ingrediatur, consultus, ac prudens quæsiuerit. Quid plura? Teretismate prolusum satis: Vobis expertissimis plus quàm satis. Iam ergo tantæ Artis meditationem è vestigio

gio

gio aggrediamur, licèt; eius necessitatem disputatione commodiùs, quàm prædicatione probaturi.

GRATIÆ.

TEretismate proludens spoponderam cantum; sed ecce stridorem reddidi. Præcinui ergo ad strepitum, fraudaui vestras aures, sine fraude tamen, Viri ornatissimi. Iam strepitum compensabo silentio: sed proclamabo tamen æternùm patientissimam vestram, semperque inuictam attentionem.

LOGICA GENERATIM, VEL DE SCIENTIA.

NAtum ad scientiam se nouit esse, quisquis natum se nouit: quisquis vsu, imò etiam sensu probauit Aristotelicum illud rudimentum *Omnis homo natura scire desiderat*. Verùm & Hercules ad labores natus, in biuio quandoque substitisse fertur hæsitabundus, eius ancipitis viæ distractus illicio: Et nobis, qui literarijs laboribus deuouimus caput, nescio quod biuium ludentia obijciant fata destruendis meliùs, quàm distrahendis ingenijs accommodum. Vix enim quasi recens editi infantes quæritamus auidissimi Naturæ parentis papillas, lactis sapientiæ esuriem natiuam expleturi, quo vno lacte nos alij, quo vno viuere posse arbitramur. Cùm ecce velut excepti gremio cuiusdam laruæ, inanisuè simulacri, deprehendimus elusi vix formam extantem materni pectoris turgescentis. Cæterùm neque lactei humoris quidpiam manare, neque mammillas vllas teneri. Hoc nos ferè offendimus, Auditores, admissi primùm ad studia scientiarum, nec mirari desinimus dissidium illud veterum (philosophantium dicam, an bacchantium?) quorum alij cum Zenone scientiam ponebant omnem vel quorum sola subiret nobis opinio, suspicioue aliqua oboriretur: Alij verò ἀντιστοιχῶς omnem è medio tollebant rei cuiuscunque scientiam, quos tu si cum Arcesila Academiæ conditore Philosophos nominandos putas, admittere ridiculè cogeris nouam non philosophandi Philosophiam, nouamque nesciendi Scientiam. Sed neque ab istorum declinans Charybdi, euitabis illorum Scyllam. Et quidem (vt cum prioribus congrediar) si verùm id omne est secundum scientiam, quod quiuis fortè opinatur; quidni verùm esse fateberè, quod & mihi opinio ingerit, imò inculcat, tuam istam de Scientia assertionem à veritatis linea toto Cælo aberrare? Neque secùs posteriores vrgebo: qui si nullius omninò rei scientiam probant, iam ipsi se ignaros

venditant, & fuomet placito nulli nisi insipienti placendo egregium præiudicium faciunt. Qua in re (ingenuè dicam Auditores) nihil æquè ciet mihi stomachum, nihil bilem æquè turbat, atque horum insana disceptatio, quos tamquàm rei literariæ perturbatores damnari perpetuo ostracismo oporteret relictis vix nominibus ad execrationem posterorum. Quis enim Philosophiam acrius Philosophis istis impugnauit? quis fœdius euertit? Siquidem aduersas in partes cùm isti abierint vtra nos; quæso, in parte Philosophiæ sedem statuemus? Vtraque certè non possumus: neque enim stabit intestinis prælijs Ciuitas, nec secum ipsa pugnans veritas consistet. Vtramuis igitur partem probemus, certè alteram reprobabimus. Alterutra quippe ita sibi veritatem adscribit, vt hoc ipso proscribat aduersam: Ita se profitetur sapere, vt desipere alteram consequens ponat. Sed, vt subruit vna alteram, ita ariete mutuò ab altera subruitur, expugnatrix eadem & expugnata. Ambæ igitur stratæ, ambæ euersæ altera alterius impetu: nec secus ac Spartiatæ illi Poëtarum, sic se inuicem iugulantes vt neutra sit superstes. Quippe gladium ambæ, quo feriant, habent, quo se protegant, scutum non habent. Corruat itaque cum huiusmodi Philosophorum sectis ipsa quoque Philosophia, necesse est. Cautius alij istorum casu admoniti statuerunt, & sciri multa, & multa nesciri, nec vndique idcircò tollentes scientiam, nec vbique ponentes. Cui enim tam præceps amentia, & ingenij furiosa temeritas, vt Artes tam multas, quas hactenus ad humanæ vitæ siue præsidium, siue ornamentum ratio naturæ dictauit, frequentia vsus inuexit, experientia multorum firmauit, vnus ipse impudens refractarius, ne dum imprudens neget? Ipse vnus consensu tot sæculorum perspecta ac definita ab Astrologis Solis ac Lunæ cursum, recursum, ortum, occasum, defectionem: Ipse à Medicis corporum naturam, humorum qualitates, herbarum vires, & lapidum, mixtorum temperamenta, morborum periodos: Ipse à nautis flatuum accessus, recessus, regiones, dominatus: Ipse ab agricolis naturam terrarum, vicissitudinem tempestatum, imbrium futurorum indicia: Vnus ipse, dico, ab alijs atque alijs aliarum artium obseruatas frequenter, ac traditas constantissimas præceptiones summa sibi vsurpata censura retractabit? reclamabit aduersus concordes omnium voces? philosophabitur eiurata communi Philosophia? sapiet probatæ omnibus desertor sapientiæ? Latent nos enimuero non pauca, quæ nec pudet Philosophos fateri occulta naturalium qualitatum, latentes sympathias, reseruata

Natu-

Naturæ ipsi arcana, indissolubiles homini griphos, arctiores Herculeo nodos. Itaque prudentes magis, quàm sapientes suammet inscitiam specioso titulo, idest admirabilitate Naturæ honestare conantur. Sed parcere iubet ignorantiæ ingenuitas: neque enim fato licet obsistere, sed enitendum est potius, vt quemadmodum industria, atque vsus maiorum dedit hactenus nobis multa, sic nostra posterorum patientia, & labor inuictus alia subinde adijciat scientiæ rerum absoluendæ, ingenijs nostris consummandis. Quamobrem pretium operæ me facturum putaui, Auditores, si de Logica primo ad scientias abstrusiores vestibulo (*vel, *si de Scientia nobilissimo in Logicis argumento*) disputationem apud vos scientissimos viros instituero.

GRATIÆ.

Scientiarum vestibulum inscius ego ausus sum scientibus vobis recludere. Gratias nunc benignitati vestræ debitas sciens ommitto. Tantus enim cumulus excreuit meritorum in me vestrorum, vt licet cum Zenone scirem omnia: Nescirem tamen in hac parte cum Arcesila dignas meritis vestris gratias proferre.

LOGICA, VEL DE SCIENTIA.

Priscorum quorumdam, quos Philosophorum censui adscripsit vulgus, digna sanè spectaculo videtur mihi illa disceptatio, quàm de Scientia instituunt, non absimilis ei, quàm turba olim mendicantium Cœcorum, furore non minùs armata, quàm baculo, atque in arcto conclusa spatio, opinione fraudatæ inuicem stipis commisisse fertur. Nam vt se quisque & purum sciebat illius fraudis, & pulsari tamen insolentissimè ab impuris sentiebat, nimirum dictu, sed magis visu, vt alius in alium totis exertis viribus, intentis neruis, atque disiecto quaquauersùs calce baculi nodosissimo contumelias minis, minas verberibus, verbera stridoribus afferens centena conijceret: vnà & lacessitus lacesseret, tunsus tunderet, ictus sæpe suos frustrans, sæpe alienos incautus excipiens; spectaculo tam cœcis ipsis acerbo, quàm spectatoribus curiosis iucundo. Sed quæ nobilior temeritas, quàm veterum illorum super quæstione de Scientia? Cœcorum vtique propria. Nam vt placet Peripatetico *Literarum expers non videt videns*. An non eos illiteratos appellem, quibus Scientiæ ratio incomperta penitùs est? Quippe ista tractatio elementa prima colligit peculiaris cuiusque Disciplinæ, quæ in vestibulo ipso eadem

dem semper terit de Tractatu Scientiæ petita principia. Placetne vobis spectare parumper de pergula Cœcorum istorum tumultuarium congressum? Omnia sciri posse statuunt alij, alij nihil. Vtrorumque (quis neget?) pugna temeraria: Illorum, quòd homini plus iusto tribuunt; horum, quòd minùs. Exigitur enim modus in omnibus, sine quo summis ima permixta in vetus chaos prona recurrerint. Cui autem, præterquàm Deo scientia competit rerum omnium? Cui omnium inscientia, præterquàm pecudi? Aliquod igitur medium dandum fuerat ex vtroque temperatum; quando & media est Deum inter, & pecudem duplici conflata substantia Natura Hominis; Ecquid illud, nisi scientia ignorationi commissa? Iam philosophemur nos pressiùs. Scientia nostra habet suam in Animo & sedem, & originem; est enim in hoc Microcosmo portio Cœli parallela. Ignoratio verò vtique à Corpore obuenit, quod Terram non cognatam solùm, sed parentem agnoscit. Ità quòd Cœlum æmulamur Animo, Terram Corpore; ab illo lucem scientiæ trahimus, ab hac ignorantiæ caliginem: neque valet ora illa etsi superior situ, & crebris accensa luminibus subterfugere è crasso elemento cœcas eclipses. Multa itaque assequitur humana mens, ne cœcutire in luce dicatur; Sed multa simul eàm fugiunt, ne sensuum corporis dissimulet, quàm maximè damnat, custodiam. Cernite nunc, obsecro, veterum philosophantium cœcitatem. Physici cum quædam teneant, teneri omnia definiunt posse, atque ex apertis ad obscura quæque argumentum trahentes, caliginem ostendunt in Sole. Quid ex aduerso Academici? Hi quibusdam incomprehensibilibus sibi fortè primùm obiectis, terrentur ab reliquis omnibus, & acie Aquilina denegata abeunt sponte in talpas perpetuà cæcitate contenti. Videlicet Aduersarijs nimiùm audacibus, nimiùm ipsi trepidi. Quamquàm vbi illos in tuenda scientia rerum omnium facit pugnaces audacia; sic istos in tollenda pertinaces trepidatio vsque adeò, vt neque illi pungere istos desinant, neque isti illis repugnare. Vrgeamus nos acrius hanc mutuam pugnam probris, ac sibilis. Quòd si omnia, ô Physici, sciri possunt, quid ni vos etiam nescire facilè sciam, qui omnia scire profitemini? Quòd si nihil, Academici, sciri potest, quid ni nesciatis vos quoque scire, quòd nescitis omnia? Sic ambo transuersis ictibus cœcorum in morem furiati augent spectaculi iucundissimi pretium. Sed remouere iam placet è spatio repagula vt fessis à prælio cœcis, & egregiè tunsis ossibus, euadendi tandem libertas fiat; agnoscamusque, vt scitè Peripateticus vsurparet: *Quibusdam*

busdam magis fieri operæ pretium, videri Sapientes, nec tamen esse, quàm esse, nec videri. Hoc namque tulit, vt optime video, insana ambitio istorum capitum; vt vel scientiam tollentes omnium rerum, scientissimi ipsi omnium mortalium obliquè crederentur, vel omnium scientiam afferentes, scientiæ omnis gloriam, vnius propriam Numinis immortalis impiè ipsi occuparent, Ego verò, quæ de Scientia pro ingenioli mei tenuitate percipere paucula potui, propositis in medio thesibus, humanitate fretus vestra, Scientissimi Auditores, aggredior disputare.

GRATIÆ.

CVm ex veriore Scientia & sciuntur, & ignorantur complura: Tùm hoc vnum præcipuè, quòd hodierni in me beneficij vestri magnitudinem & optimè ego scio, & quibus gratijs æquari possit, planè nescio.

LOGICA, VEL PHYSICA GENERATIM.

Item de Scientia.

TEnet stupentes, & meritò, prudentiores quoque viros veterum illorum memoria Philosophorum, qui scientissimi alioqui cùm essent, & ingenio peracuto: in scientias tamen ipsas ingenia sua exacuere sunt aggressi, omnem scientiæ rationem humanis procul à finibus amandantes. Itanè verò? Struent Scientiæ interitum, quàm habuere ingeniorum suorum obstetricem? Amasiam intestino odio; viperinoque morsu venenabunt? Operam fidelem, comitem indiuiduam, ducem tutissimam, præconem, delicium, præsidium indicto Marte, aperto campo velut hostem infensissimam petent? Verùmtamen, demus, Auditores, hoc quoque monstrum in Natura stupendum quidem certè illud, quemadmodum anhelantes summi Viri ad Sapientiam, eò vsque desipuerint, vt apud hominum genus laudari se posse crederent, sua ipsi studia, & vota damnantes: ditescere posse abdicato patrimonio: clarescere luce submota: denique ex inscientia ipsa scientes haberi. Ego verò admirationem facilè pono, cùm mihi reuoco in mentem Platonis dictum: *In his*, videlicet, *quæ sapimus, gloriamur, & superbimus.* Placetnè obseruare parumper gloriosam superbiam istorum philosophantium asophorum? Scientia in primis (aiunt) ab ingenio nostro non manat, cogitatione nostra non comprehenditur. Propriam enim in se ipso habere

bere

bere ſcientiam, Numinis eſt, non Hominis. Humana verò mens ſi quid capit, oblatum extrinſecùs capit, vt quæ corporis incluſa carcere per anguſta ſenſuum quaſi ſpiracula quantumcunque haurit lucem: Sed quantam illam, niſi ſegnem, & per reflexas rerum ſpecies mutuatam? Accedamus, inquiunt, propiùs ad quæſtionem. Scientiæ cuiuſuis meta vtique verum. Id autem verum percipitur, quod ita ſit animo impreſſum ex eo, vnde ſit, vt eſſe non poſſit ex eo, vnde non eſt. At percipi ab homine verum poſſe, falſo falſius eſſe euincunt rationes innumeræ. Quid enim vnquàm offertur menti non incertum, non dubium? Quare ſit, licèt, abditum nobis, atque abſtruſum non minùs, quàm quod apud Antipodas habetur; Vtrùm Sol exempli cauſa Orbem Terrarum magnitudine exæquet, aut ſuperet: Luna vtrùm globoſa ſit, an concaua: Num Stellæ cohæreant Cælo, an per inane libero curſu ferantur: Denturnè intermicantia planetis alia lumina noſtris oculis non conſpicua: Quæ cælorum materia ſit, quanta moles, quis numerus, atque ordo. Quieti nè Cæli, ac Terra mobilis, an contrà quieta Terra mobilibus Cælis: Terræ ipſius quanta craſſitudo, quanta in ambitum prolatatio, quæ, & quanta habitabilis. Hæc nos, & alia id genus arcana naturæ diſquirentes, ſed minimè tamen aſſequentes implebimus Viri Sapientis omnes numeros; tanta id quidem cum felicitate, vt non modo ſcientiæ, ſed etiam opinionis omni lege ſoluamur. Nihil etenim turpius (vt optimè Zeno) quàm opinari; nihil indignius, quàm falſæ opinionis periculo ſe committere; nihil periculoſius, quàm fugitiuam rerum notitiam per ancipites calles, perque inexplorata veſtigia perſequi. Hæc iſti. Audiſtiſne vos ineptias? Audiſtis deliramenta? Audiſtis Magiſtros ignorantiæ, Mineruas pingues, mangones exoticæ ſapientiæ, qui nihil ſcientem pro ſapiente diuendunt, nihil opinantem pro philoſopho, nihil præcipientem pro præceptore: Denique qui gloriam Sapientis tuentur in obdormiente homine, nihil boni, maliuè approbante, nihil quod rectum, honeſtumuè ſit, ſequendum; nihil quod iniquum ac turpe, fugiendum, præſcribente: in homine (inquam) officiorum omnium deſertore, à functionibus quibuſque vitæ communis feriato, à ſupino, à ſtipite. Quarè ſi Tullio teſte *Sapientia eſt animi ſanitas*, nihil profectò mirandum, quòd hæc Sapientiæ infenſiſſima capita tàm fœdè laborent inſania. Sed neque ſanus admodum iudicari poteſt, qui huiuſmodi deliramenta quicquàm curanda, aut ad ea perſtringenda ſuſcipiendum ſibi negocium vllum putet. Id eò magis in illo literatorum conſeſſu

grauiſ-

grauissimo, Viri Auditores; qui, quod semper à scientia steteritis, benignam hodie attentionem aurium, fauorem animorum propugnaturo mihi pro viribus * illius Disciplinæ Assertiones, quæ ad Scientiam quamque (si antiquis placet) aditum struunt, facilè reponetis.

* *Vel*. Physicas Theses, quæ (si antiquis placet) Naturæ thesauros patefaciunt, facilè reponetis.

* *Vel*. de Scientia generatim præcipuas theses, quæ antiquorum illorum placita antiquata esse testantur, facilè reponetis.

GRATIÆ.

Scientiam inscius ipse propugnaui: Alij scientissimi oppugnarunt. Repugnantis hoc habet speciem. Verò tamen verius esse & probauit hodiernus euentus, & facto consimili ego quoque probabo. Pro vestro in me fauore, Humanissimi Auditores, gratias vobis sine vllis verbis acturus.

LOGICA, VEL METAPHYSICA,

De Ente rationis.

PRæsidem animantium Hominem non immerito Philosophantes quidam Vicarium Dei in terris: Non temerè alij Deum alterum in creatis, dignitate conditionis inspecta nuncuparunt, N. N. Hoc siquidem extolli magis quis neget Cælestis Conditoris maiestatem, nedum quidquam imminui, quo illius opus in rerum procreatione præcipuum, conquisitis ad pompam clarioribus titulis in publicum aspectum producitur. An non Pictoris præcellentiam spirantis penicilli tabula optimo in lumine collocata, Et Statuarij incomparandam industriam animatæ scalpturæ signum excelsæ impositum basi gloriosius ostentat? Et sanè quòd depictam ab se citra vllum exemplar puellam nescio quis Philopinax apud Aristænetum adamare mox cæperit, colere, deperire; formosam eam quidem, sed mutuam imaginem, sed inanimam in illa tabula, festiuissimum enimuerò commentum fuit, fabellæ autem cognatum, neque à decoro Pictoris abhorrens: Verumtamen ille in alienæ demum formæ amores exarsit, & collectas ex alia atque alia Virginum speciosissima venustates facile coëgit in vnum, externa dumtaxat pulchritudine visendum opus, & amore dignum promiscuo. Maius quiddam hic habetis, Auditores, vbi æternus opifex quod in tempore non alienam

imaginem, ſed propriam; non emendicatis extrinſecùs, ſed ex ſe ipſo petitis lineamentis, & coloribus Hominem picturam Diuinitatis viuentem, ſpirantemque ad miraculum Naturæ ſit molitus; miremini, cur illum, vti ſibi quàm ſimillimum, in amoribus, in delicijs habuerit; &, ni Maieſtatis obſtitiſſet immenſitas, Deum alterum fuerit effecturus? Sed vt noſtram orationem ſtudio breuitatis in arctum contrahamus; In quo (cedo) ad viuum magis refert Conditorem ſuum Homo, quàm quòd hic Entium, Realium eſt effector, ille Entium Rationis? Videte per veſtram fidem, cum Deo Maximo concurrentem (ſi fas eſt loqui) paruum hunc Deum. Nam nec præter Deum alius rerum ex nihilo efficiendarum habet facultatem; nec Entium Rationis efficiendorum alius præter hominem; Vſque adeò ne cognoſci illa quidem à Deò poſſe, quando cognitione hominis ſola producuntur, ſalua tamen Diuinæ perfectione Maieſtatis, Doctiſſimi quidam philoſophantes contendant. At hæc, & id genus aliæ quæſtiones commodum expoſcunt campum, Sapientiæ veſtræ, Auditores, propoſitis per me theſibus patefaciendum.

GRATIÆ.

VEſtræ attentionis humanitas Entis Realis quodammodo repræſentat naturam, Animi verò mei grati ſignificatio ſpeciem habet Entis Rationis. Nam & Ens illud in ſolido conſiſtit opere, hoc in effictо. Quid autem beneficij collatione firmum magis, ac diuturnum? Quid actione dumtaxat gratiarum fluxum magis, ac euanidum? Verumtamen ego & gratias vobis ago præſentes quas poſſum maximas, & habebo perpetuas.

LOGICA GENERATIM, ET SPECIATIM,

Expreſſis in fine capitibus diſputandis.

QVæ duæ res generis noſtri dignitatem ſupra greges cæterorum animantium extollunt, Ratio & Oratio: ſi earum vis, ac facultas penitùs introſpiciatur, præiudicabunt facilè de quæſtione inter Collegas meos nuper excita, vtra diſciplinarum, Rhetorica, annè Logica, humanioris titulo ſit cenſenda. Ne, quæſo Auditores, cuiuſpiam veſtrum mentem ſubeat de mea fide ſuſpicio: quòd ipſe è gremio Muſarum in caſtra Philoſophorum modò quidem traductus, atque amœnioribus dudum literis ad humanitatem imbutus, induſtria pari Doctoris, ac mea ipſius

virili

virili contentione: nunc quasi immemor officij, atque desertor pristini instituti, ab illorum partibus, quibus huc vsque studui, genio iuuenili deficiam, nequaquam ad Rhetoricen, vulgum secutus; verùm ad Logicen meapte sponte, nec vllius adhuc sapientis oraculum præsentiscens inclinem. Quandoquidem vbi Ratio dictat mihi, quòd Oratio proferre debeat, ecquod aliud tandem oraculum quæram certiùs, aut cur placitum alienum emendicem? Neque verò illud me fugit, Orationem ex placito Sapientum quoddam esse quasi Rationis promptuarium, ex quo nimirum quidquid hæc conceptum habet, atque collectum magisterio prudentiæ, promptum est nobis proferre in vitæ nostræ vsum, in societatis præsidium, vnde vita ipsa fulcitur. Nisi tu fortè brutis animantibus vsum Orationis esse concedendum putes; propterea quòd ex pennatis nonnulla videmus sub hominum disciplina tantùm articulanda voce proficere, vt non verba modò, sed & membra, & periodos Orationis, more hominum pronuntiare perdiscant. Tu ergo cùm legeris in memorijs antiquorum salutatos non semel Cæsares à psittacis; cùm coruos, cùm turdos, cùm picas in tectis priuatorum offenderis lusitantes verbis, quæ didicerint; didicisse, quæ minimè intelligerent; neque secus insinuata illis arte hominum verba effutientes, quàm si in sonos, aut garritus, naturæ cuiusque congruos eandem vocem inflecterent; hos tu (inquam) animantes eo pacto loquaces, malueris loquentes appellare? Illam tu vocis affectatam articulationem, perdita sæpe opera, & oleo tentatam; improbo autem magistri extortam labore, ad iocum dumtaxat, ad risum, ad speciem scurrilitatis compositam, Orationem nuncupabis, ac sermonem hominis proprium, qui non nisi face Rationis præuia, & quàm enuntiare sententiam, & quibus verbis congruenter pro re sibi proposita debeat, attentè atque maturè deliberet? Quare cùm à Ratione omninò pendeat Oratio, cùm hæc illius indigeat magisterio, cùm illa prudente, euadat hæc sapiens; imprudente, desipiens; solerte, composita; hebete, inepta; veloci prompta (ad summam) vicarias Rationis cùm agat partes Oratio, cùm pareat, cùm ancilletur: quid est, quamobrem non hominis proprium magis ornamentum dici debeat ipsa Ratio, humanior idcircò cultus illius, ac humanior disciplina? Ob id præsertim, Auditores, quòd vbi superiorem belluis reddit loquendi facultas, reddit Intelligentijs Cælestibus parem munus intelligentiæ, atque adeò Cælestem illi quasi Diuinitatis imprimit speciem. Neque enim pertinere quidquam credimus ad corpus, aut corporis affe-

ctiones illam similitudinem, quàm inter Deum atque Hominem intercedere statuit Auctor Sacræ Geneseos, ad eius hunc imaginem efformatum describens. Spiritus quippe Deus est purissimus, idemque simplicissimus, omnis non modò concretionis expers, sed illius quoque in spiritu creato cadentis compositionis, quàm vocant ex actu, & potentia, incapax, & immunis. Itaque cum Superis agentem hominem non facit nisi Mens; Mentisque affectus; cùm mortalibus autem mortalis vox, & ex organo hoc vocis canoro vocalis Oratio. Iam scitor à vobis, Sapientissimi Auditores, quæ cui ex his duabus facultatibus moderandæ atque perficiendæ nata sit disciplina? Rationi profectò Logicam, Orationi Rhetoricam, vèl ipsi fateantur Aduersarij. Nam logos Græcis non magis sermonem aut verborum oris, quàm mentis Latinè sonat. Certè de Verbo sempiterni Patris, eius nimirum mente ab æternitate concepto magnificè pronuntiauit, & quidem Græcè ex autographo, Diuinorum ille arcanorum custos Ioannes, *In principio erat sermo*, vbi ex Latina versione *erat Verbum*. Commodiùs in rem nostram Diuinus Plato Rationem intelligit: Vnde perbellè Rationalem Philosophiam pro Logica nuncupant sapientissimi interpretes. Itane? Rationem Logica perficit, facultatem hominis Diuinam, qua se se ille Superum choris ingerit, & humanam summo in gradu collocat dignitatem, non ea humanior censebitur? non sceptrum tractabit inter liberales disciplinas? non exiget à Rhetorica, eiusque cognatis literis obsequium? Et quoniam in hac causa perorasse me intelligo, placet missos facere Rhetoricos, & inter Logicæ ipsius studiosos disceptationem serere de * præcipuis capitibus, quæ mox producam.

GRATIÆ.

SI mihi humanitatem hodie vestram experto confugiendum putarem pro Gratijs ad præsidium Orationis, nec initium dicendi vllum, nec finem reperire fas esset. Ratio igitur vna mihi indiserto illa succurrit, quòd Gratijs si minus agendis; habendis certè, & mente æternùm conseruando beneficio vestro, meum in vos non patiar officium deesse.

LOGICA AD TRACTATVM.

De suppositione.

DEcoxit cum fide Poëseos simul cognata dignitas Fabularum; nec eæ iam, præterquàm pædagogorum infelicis hodie appella-

appellationis narratiunculæ ioculares, auribus modò pusionum tenendis æstimantur. Id quantæ corruptelæ indicio sit, probat vel vna illa sacrarum literarum (poëtis interim suspectis) auctoritas, cùm oraculo Principis Apostolici Senatus τοὺς μύθους σεσοφισμένους, *fabulas* nimirum *doctas* habeamus nuncupatas; atque ita doctas interpretari nos iubet, vt ijs quasi scientiæ quibusdam organis (est autem scientia de rebus submotis à sensu, solaque ratione nitentibus) visum ipsum atque obtutum obijciat eo loci Diuus Petrus, suosque citet oculos testes; *Non enim* (aiens Epistola secunda) *doctas fabulas secuti notam fecimus vobis Domini nostri virtutem, & præsentiam; sed speculatores facti illius magnitudinis*. An verò non doctas dicamus fabulas, quas tanquàm ænigmata inuentas ad occultandam Philosophiam esse tradit Vincentius Gallus in suo Rhetore absolutissimo? An non doctas fabulas, quibus Platonem illum Diuinum eiusque sectatores omnia ferè Sapientiæ mysteria inuoluisse videmus, vt ingenia ad eorum cognitionem excitarentur? An non doctas fabulas, quarum vsu Principem Latinæ eloquentiæ grauissimas causas defendisse, Amerina, Miloniana, Maniliana testantur? An non denique doctas fabulas, quibus aliquando aduersus Magni illius Alexandri armatam furore auctoritatem, & insolentissimam victorijs postulantem ad necem, Oratores Græci omnes cum eorum Principe vitam suam acceptam retulere? Neque enim quidquàm laborandum est vobis (Sapientissimi Viri) de vsu vulgi, deque sensu per hocce seculum barbarum populari; quasi, quoties vox auditur Fabulæ, toties fictus ad risum, toties compositus ad nugas sermo subaudiatur. Est verò res ficta Fabula, est & facta. Quæ enim fabula docta, ea quidem ficta, sed quæ tamen veritatem adumbrat factæ, sed arcana deuelat sapientiæ, sed dogmata grauissimu cum lepore insinuat animis, eò autem viuidiùs, quo iucundiùs. Quæ verò facta est, quidni fidem demereatur audientium? quid Fabulæ dedignetur titulum, quem deferre doctissimi viri non dubitant? Quasi non verè illud factum, & ex fide indubia famæ communis, argumentum ad persuasionem præualidum sibi velit Hieronymus, latinitate purissimus inter sacros Scriptores, ac eloquentiæ gloria Tullius Christianus, quùm Castrutium quemdam per literas consolaturus super orbitate oculorum, exemplumque allaturus de Dydimo cæco, quem quidem Diuus Antonius Abbas coram fuerat consolatus, hanc ipsam germanam historiam, vt quæ per omnium ora ad eruditionem circumferretur, titulo donauit Fabulæ, ita præfatus: *Et ne veteres replicando hi-*

do historias longum faciam, & excedam mensuram epistolæ, breuem tibi FABVLAM referam, quæ infantiæ meæ temporibus accidit; Audiſtiſnè Hieronymum? Audiſtis Hiſtoriæ, Fabulæque reciprocata vocabula? Audiſtis euentum rei nequaquam commentitium, aut è ſuſpecta antiquitate petitum, ſed ætate prima enarrantis ipſius Hieronymi, ſed fama recenti, atque aures viuentium adhuc pulſante? Diſperam, Auditores, niſi hanc vocem in ſacro argumento, de re veriore veris, Sanctiore ſanctis, omniumque auguſtiſſima vſurpatam produxero. An verò Chriſto Domino Hebræorum machinationibus, poſt proditionem, contumelias, verbera, in Crucem ſublato, atque extincto quidquam verius factum, atque certius? an quidquam ſimul auditu ſanctius, ac religioſius? Et quidem ea de re agentes in itinere diſcipulos Chriſti duos hiſtoricus Euangelicus cùm deſcriberet, collocutionem hanc fabulam appellat, *Et factum eſt*, aiens, *dum fabularentur*. Fabulam (ſuſcipite, hinc licebit) non niſi hiſtoriam damnati extremo ſupplicio Chriſti Dei. Fabulam enimuerò triſtem, & longè lugubrius argumentum tragœdiæ, cuius gratia mœrorem præſeferentes diſcipulos ſciſcitantes Dominus, *Qui ſunt*, inquit, *hi ſermones, quos confertis ad inuicem, & eſtis triſtes?* Quorſum verò hæc, Auditores, à me differuntur? Niſi vt ſpecimen exhibeatur eius, quæ mox diſputanda prometur, doctrinæ Logicalis; cuius præſidio cùm alijs multis præceptionibus errores, ac fallaciæ argumentorum, veluti Phœbæis radijs atræ nebulæ dilabuntur, tùm ijs quæ de Suppoſitione traduntur, vnde ſophiſmatum, & elenchorum ſcatebræ frequentiores, nullo negotio præuertuntur. Hæc ita cùm ſint, tam alacres mihi veſtros polliceor animos ad auſcultandum, quæ fallacijs dicendi retexendis conducunt, quàm ſcio, faciem veritatis ſpecioſiſſimam adamare.

GRATIÆ.

Vindicaui (vt audiſtis) à contumelia vulgi, Fabulæ nomen ſerium & graue: Vindicate vos mei, Humaniſſimi Viri, à nota ingrati apud vulgum. Et pro admiſſa vobiſcum fabulatione mea hodierna, gratias quas ago ex animo, tenues per ſe licèt, officij pleni loco accipite.

LOGICA

LOGICA SPECIATIM.

De Syllogismo.

PArentis Naturæ admirandum in varietate, ne dum spectandum decorem cùm multa passim in hac rerum vniuersitate circumferentibus se se oculis ostentant, tùm ingenij humani alia & alia, atque adeò aduersa alteri alterius propensio, facultas, ratio in primis declarat. Cur enim quædam permagno constare alibi gentium, perparui verò alibi videmus, nisi quod pretium rebus & æstimationem non quæ est eadem ipsa materia plerumque facit, sed magis hominum arbitrium, & libido? Interest autem omnino, vt sensibus alienis ac votis obsecundet quisquis rei alicuius præclaræ molitor, primusque inuentor auram sibi popularem, ac nominis celebritatem contrahere inde parat; quo fit, vt quædam opera oculos teneant imperitæ plebis, fugiant autem prudentum aspectum: quædam contrà neglectui plebs habeat, quæ prudentibus nullo satis sunt pretio exæquanda. Ac pinguia quidem & crasso Cælo edita ingenia in ijs ferè defiguntur attonita, quæ vel inuentum aliquod mæchanicum operosiore artis industria elaboratum offerunt, vel pompæ sumptusue magnificentia lenocinantur sensibus corporis, quæ tamen omnia ingenijs liquidiore sub Cælo translatitia sunt. Itaque mirentur alij eburneas illas quadrigas muscæ alis intextas, & nauim similiter pennis apiculæ: Alij in gemma annuli expressum lineolis casum Phaëthontis; In Achate alij Musas nouem cum Apolline impressas: Alij alia quasi solertiæ mortali homine maioris argumenta: Alij hortorum Alcinoi dignas magno Rege delicias; magnificentiam Salomonis auro, gemma, supra numerum, supra fidem. Quanto secius alij sapiunt, qui sola literarum monumenta pro cimelijs, pro gazis æstimant, quorum vnus pro omnibus fidem orationi nostræ faciat Iulius Scaliger, fortunæ quidem bonis ad splendorem insignis, opibus autem ingenij eminentior, ac rerum rectus æstimator, cui tanta in admiratione fuit elegantia Odarum Horatianarum, vt similem illis vnam ab se compositam mallet, quàm totius Tarraconensis sceptro potiri. Quod si tantùm à Sapientibus tribui videmus Horatianæ Musæ, quid de Aristotelica formula Syllogismi pangendi iudicandum? Cuius enim rei gratia potissimè natum est carmen, præterquàm delectandi? At Syllogismus (dicam ipse) docendi; neque id segniter, sed neruosè,

sed

ſed pugnaciter ad auerruncandas fallacias, ad veritatem intrudendam quocunque in genere diſciplinæ. Quàm latus hic mihi pateſcit campus ad eius laudes, vos videtis, Auditores: Siquidem quàm multis obnoxium eſt dolis malis ingenium hominis? quàm ardua, & inacceſſa ad veritatem via? At illos quidem Syllogiſmus retexit, ne captent philoſophantem, hanc verò expedit, vt facilis pandatur. Vultis huius rei periculum ipſimet facere? Ego de ipſo Syllogiſmo poſitiones dum profero diſputandas, exerite ipſi veſtros, atque in arenam pugnaturi deſcendite.

GRATIÆ.

AVdiſtis, Ornatiſſimi Viri, vti craſſa ingenia plus iuſto æſtiment mæchanica opera, minus iuſto liberalia. Incomparandum ſit ergo, oportet, meritum in me veſtrum, ob exhibitam hodierna diſputatione materiam eruditionis; quando Ego craſſiſſimi homo ingenij, illud tamen omni maius æſtimatione pronuntio.

LOGICA SPECIATIM.

De Syllogiſmo.

NAturam in Homine luſiſſe, quis neget, quùm illi ingenium indidit, per quod Naturæ ipſius parentis æmulator veriùs, quàm imitator euaderet? Nam quod à Claudiano canitur luſiſſe Archimedes laborem Iouis in arte fragili, paruo in vitro concludens æthera; ſpectandum offerens ſpiritum varijs famulantem aſtris, vrgentemque opus viuum, certis ac ſtatis motibus; ſed & Solis curſum annalem, ac Lunæ menſtruas reparationes; atque ita ſenex iſte Syracuſanus voluere Mundum ſuum audaci induſtria, ac regere mente Sidera: Quid hoc totum eſſe aliud ſtatuemus, Auditores, niſi quod Vates idem de tanto artis miraculo cecinit in clauſula.

Æmula Naturæ parua reperta manus.

Quid aliud (dicam apertiùs) niſi ludentem in Homine Naturam reciprocè ab ipſomet ludi? Verùm hoc tu Syracuſani Mathematici ſtudium imitationis eſſe dices, non æmulationis; ſolertis eſſe, non inuidi ingenij; laſciuientis, non liuidi: quaſi ſcilicet vt luſerat Natura in Mundo minore, Homine, ad contentionem maioris Mundi fabricando: Ita Homo ipſe ad exemplum ſui, Mundum paruum alterum ludens in vitro machinari ſtuduerit,

duxerit. Lepidè tu quidem, atque à mentione ludi minime discorde sententia. Quid porrò de Philosophis illis loquamur, qui Mundos alios, quos ignorat Natura, sibi mente confinxere? Nam quod Syracusanus in vitrea sphæra molitus fuerit æmulam huiusce Mundi imaginem, experiri profectò voluit, in studio Matheseos quantum ipse profecisset; pertentauit, quantum suppeteret virium ingenio suo; vt minimùm affectauit, sui nominis gloriam transmittere ad posteros immortalem, illud à Seneca dicendum iam tenens: Mehercule magni artificis est, clausisse totum in exiguo. Denique quæ illi Mundum mente finxerunt, hic finxit manu: Illi supini, & oscitantes; hic vegetus & operosus: Illi insana quadam Philosophia, hic cura graui, ac seria: Curauit quippe aperire studiosorum oculis theatrum hoc vniuersitatis rerum admirabilium in modico, in fragili, in translucido spectandum ingenti cum voluptate, nec paruo cum laboris compendio philosophantibus; vt in sphæra illa speciem quandam poëseos contemplarentur, mutæ quidem, sed non immotæ, ac iuxta Magistros artis noua ibi arte immixtum vtile dulci mirarentur. Ergo procul hinc cum sequacibus, aut sui similibus Xenophanes nescio quis, & Mathematicis aliquando phanaticis aures præbeat; Quod orbis Lunaris duodeuiginti partibus, quàm Terra, sit maior: Somniet inde, explicatam in suo cerebro quasi mappam Mundi alterius, in ea depictam ipsius Lunæ sinum, in quo terrestrem alium Orbem, aliud genus hominum simili planè modò vitam viuentium, quo nos hic in Terra viuimus. Hæc igitur delirare Xenophanem non dispuduit, & in cœtu frequenti Auditorum suorum buccis concrepantibus philosophari. Quem de facili quilibet è grege ita elusisset. Si Orbis alter terrestris in sinu Lunæ, si hominum genus alterum; habent ergo illi homines Lunatici Lunam alteram, quæ ipsis lumen nocturnum afferat, quemadmodum hæc nobis affert Luna; Et hic ipse fortassis, quem calcamus, noster Orbis terræ, alterius nobis inferioris Terræ Luna credi poterit. His enimuerò commentis inuidiæ infandæ liuore tabescere vtique coarguuntur id genus homines tenebriones, qui cùm afferre de suo artem nullam possint ad honestum cum Natura certamen exhibendum, eius vsurpantes Magisterium, solo dicto nouos constituunt Mundos; Mundis Terras, Terris Ciues, Ciuibus Leges, ac iura continuò disponunt, iubentes intereà Naturam feriari, atque impiè sibi iura Naturæ vendicantes. Quò foret sanioris mentis, atque consilij, continere se se homines in hocce Mundo, in quo editi à Natura sunt, eiusce contemplandæ

ſpeciei, amplitudini, harmoniæ, vnde beari poſſint, intentos eſſe; neque in morem Icari negatos humanis veſtigijs Orbes, negatos obtutibus, volatu quodam deliræ mentis audaci exquirere. Quàm itaque damnandam eſſe videmus inſaniam Xenophanis, tàm commendandum Archimedis inuentum; cuius tamen ſphæræ molitio non in ſola conſiſtere nos patitur admiratione artificij ſingularis, ſed ampliùs ad imitationem vocat ſtudij non abſimilis, glo riæ autem multò maioris. In illo enim opere adumbrari perbel le nemo non videt mentem Hominis, & rationem; quippe non minus iſte in ſe Magiſterio Naturæ, quàm illa Archimedico in genio collegit compendium Mundi. Iam niſi Syracuſanus hic noſter vitreos illos Orbes, ſuo quemque loco, digeſſiſſet, ſuum cuique motum certa ratione impreſſiſſet ad harmoniam, concentumque Vniuerſi, Ecquod in fragilitate eius materiæ feciſſet pretium tantæ operæ? Mehercule ſpectaculum obtuliſſet puſionum oculis, non Sapientum virorum, nec ſupra quàm Agyrtæ cuiuſdam, aut circumforanei famam eſſet conſecutus. Id ipſum fere præſtandum eſt ſtudioſo cuique exiſtimationis dicam, an felicitatis? Ordinanda in primis noſtræ Rationis eſt Sphæra, certam vt viam in differendo teneat ab omni erroris ſuſpicione munitam. Atque id cuiuſnam aſſequimur beneficio, niſi Logices, quæ & Rationalis titulum idcircò præfert, & quàm Boëtius differendi Magiſtram, Auguſtinus Artem Artium, ac Scientiam Scientiarum, Ariſtotiles ante omnes Organum appellauit, hoc eſt Inſtrumentum ſciendi, & Modum ad reliquas omnes addiſcendas Scientias. Quibus ex titulis ſatis liquet, ex vſu perfecto huiuſce diſciplinæ felicitatem in terris humanam, ne dum exiſtimationem ac dignitatem pendère. Eius porrò pars præcipua in conſtruendo Syllogiſmo occupata ſuggerit mihi capita quædam hodierna diſputatione inueſtiganda, ni veſtra me indignum humanitate putaueritis.

GRATIÆ.

IN ſphæra vitrea & fragili Orbes Cæli adàmantinos atque æternos Archimedes expreſſit, & laudem inde tamen retulit immortalem. Ego pro beneficio attentionis exhibitæ æterno, gratias vobis acturus, ſicut ingenuè profiteor meæ imbecillitatem orationis, ita hinc ſi minùs laudem grati animi aliquantulam, non ingrati certè cenſuram referre confido.

LOGICA

LOGICA GENERATIM.

Vel speciatim de Elenchis.

LAsciuientis ingenij, non philosophantis propositum illud mihi semper est visum, Ornatissimi Viri, cum vt auditorum palato sententiam plerique suam concilient, improbare aliorum, ac superiorum in primis, ad probrum vsque instituunt. Vtque censuram de se formidatam auertant, ipsi in alios censuram ineunt, quasi ex aliena modò caligine suam ipsi claritatem, lex ineptijs sapientiam, ex erratis doctrinam, ex ignominia gloriam, non ex se ipsis, Marteque suo parare, se faciliùs posse confidant. Quod si veterum rudimenta, & quasi nascentis Philosophiæ tyrocinium aspernari liberum est, quid est reliquum, nisi vt despicatas atque derisas habeamus primas illas à sanctissimo Naturæ opifice lineas theatro huic rerum aspectabilium positas, Et primos quoque lucis matutinæ suspiratos omnibus albores, & quàm posteriores nostræ consecutæ sunt degeneri subinde cursu ætatem auream, & prima quæque summorum virorum de rebus egregijs gerundis consilia, Et (medius fidius) nostram ipsorum infantiam, & primum ortus momentum, sine quo nobis felicitatis crepusculum illuxisset nullum, iure licuerit execrari. Habendæ sunt potiùs per nos gratiæ quàm plurimæ priscis illis mortalium, qui ætatum earum ignorantiam pertæsi, socordiam, & luxum exosi cœpere sibi animos excitare ad saniora cogitata, erigere mentem ad Naturæ arcana indaganda, quorum cognitione parta fore se superiores gregi hominum, ac semetipsis maiores lumine Naturæ spondente autumabant. Neque verò si qua circa rerum notitias minus verò similia, aut etiam inepta dicuntur effutiuisse (dicuntur autem vulgo commentitia quàm multa per inuidiam) idcircò carpendi ij sunt nobis licentiore censura, multoque minùs digito notandi medio; quin quòd viam errandi posterioribus nobis præcluserunt, & quos declinaremus scopulos, facto ipsi naufragio monstrauerunt; & fundamenta philosophandi firmiora procul dubio, quò rudiora reliquerunt, par est ætatem potiùs causari, quæ illos edidit, & nos in meliorem reseruauit, nec vllo certè nos merito, nec eos vlla culpa. Quin etiam siquis est sensus humanitatis in nobis, si qua mentis grauitas, si quod rerum humanarum periculum, commendandum imò fuerit illorum studium, extollendi conatus, extenuandæ autem ineptiæ, errata quoque, & quæ

similia sunt, monstris, non secus atque peccata Naturæ, inchoamentaque rerum trunca, & mutila in honore habenda, in pretio, tantùm abest, vt in contemptu, in fastidio. Sed quorsum hæc à me dici existimatis Auditores? Quippe offendi nuper inter legendum, nec sine stomacho, quemadmodum Firmianus inter Ecclesiasticos Scriptores non ignobilis, tametsi rerum Ecclesiasticarum minùs consultus ex censuta meliorum; stylum alicubi suum acuit, atque vrget amarulentior in Philosophum ex antiquissimis Anaxagoram, obiectans, quod illi aliquando exciderit hoc effatum, Niuem esse nigram. Ridendum enimuerò effatum Philosophi, & Sapientiæ insanientis argumentum: Nisi desipiens Tu magis ac ridendus interpres reddaris, cùm sonum dumtaxat syllabarum pulsantem aures attendere cura est, non propositum dicentis, aut vibratam sub dicto sententiam. Quo quidem pacto deliramentis accenseas, licebit, lumina orationis frequentia, hyperbolas, metalepses, ænigmata, ironias, & cothurnatum quemque Scriptorem proscribes; pedestrem & humi repentem solùm probabis. Quandoquidem Anaxagoræ Axiomata nequaquam in triuijs nata, quemadmodum & gesta digna præcelsis natalibus candidum postulant, non modò sagacem auditorem. Quidquid autem sibi voluerit Anaxagoras, mihi certè & nigra nix, & quòd æquè quasi absurdissimum inferebat Firmianus, alba pix impunè enuntiabitur, si gratia disputationis per sophismata, vel ad hominem retorto argumento, vel alia quasi ratiocinandi arte huiusmodi dictum pollicebor me sodalibus meis euicturum. Tanta est (Ingenui Sodales) Logicæ disciplinæ necessitas, ea in primis parte, quæ in Elenchis occupatur, vt, nisi rationem illorum quis calleat, peruerti illi sensus de facili succedat; atque aliud oculis, aliud mente teneri ludificata ratione, perturbato iudicio nigram æquè afferere niuem, atque albam picem reluctante licèt sensu compellatur. Ergo tanti momenti materiem, quando iam ipsi nos deuouimus huic disciplinæ, ne pigeat propositis in medio thesibus, instituta disputatione tractare.

GRATIÆ.

Nigram esse ipsam niuem, quàm nuper albam non iniurati asserueritis, hoc est insipientem sapientiam meam non sine magno meo pudore hodiernæ processu disputationis probauistis, Auditores. Ne verò etiam absurdo consimili ingratus ego videar beneficijs cumulatus vestris, Accipite, Vos, pro maximis, quas pro tenuitate mea gratias agere vix vllas possum.

LOGICA

LOGICA GENERATIM.

De Syllogismo, vel de Demonstratione.

ANaxagoram volens lubensque vendico à calumnijs religiosi cætera Scriptoris, cuius à nomine quidem stylum effluxurum esse lacteum tibi polliqebere; à studio autem liuidum austerumque gustabis. Vendico, inquam, Philosophum à Rhetore, Sapientem à cauillatore, Ethnicum à Christiano; sed isto è censura Magni Hieronymi ad Paulinum Christianis in rebus minus periro; & ad Magnum oratorem Romanum, Ciceronis in Dialogis collectore. Quò sanè haud irreligiosiùs ego apud vos, Viri prudentissimi, auditurus esse confido, causam defendens obiter eius hominis, qui tempora Euangelica quàm procul, longèque præuectus fuit, tam redditur dignus venia, si veræ lineam sapientiæ transilierit; admiratione, si tenuerit. Atque hunc Laæantius in quo vellicet, audite. *Anaxagoras* (inquit) *cùm ab eo quæreretur, cuius rei causa natus esset, respondit, Solis ac Cæli videndi. Hanc autem vocem* (subijcit Lactantius) *admirantur omnes, ac Philosopho dignam iudicant.* Et pauló infrà. *Videamus, in tribus verbis quot, & quanta peccauerit.* Tùm in sui dicti firmamentum ita statuit; *Primùm quòd omne hominis officium in oculis posuit, nihil ad mentem referens, sed ad corpus omnia.* Hæc ille, alijs subinde atque alijs ad censuram, ad probrum inuehens in Philosophum. Quanta verò id iniuria, Viri Auditores? quanta insulsitate sententiæ? quàm peruerso interpretamento? An illum tibi, bone Lactanti, criminandi locum reliquisse dicas, illum omne officium hominis posuisse in oculis, quo primus omnium testimonio sincero Laërtij cœpit philosophandi arguere, initio Mundi omnia fuisse confusa, & ab omni procul ordine, omni specie, ac decore permixta? An illum retulisse ad mentem nihil, qui omnibus ita permixtis, atque confusis Mentem quandam fecit accedere, quæ illa ipsa disponere aggrederetur, ornareque ad eam, quàm cernimus, Mundi elegantiam? Nihilne ad mentem retulisse, cui cognomentum Nûs, hoc est Mentis indidit vulgus ex isto ab se vulgato nouo dogmate? An denique ad corpus omnia retulisse, qui, cuius causa natus esset, sciscitanti, non sensuum corporis pascendi, respondit, non venandi voluptatum, non ventri, gulæque indulgendi, non more pecudum defigendi oculorum in terram; verùm vt humani oris sublimitas exigit,

erectis

erectis altiùs luminibus, Cæli, Solisque contemplandi. Quare Anaxagoræ sensum Lactantius vel minimè hauserit, oportet, vel studiosè dissimulauerit, vt, vndè inueheretur, arriperet: hoc autem egregiæ vertendum malitiæ, illud inscitiæ perpingui: Vtri verò magis, ipse cauerit. Iam Philosophum locutum ibi metaphoricòs, nemo neget, qui cætera de eo memorabilia è testimonio consentientis totius antiquitatis obseruabit. E quibus illud suggerit Elogij segetem immortalis, quòd parandæ doctrinæ studio, patrimonio abdicatus amplissimo, peregrinationemque adornans in vltima terrarum, Cuidam ita compellanti, Nullanè tibi patriæ cura est? *Mihi verò*, respondit, *Patria cura est, & quidem summa*, Digitum inter hæc in Cælum intendens. Hic enimuerò Auditores attendatis licebit docentem Anaxagoram, cuius rei causa sit natus. Iam nomen Patriæ impositum Cælo conferte vos cum Cæli, Solisque conspectu; conferte digitum illum sursùm versùm intentum cum illius vibratione responsi: Cælestis desiderium patriæ cum abdicatione terrestris voluntaria: diuitiarum sitim immortalium cum deserto amplissimo patrimonio: studium doctrinæ flagrantissimum cum suspirato fonte æternæ sapientiæ; Ecqua lux inter caliginem Ethnicorum ista fulgentior? Ecqua vox in seculo iam tùm infante admirabilior ad eruditionem, illustrior ad gloriam, commendabilior ad exemplum? Quæ verò dignior, cui celebrandæ stylum suum verè lacteum conferret Lactantius, cuius commendatione Institutiones suas Diuinas locupletaret? Quasi verò absurda sit, aut abhorrens ab instituto Philosophantis figurata locutio, vsusque Metaphoræ. Proferamus testem, Auditores, non diobolarem, sed classicum, imò & classicorum locupletissimum, Diogenem dico, qui vt contemptor nitoris, fastusque omnis ac pompæ conculcator egregius fuit; ita perpetuus in translatis, hoc est Leporibus esse maluit; siue illum loquentem audirent, siue (quòd est mirabilius) operantem. Vultis loquentem? Cùm is laudatorum se dixit esse canem, laudantium verò ad venationem secum ire audere neminem: Cùm hominem diuitem, sed rerum ignarum nuncupauit ouem in vellere aureo: Cùm inclamans in foro *O homines*, ac cernens conuenire plurimos, baculo insectatus est inquiens, *Homines ego aduocaui, non scelera*. Vultis autem operantem? Cùm in foro ciuibus confertissimo quærebat accensa in meridie lucerna Hominem vnum. Vultis vtrumque simul? Cùm cuperent aduenæ quidam Demosthenem visere, extendit ad illum loco Indicis digitum medium, aliàs infamem; *En*, inquiens, *vobis Orator*
Athenien-

Athenienſium. Scilicet vſque adeò in translatis ludebat, vt indè eliceret paſſim facetias, vibraret ſcommata. Quid verò Crates Philoſuphus? quid Plato? quid reliqui eius notæ atque nominis? Non hærebo hic, Auditores, ne videar vulgatiſſimæ rei vos quaſi ignaros arguere. Interprete itaque eget Anaxagoræ dictum, non Zoilo, dum audit Lactantius obiurgantem Senecam Epiſt. 72. *Relinque iſtum ludum literarium Philoſophorum, qui rem magnificentiſſimam ad ſyllabas vocant.* Neque enim (ſubdam ego) ſub ijs ſyllabis, ac vocibus *Cæli Soliſque* quid conditum vellet tantus Philoſophus, animaduertit Lactantius, & fortè plura ibi arcana condidit, inter quæ placet nobis interpretari, Solis quidem nomine, ſeu facis diurnæ, lucem veritatis, quemadmodum Lunæ, facis nocturnæ appellatione caliginem falſitatis. Cælum autem pro Deo, cuius eſt ſedes, de facile vſurpauit, vt eo illuſtri apophthegmate felicitatem perſtringeret hominis in diſcernendo verò à falſo, inque Deo colendo collocatam. O Diuinam ex ore hominis Ethnici Philoſophiam. Adeſte mihi, Studioſiſſimi Iuuenes. Cuius porrò diſciplinæ munus hoc proprium dicemus eſſe, præterquàm Logices? Ipſa enimuerò tria hæc ad amuſſim præſtat, cùm formas argumentorum excudit, quibus vt à falſitate veritatem primùm dignoſcamus, efficit; tùm vt à Natura ad illius Auctorem Deum ſcandamus, gradum ſupponit. Quæ quidem à nobis perſpecta & ſtudium noſtrum facile accendunt ad tantæ diſciplinæ conſecutionem, & ſpiritns hodie adijciunt ad diſputationem, propoſitis per me ſummis capitibus ineundam.

GRATIÆ.

CVius rei gratia ſim natus, ſiquis veſtrum à me fortè ſcitetur, Anaxagora doctore habebo promptum reſpondere: Humanitatis veſtræ, clementiſſimi inſtar Cæli videndi hodie, fruendique gratia. Tùm pro gratia tanta, vt quas per me licèt, gratias agam.

Fulgebunt dum ſidera Cælo:
Dum Cælum ſtellas, dum vehet amnis aquas.

LOGICA GENERATIM;

Vel ſpeciatim de Demonſtratione.

IGnorantiam, truculentum non minus monſtrum, quàm tetrum, antiquitas poëtarum elegans deſcripſit in Minotauro, qui

qui Cretico illo abditus Labyrintho immissos fatali fœdere iuuenes, præclusoque exitu à fuga prohibitos, discerpere, ac deuorare putabatur. Erat is locus (si famæ credimus) amplitudine vastus: magnificentia admirabilis, structura verò, & artificio planè monstrosus; dignus, quem & Dædalus humani monstrum ingenij delineasset, & monstrum belluarum Minotaurus sibi Regiam quæsisset. Nulla ibi sedes quietis, sed series continens itinerum, textus errorum perpetuus, perplexa ambagibus via, flexus callium inextricabilis, adituum occursus, recursusque implicatissimi, fallacissima vndecunque vestigia, tortuosissimi anfractus, quid plura? Neque quà progredi hic est, neque quà regredi; non vti quis se se expediat, non vti euadat, succurrit; ni Theseus aliquis Ariadnæ amoribus fortunatus, inuentionemque edoctus Dædali, filum ad ingressum Labyrinthi annexuerit, cuius ductu ac reductu artem illam omnem eludere, perplexitates dirimere, errores deuorare, ambages effugere sit potens; tum recto itinere, certò gressu, ictu non fallente, monstrum illud adoriens, iugulans, sternens, tanta victoria insignis inde efferat pedem, laurea coronandus immortali. O nostram mortalium vicem complorandam, Auditores, qui ab ipso genitricis conceptu præditi diuinitùs ratione ad scientiam rerum omnium hauriendam, ad mentis oculos in Solem veritatis, vnde bearemur, intendendos, in hanc tandem euadimus lucem exoculati, è materno editi claustro in Labyrinthum detrudimur horrendum tenebris, laboriosum erroribus, desperato exitu suspirandum, discerpendi miserè per Minotaurum, quoties ipsi nos sortitos animaduertimus corpora quidem humana, sedem verò Mentis Caput non nisi beluinum. Hæc autem cogitatio quàm sit tristis homini ingenuo, conijcite mecum, Auditores, ex atra illa priscorum ignorantia consulentium bruta ipsa super Naturæ proprietatibus: conijcite ex primorum Philosophorum infandis ineptijs, quarum hercle commemorationem quis ridiculam appellauerit, quis veriùs luctuosam; adeò illi, totis licèt mentis intentis conatibus, à linea veritatis procul, ac longè aberrabant. At quis mihi vnquam portentosum hunc Minotaurum interemerit? Quis Labyrintho isto fatali se se explicuerit? Quis tam cæcis ex erroribus in lucem Scientiæ, tàm tortuosis è flexibus ignorantiæ in callem rectum veritatis vindicare se posse putauerit, nisi Theseus alter oblatos habuerit Ariadnæ alicuius amores nullo satis amore compensandos? Fortunata verò tempora, Auditores, quæ intulere Mundo Aristotelem flagyritam! Hic tantus Vir ardentior fœ-

minis

minis in amore Philosophiæ, filum suo traxit ex ingenio, hoc est formulam argumentorum, Demonstrationis potissimùm adinuenit, cuius vsu tutus cuique studioso datur ad triumphandum in quaque facultate de Monstro Ignorantiæ, ad euadendum errorum omnium super quaque materie implicationem: denique (quæ solæ sunt hominis opes) ad Rationis rectum, inoffensumque vsum. Hæc quoniam vsu ipso, quàm dictione mea, clariùs constabunt, placet nonnullas Theses de Demonstratione ipsa in medium proferre disputandas.

GRATIÆ.

VTinam, quemadmodum ad euadendum ex Labyrintho errorum tradidit omnibus Aristoteles filum; sic mihi potissimè ad memet explicandum ex Labyrintho, vbi mille vijs implicor meritorum vestrorum (humanissimi Auditores) filum orationis, & eloquentiæ paris modò traderet, Theseus profectò nullus me fortunatior, nec Ariadna vlla illo dignior amoribus meis existeret.

LOGICA GENERATIM.

Speciatim de Demonstratione.

INgenij partum, parentem scientiæ, obstetricem idcircò humanæ felicitatis quis nostrum ambigat, Demonstrationem Logicam amplo sed iusto elogio nuncupare? Cuius verò partum ingenij, Auditores, præterquàm illius, quod in ostentationem virium suarum editum à Natura censuerunl sapientissimi philosophorum! Aristotelicum ingenium mihi volo, cui quantum debeat Respublica literaria, non Encomia magis testantur, quæ in ipsum recti æstimatores certatim congessere, quàm ipsa liuentium mordacitas obtrectorum, quorum dentes facilè perfregit eius doctrinæ impetita soliditas. Parentem autem scientiæ eandem Demonstrationem siquis auet cognoscere, satis habet inspicere, ante Aristotelem, hocce eius inuento nondum edito, & post ipsum, neglecto à nonnullis eiusdem vsu, tam multi philosophantes, egregij ceteroquin ingenij, & mentis excelsæ, quàm frequentes tamen in scopulos offenderint erratorum, quàm pingue desipuerint. Non profero censum notarum, quas ille superioribus philosophis suspecta nonnullis censura iussit, sed è posterioribus vnum pro multis indicasse sufficiat Firmianum libro Diuinarum Institutionum de falsa sapientia aduersus Gentes, qui Diuinam

inter disputationem suam, & sapientissimam Ethnicæ insipientiæ confutationem, humanum in morem ipse prolapsus non dubitat tollere è Mundo Antipodas, è Mundi medio Terram, è Terra incolas; atque incolis Cælorum & siderum ambientium prospectum, volubilitatem, affectiones gratis negare. Iam si Demonstratione hic nisus fuisset, non hercle commisisset, experimento se posterorum, qui ausu felici ad Antipodas transgressi & suis ipsi oculis oras illas populosissimas lustrauere, & suis vestigijs aduersa nostris illorum vestigia mensi fuere, tanta cum iactura sui nominis refutari. Quid? idem ipse Aristoteles (quod magis miremur) siquando oblitus sui, à formula demonstrationis parumper deflexerit, quid non deerrat? quid non labitur? Vndenam æternus ab eo factus est Mundus? Vnde sub Zona torrida inhabitabilis? Vnde alia multa cum Veritate pugnantia, ingeniorum recentium feliciore modo philosophandi sensibus nostris præsentata? Verum quid ego vrgeo? Quandoquidem inficiari nemo potest, non omnia singularia vni innotescere homini, quem sæpe fide aliena niti cum periculo falsitatis necessum est. Proinde cùm in altera Propositionum sæpenumerò contingat error, caussari merito potest hic tantus Philosophus, siqua suis in scriptis admirabilibus peccata cadunt, siquandò princeps planetarum deficiens, siquid scoriæ auro immixtum, si crudus in scena Roscius, si bonus dormitans Homerus fortè occurrit. Ceterùm quid felicius in terris, quàm mentem arcanis sapientiæ ditatam habere? quid iucundius ad delicias, veritatis luce oculis nostris deuelata? quid splendidius ad gloriam, quàm in imperio rationem, in subiectione corpus, tranquillitatem in animo nullis concutiendam casibus conseruare? Hoc enimuerò beneficio assequimur Scientiæ, Scientiam vsu Demonstrationis, Demonstrationem studio ac meditatione, cuius idcircò gratia, En profero de illa Theses in medium, vestrorum, sodales, ingeniorum lance perpendendas.

GRATIÆ.

Demonstrationis arte non eget, quæ sensibus aperta patuit humanitas in me vestra incomparabilis, Auditores. Arguite vos contrà per Demonstrationem, quantam ego in vos gratiam conceperim animo, quòd eam nullis vèl disertissimis verbis fas est aperire.

LOGICA GENERATIM.

Speciatim de Demonſtratione.

PRoſilit in arenam iſtam, daturum vobis ſpectaculum virtutis non iniucundum, par virorum ſapientum, imparibus inſtructum armis, ſed arte non impari, Ariſtoteles, inquam, & Galilæus. Ille ætate priſcus, hic recens. Ille oppido Stagira, hic Florentia: Vterque in congreſſibus nequaquam tyro, vterque propterea ductans familiam. Cuius ſit celebritatis ab omni antiquitate Ariſtoteles, fruſtra ego vobis commemorem: Ipſum eius nomen Græcis obſignat gloriam optimi ſimul, & perfecti viri. Et crediderit (putes) antiquitas appariturum fore aliquando philoſophum meliorem optimo, perfecto conſummationem: viſuramque fore hanc noſtram ætatem inter Italos hominem, qui Græcis illis veteribus palmam ſapientiæ aut eripere moliretur, aut infringere? An vos arma inquiritis vtriuſque? En hinc Demonſtrationem Logicam, ingenio Stagiritæ elaboratum opus, perficiendæ rationi natum, dignoſcendæ veritati, reiectandæ fallaciæ, aſſequendæ certò veſtigio in qualibet diſciplina Sapientiæ. Quo quid maius ad felicitatem vitæ, eius inquam vitæ, quæ hominem ſapiat, reperiri, aut quid ne votis quidem concipi diuinius poteſt? En è contrario Teleſcopium neſcioquod, ſeu tubulatum conſpicilium, artis matheſeos recens miraculum, Galilæici partum ingenij, cuius vſu propinquiora fiunt oculo, quæ interſtitio terrarum longinqua ſunt: &, quæ receſſu locorum minuuntur, conſpiciliorum contrarij obtutus gliſcunt obiectu. Cui quidem inuento celebrando quæ poterit, Auditores, par oratio reperiri? Huius ope quàm multa, eaque miranda in Cælo arcana detecta? Inuiſæ antehac Stellæ, motus haudquaquam priùs obſeruati, in Sole ipſo nedum in Luna maculæ præter communem hominum opinionem, denique proprietates aliæ in Sideribus ad hanc diem penitus incompertæ. Vtrùm autem horum ingeniorum admirabilitatem putatis habere maiorem? Vtrùm plauſus excipere plures? Et quidem ille demonſtrat obſcura, nec fallere mentem poteſt; hic longinqua repræſentat, nec ludit aſpectum: formulam ille locat ſcientijs; hic tubum oculis: Tam ille in concludendo certus; quàm hic in contuendo: Denique illi nudata veritas pro meta eſt; huic longinquitas caſtigata. Quò mihi perarduum redditur, imò verò hiſce ſuperius viribus

M 2 dijudi-

dijudicare, vtri tantorum Authorum plus debeat Respublicæ literatorum, inuenti vtriusque nobilitate inspecta. At enimuerò in iudicio quæstionis subtilissimæ, in qua cum admiratione vidimus afferri in medium, Telescopium, magnum illud conspicilium, quo, nisi Microscopio, vtendum erit vobis, paruo scilicet conspicilio, cuius beneficio subtilia quæque, ac minima minutim concernuntur. Neget mihi Galilæus, neget, opus habuisse demonstrationibus Aristotelicis, per quas antè cognita, & benè percepta visus facultate, dispositione, sphæra, obiecto; tùm ex obiecto ipso quæ species, quaque rationes manantes; quæ ad illud distantia, quæ interpositio luminis, & alijs id genus doctrinis priùs haustis, machinationem postmodum sui aggrederetur conspicilij, tentatam fortè per alios non bonis auibus, quippe placitis Aristotelicis minùs benè conceptis. Hoc animaduertens Seneca, *Mathematica, vt ita dicam*, inquit, *superficiaria est, in alieno ædificat, aliena accipit principia, quorum beneficio ad vlteriora perueniat*. Quare habeat gratiam, oportet, Stagiritæ Florentinus, atque ipsi acceptum ex parte magna referat inuentum suum. Fateatur lucem ab eo hausisse, quàm obtutibus nostris vltra terminos Naturæ prolungandis nouo opere impertiret. Fateatur, gradum sibi fuisse ab eo suppositum, quo Cælum ausu inaudito lustrandum conscenderet. Fateatur, remotissimas in oras iter sibi adornanti commeatum ab eo suppeditatum fuisse. Fateatur denique, anhelanti sibi Cælestem Orbem, Terrestri despecto, non nisi Cæleste Aristotelis ingenium alas commodasse. Quid enim (amabo vos) profuerit in Sole ipso maculas obseruare, vbi quis inter philosophandum, inscius demonstrationis Logicæ, maculas inscitiæ passim contraheret? Quid motus inuisos Cæli, quid nouas Astrorum faces detegere, motibus Naturæ obuijs & quotidianis, causis effectuum vulgarium ignoratis? Quid denique remotissima sub aspectum velut præsentia cogere, si proxima quæque, si intima fugerint? Verùm de Galilæi conspicilio hactenus. Restat, vt Aristotelis demonstrationem adhibito demonstrationis Logicæ conspicilio contemplemur.

GRATIÆ.

IN Mente, quæ est in homine Sol, maculas falsitatis contingentes obseruat Aristotelica demonstratio, Galilæico felicius conspicilio. In me porrò, qui nocturno, quàm diurno Planetæ similior sum, ne Vos, Humanissimi Auditores, maculam illam multò fœdissimam, ingratum videlicet in vos animum noretis,

tetis; dispeream, si quas nequeo referre ex tenuitatę mea gratias, non affectu habeo quàm maximas, non & æternùm habuero.

LOGICA GENERATIM.

Speciatim de Demonstratione.

STagirita omnium antę se Philosophorum calliditate ingenij, non solùm studio fortunatissimus, de genere mortalium præclarè meritus videri posset, viam illis ad intelligentiam rerum assequendam, præclusam antè, patefaciens, flexuosam corrigens, præruptam complanans, aurea illa dissertatione instituta de Logica demonstratione; si aperuisset simul, vndenam homini inter animantes facultatem intelligendi sortito, atque ad imperium rerum, ne dum notitiam nato, à Natura tamen habeat, vt caligine obsessus ignorantiæ primam huius vitæ lucem aspiciat. Nam nec ille famam sibi conciliat in arte Medica, qui curandi dumtaxat corporis afferre studium percallet, ac certùm reuocandæ salutis modum præscribere; ni & morbi originem, & causas cognitione se consequi probet, quaque offensione, qua intemperantia sit contractus, quò firmiùs, vbi æger conualuerit, tueri ad ætatis quàm multum valetudinem possit. Neque mihi suscipiat hoc loco quisquàm Stagiritæ consecraneus, incusans eius ætatis conditionem, qua ætate silente iam diù fama ex vetustate edacissima de principe hominum Adamo, lapsus eius in impietatem defectionemque à conditore Deo, quæ causa vna fuit natiuæ ignorantiæ posterorum, foret vulgò incompertus, quasi id arcanum non nisi luce Euangelij exorta innotuerit: An non (repetam ipse) codices Mosis hocce argumentum complectentes per tempora Aristotelica in manus omnium circumferebantur? An in huius quoque incidisse dubitemus cum reliquis certè scriptis Sapientum, quæ ab ipso quàm studiosissimè conquisita fuisse scimus, euoluta, perlecta, emedullata, mox vaframento infando suppressa, atque extincta, sed alijs, alijsque in vulgus calumnijs diffamata, vt vnus ipse Aristoteles benè sapere, desipere ceteri omnes, ac insanire viderentur? Neget ille, haurire potuisse commodè sensa Diuini Platonis, cui viginti totos per annos operam dedit. Neget autem scisse, quod nemo hominum nesciebat per id ætatis, vt antè ipse Plato studio perdiscendæ Sapientiæ, suscepta longè latèque per Orbem peregrinatione: post plurimas emensas

terras

terras Ægyptum anhelans adiuerit, vbi & Gymnosophistarum auditor fuit, & Mosaicorum voluminum contemplator. Neget ille (si valet, fama refragante) deuorasse se suis oculis Pentateuchon, atque eius principium, Genesin, quo nihil augustius, aut diuinius; censura illa perstrinxisse: *Hic Author multa narrat, nihil probat*. O caput refractarium. Itanè verò? Moseos Genesin sacrosanctam tam multis ante Stagiritam seculis Mercurius ille, Maximus idem & Rex, & Sacerdos, & Philosophus, cognomentuo propterea Trismegisti ab omni antiquitate consecratus; Mosecs inquam Genesin, suum in Pimandrum transferre, ac opera pene cælesti repræsentare vel inuitis animis sublimia illius Sacramenta, haud indignum sapientia sua studium Mercurius existimauit: Et vnus potuit Aristoteles vniuersæ antiquitatis iudicio, famæ, religioni suum ipsius ingenium ac sensum obtendere? Sed permittamus, bonum Homerum aliquando dormitare: Vsque eò siquidem defixus fuisse putandus est hic noster in opere Demonstrationis moliundo, vt, quæ est imbecillitas humani ingenij, nihil non ille ad eam libellam compositum sermonem à nemine Scriptorum non exigeret. Ita quod ipse suo nobis Marte proficuum comparauit, id omninò gratis animis excipiendum esse ratio persuadet. Siquid verò ipse sibi fortè peccauit, quidni etiam animis facilibus ignoscendum? Longè autem multum profuisse Aristotelem philosophiæ candidatis, Demonstrationis lege vulgata, tum per se res ipsa loquitur, tum ex disputatione per nos ineunda luculentius fiet.

GRATIÆ.

DEmonstrationis Aristotelicæ perfectionem simul, & vestræ magnitudinem humanitatis hodierna disputatione demonstrastis, Auditores. Reliquum est, vt, quando non patitur inclusus pectore animus meus in vos gratus demonstrari, interprete saltem actione gratiarum quàm sincerissima testatum reddam.

PHYSICA GENERATIM.

REnascentem video apud literatissimos viros Troianum Paridem (Cordatissimi Auditores) qui humanæ industriæ contuentes miracula iudicium sibi vendicant nullo Ioue deferente, Causam confingunt inter disceptantes quasi Deas Naturam, atque Artem; nec dubitant pulchritudine alterius capti malum aureum adiudicare Arti, varium illum Ceston caneates *Humana*

Ars

Ars Naturam vincit: Natura Ars æmula: Emendat Naturam Ars: Arte simul cùm Natura certante: Sic in hunc sensum aliter, atque aliter. Vsque eò, vt penes quosdam Scriptores vix longiusculi sermonis tractum decurramus, quin aliquam offendamus huiusmodi formulam. Quàm verò prudenter, ipsi cauerint. Nam cui non absurdum, videtur alienam suscipere causam dirimendam, sua ipsius præiudicio cadere? Atque adeò quem pacificè tenet Homo diuinitùs inter corporatas res gradum eminentiæ, vbi inter Artem & Naturam litem committit, simul ipse sibi diem dicit. Quid enim? Artem colendo, inquiunt, tùm maximè ratione vtitur homo, & facultatem illam intelligendi, per quàm cognatus Deo est, magnificè exercet. Enimuerò inquam; sed hoc ipso concinit perbellè homo artifex cum Natura, cuius quidem *Naturæ opus* (si probant commune placitum) *opus est intelligentiæ* Iubetnè Intelligentiæ huius expressa vestigia lustrare? *Deum, & Naturam*, ait Aristoteles, *nihil frustrà facere* (1. Cæl. cap. 4.) *Nihil Naturam facere supernacuum* (4.part.anim.cap.11.) *Nihil temerè efficere Naturam; sed omnia ex ijs, quæ fieri contingunt, ad id, quod est melius* (de anim.incessu, cap.10.) *Naturam rei alicuius gratiâ omnia facere* (1.de part. animal.cap. 1.) *Earum causarum esse Naturam, quæ sunt propter aliquid* (2. Phys. cap. 3.) *Naturam infinitum vitare solere; Infinitum enim fine caret; Naturam autem Semper finem quærere* (1.gener. anim. cap.1.) *Naturam, vt hominem prudentem, ita tribuere solere cuique rem, quâ vti possit* (4.de part.anim.cap.10.) *Omnia, quæ vel Natura, vel Arte efficiuntur, ratione aliqua esse* (4.gener. anim. cap.2.) Porrò hæc Nil frustrà, nil supeıuacuum, nil temere facere; Ad meliùs tendere, Alicuius rei gratia operari; Finem semper quærere? Prudentiam sequi, Rationem tenere; hæc dico, & id genus munia, quæ de Natura sexcentis in locis Aristoteles prædicat, Tunè alij, nisi summæ cuidam, & numeris omnibus perfectæ Intelligentiæ tribuenda esse iudicabis? Ac ne ista fortè in primùm Motorem Deum proximè referas, quasi ipse, qui res omnes condidit, quique intima præsentia Maiestatis implet, per se quoque moueat, effecta illarum omnia nullo ministerio prouehat: apertè enim id cauet Philosophus, *Naturam* dicens *Dæmoniam esse, non Diuinam* (de diuin. pro somnium cap.2.) Idem quoque Intelligentias admittens, spiritales substantias corporibus cælestibus præsidentes. Nec putet irreligiosus quispiam theologizare nos velle cum philosophantibus; dum ex Diuo Augustino (lib.83. qq.79. tom.4.) & ex Origene (in cap.22. Numer.) Sanctum Tho-

mam

mam auctorem facimus, omnia corporalia regi per Angelos (S.Thom. 1.par. quæst. 110. artic. 1.) Irreligiosos quippe homines egregiè confutat similis ipsorum Auicennas, cuius placitum est, *vnam dari substantiam immateriatam, præsidentem immediatè sphæræ actiuorum, & passiuorum*, quàm & *Intelligentiam agentem* vocat. Recedit itaque ab ethnico Philosopho, Intelligentiam è Cælo deuocans: sed vnam dùm statuit, non multiplicem, à Christianis Theologis distat potiùs, quàm discordat. Iam consensione omnium siue ethnicè, siuè Christianè philosophantium nihil Natura per Intelligentiam non operatur. Iam ergo fœderatas, imò conspirantes cernis Artem & Naturam: quòd si litem inter ipsas ex arte conferis, mancum te esse intelligentia fatearis necesse est. At, inquies, imitatur Naturam Ars, illiusque operum solertissima quadam æmulatione affectat laudem. Hæccinè non contentio; non lis, non pugna dicenda? Imò inquam & ipsa semet imitatur Natura: quis autem dixerit secum ipsam furiali dementia pugnare? Sic enim est profectò. Stellas suas floribus, flores gemmis, gemmas succinis æmulo Natura architectatur ingenio. Quid speciosius Homine, cuius obsequijs illa condidit, imò verò subdidit cuncta suorum operum? Nonnè imitatur in Simijs effigiem eius & modos? Nonnè virilem in Satyris dignitatem, muliebrem formam in Pharijs ipso oris tractu lineari repræsentat? Si Artis est apex, vt per picturam imagines spirare iubeat, quid spirantius imaginibus, quas illa nitidis in speculis, quas vitreis in riuis, quas gemmeis in stagnis obiecta cuiusque rei species reddit visendas? His certè ne motus quidem deest, vt vides, neque (dixerim) cum motu consona vita. Ludat Artis solertia, & rex maximas referat in minimis ad miraculum: Ecce stellas Cælo errantes, nimirum adoratas, vitæ hominum, ac fortunæ architectas in Cicindelis, per noctem errantibus cum fulgore musculis illudere dices. Vt propterea mirari ipse desinam, quæ meis met oculis obseruaui, in agro Astensi, concerni sponte ex argilla quasi concharum tegumenta ad marinarum formam ac duritiem, nescio quo genio luxuriantis Naturæ, nullo quippe eius operæ pretio, nullo nisi distinendi humani ingenij proposito studio. At lasciuit petulanter Natura supra quàm audere Ars possit, cùm in concauis locorum repercussus aër acceptos reciprocat sonos, obloquentium vocibus frequentata interdum Echo obmurmurat. Quàm multiplex in vnius ludibunda imitatione Natura? Parùm dixi inimitabilem Arti Naturam in suarummet rerum imitatione. Etiamnè vltrò Artem ipsam imi-

tatione

tatione lacesset? Omnino, Auditores. Cito hic surdos lapides, testes in ista Causa clamosos, & illos lapides, qui maculis erraticis nobiliùs vitiati, Naturæ partus infeliciores credi possent. Non fugit profectò eruditionem vestram, quod est ab antiquitate penes omnes decantatum, de Achate gemma Pyrrhi Regis, in qua Musæ nouem, & Apollo citharam tenens spectabantur, Arte quidem attonita, ita discurrentibus Naturæ sponte maculis, vt Musis quoque singulis sua redderentur insignia? Nonnè ita fœderatas nunc cernis, quas modò diffidentes volebas Naturam atque Artem, vt & Naturæ Artem suam inesse, & suam vicissim Arti Naturam fatearis? Intelligentia itaque pollere ambas quis neget? Nec vestra ista, Mortales, minùs digna est in artefactis, quàm Naturæ suis in operibus, quamquam immateriata illi sit ex Ethnicis Philosophis, hoc est ab omni materiei fæce seiuncta substantia: quamquam Angelica ex Theologis, hoc est ex intuitu Dei immortalis beatissima. O nostram præcellentissimam dignitatem experimento Artis probatam. Nam cùm inanimas res Cælesti Intelligentiæ commendauit Auctor Naturæ sanctissimus, tùm Homine suæ ipsius menti, solertiæ, intelligentiæ commisso primicerium opus & sartum ita, & tectum curauit. Quamobrem caueat, quisquis, ne, si ab Arte steterit aduersùs Naturam, inertem se planè diuenditet. Siquidem expositiium se facit Regia sortitus cunabula. Ignorat suum ingenium, qui hæc ingenio iactando commentat: Naturæ indicens bellum, agit in eius triumpho mancipium. Nos igitur, Auditores, sani mente, cauti consilio proclamemus inter has Diuas fœdus perpetuum, iura amicitiæ inuiolata. Id quod bellè præstabimus, si ad Physicas, nimirum de Natura Positiones Artem disputandi omnem contulerimus.

GRATIÆ.

NAturam & Artem semper concordes, discordare maximè video hac vna in re: quod innumeris cum nexibus animi erga vos grati præsente mihi Natura, Ars tamen nulla præsto sit, quæ debitam actionem gratiarum persoluat.

PHYSICA GENERATIM,

Vel de Natura.

ET est, qui Naturam tollat? Pol! Quid tu monstri, Natura, profers? Ne in hoc quidem ipsa tibi absimilis, quæ vi-

N perinos

perinos partus euocas vtero genitricis discerpto. Quamquam (O parce) quid effutio? Te magis adorabundus miror, Natura, parens rerum sanctissima, Dei filia illibata, index eius cùm potentiæ, maiestatisque, tùm bonitatis, & sapientiæ, nihil vt ipsa efficias, quod non sanctum, quod non pulchrum æstimandum. Tua quædam sunt monstra nobis, tibi pretia, obtutibus nostris impuris haud monstrata. Nos enimuerò, nos monstra tibi, fœtus degeneres, propago abortiua, studiosi aborigines, nothi spontanei, victima orbitatis vltronea. Ecquid sanctiùs ad gloriam, quàm nos Natura non modo genitos, sed primò genitos profiteri. Quid infeliciùs contrà, quàm gremio communis parentis abreptos exponi? Hoc verò peccat in se se, quisquis Misosophus meliùs, quàm Philosophus contra orthodoxum placitum Peripatetici in medium vocat, *An detur Natura*. Multò id magis quisquis *Ignotam nobis Naturam esse* contendit. Ac ne existimetis, Auditores, nouum hoc esse genus monstri, quamquàm exteris in terris visum, tulit Arabico-Hispania quintodecimo abhinc sæculo ex his Auicennam à suo congenere Auerroe damnatum, atque proscriptum. Acerrimus ille, credo, vindex veritatis, & magna meditans in Rempublicam merita, totis perarmatur viribus mentis, omnes expedit machinas ingenij, artis, industriæ, vt pro luce Solis contra oculatissimum quemque aduersarium, atque obtrectatorem dimicet; vt Cæli amplitudinem, Terrarum ambitum, Marium vastitatem, Vniuersi denique situs partium, varietatemque intrepidus, ac inconcussus tueatur. Misera verò conditio Principis luminum, nisi lychnus demonstrationis adesset, splendoris illius index. Non tam solus luceret Sol, quàm solitarius mœreret; nullo suæ lucis patrono, nullo teste. Te autem sospitet Deus, te fortunet, Auicenna Vir eximie, qui à Natura stas, opere illius augusto: cuius faciem nobis deuelas, radios explicas, vitæ spiritum probas. Siccinè iam certus de victoria non ampliùs desæuis, sed rides aduersarium Aristotelem, alios nempe illudentem, qui Naturam esse demonstrare conentur, quasi ipsa neque per se nota sit, neque principij vim obtineat in naturali Philosophia? Caueto, nè ridiculus tu magis existas irridens irridentem, quorum non aliter confutari ineptias oportebat. Nam nisi cæcutias, omnia circum te Natura vtique esse vides. In Animalibus, in Plantis, in simplicibus corporibus, Terra, Igne, Aqua, Aëre si contendas Naturam latere; neque quid pedibus premas, neque quo repares in singula momenta vitam, neque vnde spiritum ducas, neque quid percipias visu, quid

quid auditu colligas, quid mente verſes, quid denique tibi ipſe ſis, tibi conſtabit. Nihil enim non Natura te circunſtat, nec aliud prorſum, niſi Natura, tu tibi. Annè latere nos poteſt, quod omnibus in rebus vnam ſemper faciem exhibet, principium in omnibus iuxtà manifeſtat Motus & Quietis? Principium dico τοῦ Κινεῖσθαι, καὶ ἠρεμεῖν *mouendi & quieſcendi*; non ergo Motus efficiendi, ſed patiendi principium. Secùs iam cum Grammatico, non cum Philoſopho negotium eſſet; vt, quoniam ἠρεμεῖν *quieſcere*, vtique paſſiuè, ſonat; diſſonantia illa ſurdiſſima vocis iſtius cum præcedente, connexæ Κινεῖσθαι, ſi more mediarum ſeu communium actiuè, quàm paſſiuè potiùs vſurpetur, nonnè diſputationem ferulis meliùs, quàm enthymematis dirimendam fore concluderet? Quid igitur eſt, cur de Motore ſcrupulum premas, vbi paſſiuo motu, & quiete Natura contenta eſt? Quid trepidas conſtituere principium Philoſophiæ naturalis Naturam, propterea quòd Naturam ipſam neganti obſiſtat primus Philoſophus? Quid enim, ſi primus Philoſophus? Certè Naturalis quid ea in re laboret, nihil habet. At ille quidem quibuſnam armis, quibuſnam præſidijs obſiſtit? Non demonſtratione profectò; Non ergo ſuis armis obſiſtit, ſed Dialecticis, hoc eſt redargutione, vt non armatus ad pugnam, ſed perſonatus ad fabulam videri poſſit. Nec quiſquam mente ſanus afferat, rem ſenſibus probatiſſimam probationis indigere; aut demonſtrationis capacem, quæ indemoſtrabilis exiſtat. Itaque notiore nulla re innoteſcere poteſt, quando ipſa & vbi primùm menti offertur, notiſſima per ſe redditur, & quæ ex ea ſunt cætera, tanquam ſimulacrum in tabella depictum cernuntur. Demonſtrationis igitur loco Inductio militat, & ita militat, vt antiquioribus philoſophantibus perſuaſum fecerit, omnia Naturam eſſe, prætereà nihil. Cæterùm cauerit ſibi primus Philoſophus: dum Naturalis firmiſſimum habet in Natura ſola præſidium. Vtinam eadem mihi hodie ingenij clypeum ſuggerat, quo tela veſtra, Strenuiſſimi Viri, irrita reddam, & impetum oppugnationis, quam tamen lubens prouoco, impiger infractuſque ſuſtineam.

GRATIÆ.

Gratum ſuppreſſis gratijs videri velle habet ſimilitudinem monſtri, non tamen monſtroſam. Ita ſe plenà effudit hodie beneficentia in me veſtra, vt mente obruta, quid lingua efferat non ſuccurrat.

PHYSICA.

Et ſpeciatim de Natura.

NAturam parentem rerum communem, noſtram in primis hominum magiſtram, atque patronam eſſe, non quidem ſecundum corpora dumtaxat, ſed & ſecundum animos; neque in vitæ modò caduceæ neceſſarijs, ſed in ijs quoque ad æternam quæ pertinent vitam: ſi me proferentem quis audiat ante, quàm probantem; vereor, ne temeritatis impiæ arguendum, ne dum inſcitiæ, niſi excidiſſe verbum imprudenti cauſetur, exiſtimet. Verumtamen Naturæ dandum ipſe contendo, quòd nobis in re Naturæ ipſius fines excedente conſulit; quòd in ordinem Cæleſtis commercij ſe ipſa ſublimior ingerens, maximo in negotio proficit; quòd gradum ſe ſe ad immortalitatem ſupponit, obſiſtentiam perdomans ſuperioris potentiæ; quòd denique vno ſui obiectu nihil proinde efficiens, nihil moliens, vacua plane, ac feriata inſidias reuellit cruentiſſimi perduellis, machinas euertit, impetum infringit. Conſulite, ſi placet, Theologos; ſcitamini ex ijs, quorſum Chriſti Domini corpus ſtupenda toti Naturæ operatione genitum ex Virgine, habitudinem vt contraheret quàm optimam, humorum harmoniam quàm perfectiſſimam præ cunctis Adami nepotibus prouidit Sapientia Cæleſtis architecti? Vt (inquient hi) digna ſimulacro nobiliſſimo ſubeſſet baſis; vt Cæleſtis gratia, quæ pleno alueo effundenda in Chriſti Animam erat, plenam quoque naturali gratia carnem, hoc eſt opificio compactam numeros Naturæ omnes implente, tantoque dignam ſpiritu nanciſceretur; denique vt Animæ ſubſiſtenti Deo inſertæ organum exiſteret quàm conſonantiſſimum. Ita planè res habetur. Habitu corporis bono ſimul, & bonitate ingenij mirum quantum ad bona cœpta inclinantur mortales, vt his quaſi ſtimulis admotis in curſu virtutis agi, quàm agere potiùs videantur. Hinc illa non vulgarium philoſophorum ſententia, quòd in genere ſubſtantiæ dentur animæ hominum, alijs aliæ excellentiores, quùm tamen ſecundum eſſentiam eiuſdem omnes ſint ordinis, eiuſdem gradus. Quo ſenſu non abſurdè interpretabimur oraculum Sapientiæ de illo, qui ſe bonam Animam ſortitum eſſe, grato in ſummum Creatorem affectu prædicabat. Quid? Scitamini non eximendos è choro philoſophantium Phyſiognômos; cognoſcetis, licebit, quantum ſit momentum poſitum in præ-

clara

clara corporis humani forma, in concinna dispositione membrorum, in aspectu decoro, in coloris suauitate, dignitate oris; maiestate vultus, grauitate frontis, fulgore, vigore, lumine oculorum, vt vbi huiusmodi signa coëuntia obseruauerint in homine cetera ignoto, ingenium illi optimum, optimosque mores non tam certis coniecturis annuntient, quàm præclaro gratulentur elogio. Hocce nimirum est Naturæ parentis munus, Auditores. Sed quid ego Parentis dixerim? Etiam vbi in nouercam degenerare videtur Natura, cùm in plerisque humanorum corporum erratum aliquod admittit, vnde Animus peruersitate afflatus in morum licentiam, & vitia pronus reddatur, tùm maximè (dico) quid Natura valeat fuimet vindex, & quasi supposititia, quanto sit in erratis ipsis cautior, in mendis felicior, in casibus fortunatior, plusquàm luculenter probauit exemplo sui Socrates, antiquitatis totius testimonio in ostentationem vtique Naturæ iuxta, & in ostentum ignauorum. Quandoquidem hic notatus aliquando legitur fuisse à Zopiro, Physiognòmo ea tempestate nobili; nimirum videri sibi Socratem stupidum & bardum, quod iugula minimè concaua, sed obstructas haberet illas partes, & obturatas; sed & oculis, vultu, fronte inspectis, mulierosum prodi. Benè tu quidem, Zopire (suscepissem ego). At vitia Tu Naturæ; non vires pensitasti. Peccauit hæc, fateor, in corpore Socratis conformando, sed citra peccatum: vitiauit carnem, sed citra hominis vitium; scilicet vt Animæ, quàm illi indiderat Architectus Cælestis, intra Naturæ quidem spatia se continentis, vires tantas exereret, ac explicaret, vndè illud faceret exploratum, peruersitatem affectuum omnem, pronitatem in scelera, prauitatisque notas, quantæ eæ cumque sint, vigilantia, studio, meditatione solertis Animæ posse egregiè castigari; Quemadmodum Socratis ipse vnius Naturæ præsidijs fultus præstitisse ad prodigium prædicatur. An non verò miranda ista sunt, quæ de Natura dicuntur encomia? An non scitissimè illam committere cum Auctore suo, veluti cum parente filiam instituerunt philosophi veteres illud crebrò vsurpantes, *Deum, & Naturam nihil frustra facere*? O si ductum sectarentur Naturæ Mortales, quanto ex ijs plures, quantoque faciliùs immortalitatem, non nominis dico, sed vitæ; neque hic in terris, quæ sedes est mortis, sed in æternis illis Empyrei sedibus consequerentur! Quàm breuis è gradu Naturæ subiecto ad gratiam Diuini Numinis fieret nobis ascensus! Naturæ itaque nomen augustum cùm sit, & sacrosanctum, quid nisi honorificentissimam, ac planè dignam

Cæli theatro disputationem fateri cogimur, Studiosissimi Viri, quàm luce hodierna propositus de Natura ipsa Thesibus instituimus?

GRATIÆ.

QVod mihi de Natura disputanti tam humaniter adfuistis, Auditores, Gratiæ vos manent per me cumulatissimè agendæ. Ipsa tamen, quæ vos suis cumulauit muneribus Natura, Gratiarum agendarum munus cumulatiùs multò persoluet. Dixi.

PHILOSOPHIA MORALIS,

Et speciatim Politica.

IMperij molem, Mundani instar Orbis, gemino illo subniti cardine, Vsu atque Arte, calculus communis virorum sapientum scite statuit, Ornatissimi Auditores. Horum vtrum sit potius, An altero desiderato sufficiat alterum, non immerito quis vocet in medium. Et si quidem prima Mundi secula reuoluantur, quùm antè dispersi sedibus, discordes moribus, ac sui quisque iuris homines, vnum porrò conspirantes in corpus, vna in mœnia congressi, vnius capitis, à quo tuti regerentur, imperio se dedidere: inficiari profectò nemo ausit, Vsum regimine ipso diuturno partum, Artis præceptis nondum inuentis valuisse. Tanta siquidem in Vsu vis posita, vt Stagirita teste solus per se se administratores Reipublicæ quàm prudentissimos dederit: Cui Philosopho altèr Chæronensis adstipulatur, Gubernatorem, inquiens, nauigij esse bonum neminem posse, qui non antè pelago se commiserit, atque eius stridentium procellarum fecerit experimentum, tametsi nauclariæ imbutus theorematis. Verùm enimuerò quorsum antiquis Romanorum, qui vsu dumtaxat regundi Imperij apud finitimas nationes summa cum gloria florerent, tanta nihilominùs cura fuit transmittendi certatim in Græciam, vt cùm omnes ingenuas artes, quæ inibi mirificè alebantur, tùm Politicen in primis addiscerent; nisi quod Reipublicæ perfecta administratio solo vsu non constat, sed ampliùs Artis subsidium quærit? Nam & ille periculosior est, & ambitum habet longiorem, quàm poscat disciplina. Contrà verò disciplina tutior, vt quæ cadentia in vsum errata, nec ea sanè infrequentia, castigare docet, viamque & rationem ad felicitatem publicam, quæ meta politices est, certam demonstrat. Ita hac facultate quisquis

fuerit

fuerit præditus, docere alios poterit; id quod posse non datur, nisi vsu pollenti. Quamobrem prudentiæ laudem non modicam detulit ijs Antiquitas, qui dominandi vsu dumtaxat instructi, Magistros sibi Artis consummatissimos, quibus operam nauarent, ingenti studiò conquisiuere; quo de genere Temistocles Nisipholum, Pericles Anaxagoram, Dion Platonem, Philippus Epaminondam, Alexander Aristotelem, Scipio Polybium alij alios nacti sunt ætatis quemque suæ gloria Politiæ celeberrimos. Ergo si perficit vsum doctrina, benè etiam auspicetur, necesse est: quàm multas enim offensiones cauet suas, qui aliena tyronum pericula apud Scriptores Artis memorata percenset memoriæ, præcurrit consilio, compendio temporis laborisque declinat; Non erit propterea (credo) graue, imò verò iucundum studiosissimo consessui vestro excipere, quæ per me promentur tantæ Artis capita nonnulla disputanda.

GRATIÆ.

COmmisi Politicus Vsum cum Arte, atque huic ex merito primas adiudicaui. Ne me quæso incusetis nunc, Auditores, quasi retractantem. Vrbanitatis causa in præsens oblata, longè alia; Aio fidentissimè, vsum humanissimæ vestræ attentionis immerito mihi commodatum, arte nulla agendarum gratiarum vinci posse, aut æquari.

PHYSICA GENERATIM.

Vel Philosophia.

FAcit audacem inuidia; tantùm abest, vt me, ac mei similes terreat; eius, quàm hactenùs ætatum omnium constanti plausu parauit gloriam Stagyritæ Philosopho, excellentis in paucis, æquandi ab nullis ingenij. Concedunt & Phœbo principatum lucis, agmina astrorum innumera, totique se Cæli campo subducere videntur illo viso. Vnum tamen ex erraticis minoribus audet efferre se coràm, neque eius solùm nascentis extantem iam radijs maiestatem quasi præmissa face anteire, sed occumbentis pariter deciduam gloriam funereæ instar tedæ deducere. Et quando nos in mentionem astrorum euasimus venerantes in Principe Sole Aristotelem: quis neget sæculo nostro ad omnium superiorum inuidiam, nouas in Cælo stellas, noua lumina esse conspecta, quæ Aristotelici obtutus aciem fugerant? Quis ne-

get

get experimento recente probatum, ſidus Veneris memoratum, perinde atque Lunæ, incrementis viciſſim, ac decrementis patere: neque tantùm ſilens apparere, ſed etiam bicorne? Iouis lumen quatuor antehàc inuiſis luminibus medium teneri? Saturni prætereà duobus alijs comitatum? Quis neget in Sole (niſi Solem ipſum iam neget) maculas quaſdam nunc demum deprehenſas? In Luna montes ex vallibus ad milliaria fere quaterna aſſurgentes; neque id vſui incolarum vlli, quod priſcorum aliqui ingenio certè lunatico commenti fuerant; ſed radijs ex Sole acceptis, per aprica illa montium, & vallium concaua copioſiùs in Terram ad nos refundendis. Multò enim clariùs profectò cernit beneficio conſpicilli ſui Galilæus, eius inuenti vel Auctor primus, vel amplificator, quàm conductitijs oculis Aſtronomorum Ariſtoteles. Quid? Cælum alterum nobis offertur, Auditores; Galilæus alter ingenij felicioris conſpicillo, in Cælo Naturæ, noua prorſus lumina dogmatum Ariſtoteli quidem incomprehenſa comprehendit. Hic ille eſt REDEMPTVS BARANZANVS Ciuis Vercellenſis, iubar clariſſimum Sodalitatis Clericorum Regularium à Diuo Barnaba Mediolani nuncupatæ: Quem Virum vix terris monſtratum nuperrimè nobis Cælum ipſum inuidit: Cuius præſentis eruditionem proſecuta honoribus Pariſienſis ſchola, Cenſura illa ingeniorum grauiſſima, inter adſcriptos ſuos vltro percenſuit: Atque vtinam percenſere diutiùs licuiſſet, vt conceptos multiplices fœtus ingenij vaſtiſſimi, maturo excluſos partu aliquando conſpiceret, non tàm accepturos lucem, quàm daturos. Nunc verò quàm multa ipſe in Phyſicis poſt egregiam Logicorum tractationem euulgauit, ſuo primùm excogitata Marte, Peripatetico ſenſui repugnantia, ratione verò altè ſubnixa, Sciolis tantùm, Zoiliſque ſugillanda? An quiſquam facilè improbet illam *formarum ſubſtantialium poſitionem præexiſtentium actu in materia ſecundùm ſubſtantialis entis rationem*? Sic autem ferè ille philoſophatur. Niſi formæ omnes ſubſtantiales ſecundùm eiuſdem entis rationem fuerint ab initio rerum in materiæ gremium actu collectæ: ex quo fiat, vt naturale Agens detracta Materiæ modificatione (quam vocant) potentialitatis, illam quaſi maſſam entis exiſtentem ad formalitatis modificationem deducat; atque adeò materiam ipſam ſecundùm partem tranſmutet in formam: quid conſequens eſt, niſi vt ex nihilo creatæ dicantur formæ, & eæ à corruptione immunes cum animo noſtro immortali congrediantur? Quis illud quoque ipſius placitum temeritatis accuſet, *Accidentia corporum ſecundum*

dum accidentale genus ex materia, ac forma constare: quando & in corporibus ipsis componendis suam exigunt substantiam duplicem, illam potentiæ, istam actus ratione distinctam; materiam dico, ac formam imperfectas per se substantias, ad vnius verò perfectionem substantiæ conspirantes? Hæc atque alia scitissimè Baranzanus: sed & alia alij; incomperta quidem omnia Stagyritæ. Sed nemo tamen detrahere illum putat de Cælo, neque communes sapientum plausus inuidere. Multa herclè inuenit, multa etiam mutuatus est, ne non pauca dicam, suffuratus. Et ista nos libentes remittimus, quemadmodum illa etiam atque etiam commendamus, efferimus. Verùm *teneat ille immania saxa* incisa gloriæ notis trophæa magnifica ad posterorum admirationem sempiternam. Nostra nos quoque, ò Iuuenes, manet gloria; si tamen Baranzanum, suique similes æmulati secretiora Naturæ adyta solerti indagine pertentauerimus. Cui quidem rei fiet per nos ipsos auspicium optimum, si delectis ex Physica considerations (* *vel ex Philosophia*) nobilioribus placitis, ingenium quisque suum adhibita cote disputationis exacuerit.

GRATIÆ.

VT gratulanda est sæculo nostro felicitas, quòd supra Aristotelem se se euexerit: Ita mea miseranda fortuna, qui tantò inferior sum facultate agendi vestræ humanitati gratias, quantò vestra superior est omni mea facultate humanitas.

PHYSICA.

Item generatim Philosophia.

OBseruasse in minimis Naturam maximæ semper prudentiæ fuit (Florentissima Sapientum corona). Vel quòd ex minimis sensim ad maxima faciliore gradu, feliciore iccircò traducimur: vel quòd ingenium Naturæ vastissimum inter angustias festiuiùs ludens sagaci nos inquisitione deprehendisse arguimur. Neque ad ea solùm vocatur opera nostra, quæ nouitatem habent, aut adiunctum commodum; quemadmodum aduecto ex Indis bombyce curiosa protinùs Europæorum ingenia philosophandi pruritus quidam acer momordit. Nam & pulchra semper in nouis habentur, & vbi priuata vtilitas penditur, ipsa mox honesti species euanescit. Ne ergo rem meam aucupari videar hodierno congressu, simul vt vetustum, ac nullo non sæculo expositum

omnium oculis ſpectaculum offeram :: Intuemini paulumper, Auditores, vnum ex animalibus minuſculum atque neglectum Araneum, fila quidem ducentem inſtar bombycis, ſed irretiendis beſtiolis, non amiciendis hominibus; ſordidandis domibus, non ornandis, inſidijs ſtruendis, non pellendis iniurijs: ſed qui tamen ſuis valet retibus capere, ac diu ſuſpenſa tenere ſumma mortalium ingenia, ſuis ſordibus multiplici adornare eruditione, ſuis inſidijs argute pellicere. Nonnè videtis Democritos ad riſum vbilibet pronos, in vna Aranei aluo contemplanda componere ſibi ad ſeueritatem ſupercilium? Plinios theſauris Naturæ inhiantes, eiuſdem aluo Aranei quodammodo beari? Philoſtratos geſtis ſophiſtarum, & heroum addictos Aranei ſtudia interponere? Ariſtotelem, Cenſuram illam philoſophorum hac ipſa in meditatione vix ſibi conſtare? Adeò miranda obijcitur indeſinens ea copia ſtaminum, quæ ex aluo huiuſce brutuli opulentiùs,quàm ex cornu neſcio cuius Amaltheæ fruges prompta eſt ad iuge telarum opificium, vt plus Philoſophis, quàm Muſcis faceſſere negotium videatur. Cernite autem Mineruæ æmulum in bruto pertinaciſſimum, quàm ſcitè machinatur opus? quàm prudenter orditur? quàm ſolerter pexit? vt eadem textrina pateat, atque tendicula? Duorum diſtantiam lacunarium (vt & in agro duarum arborum) expandendæ telæ campum deligit, pulli præſertim exercentes artem, atque ediſcentes. Itaque à culmine ad ſolum deducit magnifice filum, atque à ſolo ad culmen eiuſdem fili relectis veſtigijs alia rurſus atque alia reducit fila, quibus nendis ſe ipſum aptè ſufficit & pondus, & fuſum: donec orſu compoſito texturam ineat. Hic porrò artis fine arte miraculum. Quis enim Arti ſit locus, vbi ſola Natura magiſtra eſt? & vbi beſtiolæ penè nullius formandum ingeniolum? En vt à medio principium ducit; ſubtegmina ſcutulatim adnectit; maculas paribus ſemper interuallis, ſed ſe ſubinde augentibus ex angulo dilatatas inſolubili implicat nexu: opus materia certè fragili, mole pertenui, labore ſubitario; tanta tamen ſtatuit ac roborat firmitate, vt & irruentibus ventis, & ingenti puluerum vi degrauante illæſum planè, immotumque perduret. Ipſe diſtento ſic rete ponè deliteſcit in ſpecu ab ſe contextu. Quo quidem in opere Architectonicæ numeros implere omnes dicetis; ita bellè concamerata figura domicilium ſtruit, tàm capacitate ſui atque vſibus commodum, quàm contra hyemis iniurias denſatum villis, atque munitum. Hic ſedet verſutus auceps ita incluſus, vt nullo extante veſtigio ſuſpicionem ſui omnem excludat: incidente verò captura,
ita

ita vigil & promptus, vt non currere, ſed aduolare ipſum putes. Et quidem licèt in extrema fortè hæreat plaga, per lineam telæ pertinentem, dexterrimus quaſi funambulus, in medium proripitur: impreſſo motu totum concutit rete, vt ſic pedicis tenta perplexiùs, certior venatori præda conſiſtat. Fruſtrà itaque impingentes muſcæ reluctantur ad fugam, fruſtrà palpitant, agitanturque, tametſi alio diſtrahente araneum negocio. Sat enim fidè ſeruatur præda pexitate ipſa tramæ tenente. Sed nobis de iſto animalculo hic dictum ſatis, de Natura non item ſatis: quæ, quàm ſit mirabilis, & vno Deo auctore digna vel ex araneolo arbitrari licèt deſpectiſſimo plerìſque, ſed omnibus maximè ſpectando. Naturæ igitur contemplandæ ſtudioſi excipite vos, quæ per me theoremata mox proferentur, ſubtiliſſimis veſtris ingenijs indaganda.

GRATIÆ.

ARaneum ipſe me profiterer tàm deſpectum, quàm vulgarem inter ſodales: Niſi hac ipſa diſputationis tela, quàm texui capiendis (ſi licuiſſet) oppugnatorum ingenijs, captiuus ego ſingularis veſtræ humanitatis (Sapientiſſimi Viri) euaſiſſem, nullis gratiarum agendarum conatibus euaſurus.

PHILOSOPHIA GENERATIM.

INter memorandos Florentinos dies anni Quadrageſimi ſexti ſupra Milleſimum, & Sexcenteſimum, diem illum ſoleo identidem mihi (neſcio, quo Genio) in mentem reuocare; ſed & ſodalium fabulationibus plus quàm fabulam quidem aliquam iocularìam, ſi tempus fuerat, immiſcere, qui nouam poſt hominum viuentium memoriam attulit Arni fluuij redundantiam, Ornatiſſimi Auditores. Ad id ſpectaculum confluente peranxiè promiſcui ſexus, atque ætatis Ciue, quà fluitans alueus mediam vrbem proſcindens immenſas imbrium vndas è cliuis, ac montibus circumquaque imminentibus aggeſtas deuoluebat; ſimul ipſe curioſior adfui, demirans ſtupidus non tam amnis ſenſim intumeſcentis impetum, ac debacchantis fragorem, quàm res varias, & moles, quas ille ex adiacentibus campis conuulſas, atque correptas iracundus, ac turbidus comportabat. In his fortè contigit inſpectare innatans Dolium recenti Baccho (ſcilicet vertebat Autumnus) adhuc rubens: Mox quaſſatam vorticibus Arcam viſendæ magnitudinis, ac operis vetuſtate pernobilem: Illic deuectum Aſellum, infido haud dubiè abreptum ſtabulo, miſeram iam tùm

animam expirantem: Hic proceri ſtipitis arborem, cum ſtirpibus ipſis recèns euerſam: Alias ſubinde, atque alias opes campeſtres, domeſticas, præcipiti voluminum curſu fluctuantes. In hac tumultuaria quaſi ſcena, Viri Auditores, multa mihi pauenti ſimul, atque fruenti ſubminiſtrabat ingenium. Reminiſcebar in eo Dolio Diogenem, quem inuento illo hominibus inſulſis ridendo, ſapientibus autem admirando, domicilium ſibi in dolio ad omnes temporum vices verſatile conſtituiſſe legeram: nunc verſari per ludibrium, non ad arcendas, ſed ad excipiendos ſubitariæ tempeſtatis iniurias. In illa verò Arca quid, niſi opes commentarer auara manu eò congeſtas, quas non multò pòſt tempore ludificantis fortunæ inuidentia diſſipet, atque abſumat? At hercle demerſus vndis, enectuſque Aſellus nonnè Icarus alter videri poteſt, qui fortè animantis terreſtris pertæſus conditionem, Cæleſteſque æmulatus volucres, fruſtra ſibi alas affixerit prolapſus in flumen? Tandem id Arboris, genus noſtrum facilè retulit, refricauitque memoriam vulgaris adagij, Arborem eſſe Hominem radicibus inuerſis. Hæc me porrò cogitatio è fabulis, & iocis euocatum, totum in memet collegit, defixitque altiùs in rerum contemplatione mundanarum. Ita ſteti recolens attonitus, res iſtæ quatopere ſint fluxæ, quàm de facili euanidæ; quàm multis obiectæ caſibus, Cæli iniurijs, hoſtium direptioni, inuidorum fraudibus, potentiorum violentiæ. At contrà quàm ſit beatus, quiſquis opes ſibi conquirit fixas, immotas, ſempiternas, immunes à fortuna, ſecuras à caſu, & (citra abſurdi ſpeciem) mortalis domini immortales. Et has quidem quis neget eſſe in ſapientia poſitas, in rerum inueſtigatione, in contemplatione Naturæ, eiuſque conditoris, in ſuimet cognitione potiſſimùm; qua deſiderata, rerum omnium externarum notitiam fruſtra quis aucupetur, omniſcius (vt ſic loquar) & ſui neſcius. Quare ſapientiæ poſſeſſor idem eſt, & verarum opum poſſeſſor. Vultiſnè, hæ opes quàm ſint certæ, quàm tutæ, cognoſcere? Inſpicite Biantem, vnum e ſeptem Sapientibus, ac ſui temporis in ſcena direptæ Patriæ ſuæ, Roſcium, ſpectatum cum admiratione, auditum cum plauſibus ad omnem tranſmiſſis poſteritatem. Cum enim vniuerſi aufugerent ciues, rerum pretioſiſſimarum ſarcinulis onuſti, ipſeque Bias rogaretur, Cur ex bonis ſuis ſolus nil ſecum deferret, Omnia, inquit, bona mea mecum porto, Sapientiam ſibi ille volens, in qua vna opes ſuas indelibatas, fortunaque omni ſuperiores condiderat, & qua vna contentus non diuitem ſe modò, ſed florentem, ſed beatum exiſtimabat. Quare cùm

opum

opum tantarum nulla ſit vena ditior, quàm Philoſophia, agendæ ſunt quidem per nos gratiæ Fato immortales, Ingenui Iuuenes, quibus contigit à triuijs auocatis in adyta ſacroſancta Sapientiæ, beneficio Philoſophiæ introduci. Huiuſce autem gratia poſitiones aliquas, vt publicæ diſputationi proponerem, ſuaſit perſpecta in vobis mirifica quædam Sapientiæ parandæ cupiditas, & ad immortalium opum acquiſitionem anhelans cuiuſque veſtrum animus, quibus idcircò periucundum hoc fore neceſſe eſt, quod alijs fortè ingratum fuerit, ad ineundam hodie diſputationem inuitamentum.

GRATIÆ.

DIſcuperem, Auditores (tantum abeſt, vt horream) æmulam fluuij illius exundantis eloquentiam, agendis ſcilicet humanitati veſtræ paribus gratiis, quæ ſe mihi in modum largiſſimi vndequaque imbris effudit. Sed ſi ex vndarum fragore deſituris breui earum curſus prænoſcitur; conſultiùs ego ſilentio, quàm ſono gratiarum agendarum, animi mei grati conſtantem, atque perpetuum curſum teſtatum fecero.

PHILOSOPHIA GENERATIM.

ALbum, Philoſophiæ, quò ſuas omnes maximè collineat præceptiones, ipſam eſſe Hominis inſpectionem, regimen, conſummationem, nemo vnus Philoſophiæ primum limen ingreſſus non videt, Florentiſſime literatorum conſeſſus. Stultè quis nititur rerum omnium conditarum, ac earumdem Conditoris notitiam altiùs quærere, ſi ſe vnum ignorauerit: fruſtrà ſtudet homines alios cohibere imperio, ni cohibere ſe primùm didicerit. Ita priùs, quàm ad Politicen admittare, peruadenda eſt tibi Ethice: priùſquàm Ciuilem adminiſtrationem ineas, periclitanda moderandi tui ſcientia, quò alios demum in te velut in ſpeculo contemplere, atque illorum moribus frænum directionis inijcias, director tui. Hinc illud nouo ſemper auro exarandum oraculum, & nouo laterum niſu prædicandum, *Noſce te ipſum, & omnia noſti*. Qualem verò te noſces? An quæ tui ſint prima exordia? quibus compingaris elementis? quo peculiari decreto Natura communis in te vno ſupra cæteros fœtus ſe ſe extollat, quæ in alijs humilius nacta fatum induit rudiorem imaginem, poſtremoſque limites tangit, atque ordines rerum? Minimè verò. An quomodo compacta ex his corporibus moles tui, &

inerti iacens pondere cæterarum quidem animantium ritu, interiori pullulet impetu, sui ipsius & gignat in se motus, & sentiat: mox vim quandam extera scrutandi recipiat, & maius post se ignobiliorum rerum, quàm ante se præstantiorum relinquat agmen, dum imperioso volatu se supergreditur, inquirendo nititur latentissima quæque colligere? Ne id quidem: propterea quód sæpè, dum omnia quæris, te ipse non capis. An de te iam composito, & ad vnguem elaborato quid Natura tandem disponat, quid cogitet? Scilicet datum animal fastosissimum terris, nondum lucidatum: & post annuos ferè carceres, quibus maiore, quàm cætera animantia, periculo clauditur, tandem aliena manu claustris eripitur in argumentum infirmitatis; &, quam init lucem, non fert, assuetus iam tenebris: vltròque corpus offert vinculis nihil magis quàm vitam exosus, quàm tùm suo fletu, tùm maternis cruciatibus prosequitur, omnia à sordibus, dolore, angustijs auspicatus? Nihil tale hic peto: quamquàm ex ea cogitatione compescaris, necesse est, tu, qui terribiles gentibus arces moliris, qui Regnorum, non libidinis terminos, tantis opibus, tantoque sanguine per ceruices, ac pectora populorum profers: qui domicilia piscibus subtrahis, Terramque Ponto misces, eluso Naturæ sanctissimo ordine: qui præruptissimas rupes, scopulosque Cælo minaces exæquas humo; iacentem campum insano, nec profuturo auso in gemini Mundi discrimen extollis, erubescas, inquam, necesse est minas tuas, & pronum in vasta consilia furorem, quum tantulam molem respexeris tantorum malorum officinam. Liberaliore te volo studio prouocari: nec enim premendus es mole corporis caduca, nec brutis animi sensibus hebetandus, qui nobili Naturæ opificio contemplando in hac Orbis vniuersitate natus es; & tibi ipsi, cui Vniuersitas eadem constitit, sedatis animi tumultibus, conciliata inter aduersas portiones concordia ad exemplum Numinis perfectissimum conformando? Dicam vno verbo. Qualis tibi homini Deus, talis tu homo rebus cæteris Deus. Quo quid sublimius, Auditores? Philosophiæ scopus hic est. Sed me iam scopum constituo in isto ingeniorum cætu florentissimo, in quem vos argumentorum tela, vt semper soletis, acutissime collimetis.

GRATIÆ.

IN hominis contemplatione occupatur certè pars maxima Philosophiæ. Sed in vestra tantorum hominum contemplanda humani-

humanitate, qui mihi diſputanti adfuiſtis, multò maximam Philoſophiæ meæ partem occupatum iri profiteor.

PHILOSOPHIA GENERATIM.

SI, quantum plerique mortales corpori excolendo concedunt, alterum certè tantum animo impertirent: nihil iam eſſet, cur quiſquam ſuorum temporum corruptelam damnaret, aut humani generis nunc cum Democrito derideret ineptias, nunc miſerias cum Heraclito comploraret. Quantò enim extat animus corpori, tanto eius oblectamenta dulciùs afficiant, oportet, ac ſemel guſtata pretium aliorum longè, multumque deprimant. In quo quidem egiſſe meliùs cum brutis Auctorem Naturæ meritò quereremur, ſi corporis ſenſibus, qui nos cognatos brutorum efficiunt, ſua cuique voluptate præſcripta, non etiam maiorem atque excellentiorem ſtatuiſſet, quæ animum non tam reficeret, quàm perficeret, & ſorti natiuæ congrua felicitate compleret. Iam liceat ex corruptibilibus iſtis ſenſuum lenocinijs, quibus homines ita captantur, cupedia mentis, quæ, & quanta ſint, coniectare. Nec enim brutam partem beaſſe Natura, cælestem ac diuinam abieciſſe credenda eſt; nec ventri, quàm menti lautiores epulas apparaſſe. Quanta ſit enim, quàmque inexplebilis gulæ libido, plùs ſatis deprædicant tam multa eduliorum excogitata genera, relegata vltra fines humani generis menſæ frugalitas, indictum elementis bellum, ne quid fortè celent irritando palato, aut complendæ ventris ingluuiei minùs ingratum. Parùm quoque eſt pleroſque hominum vſque eo depreſſum ferri in gulæ perditiſſimum luxum, vt quamquam à Natura ſublimes, atque in Cælum erecti, proni tamen in terram more pecudum nil præter paſtum intendant, nil meditentur, nil curent. Etiamne eò ventum erit, apud nationes alioqui humaniſſimas, vt contra humanitatis ipſius iura non noctes modo totas conuiuijs addicant, ſed etiam legem inuexerint acerbiſſimæ hoſtilitatis pœna violandam, cum valetudinis ſemper, ſæpè etiam cum vitæ iactura ſeruandam, Inuitatus ad poculum etſi milliès, etſi iam temulentus, ac mero innatans nequis omninò renuito. Scilicet Epicurus è totius antiquitatis Magiſtris haud difficulter reperit, qui eius in verba non adiuratus iuret. Florentior hoc tempore philoſophia, polyphagia eſt. Academiam hodiè popinones habent percelebrem. Quid plura? Venter pleriſque Deus eſt (ſic exprobrat Gentium Doctor) quòd in ventris cultu, velut in gremio beatita-

beatitatis conquiescant. Quid persequar hoc loco visus oblectamenta? Minus paulò indigna, quàm gulæ, sed nihilò minus acria. Trahit hominem nescio, quæ Diuinitatis vel species, vel adfectatio. Artem ille obijcit Naturæ, scilicet opificio Dei homunculus. Quid quid ab hac vsquam pulchri, quidquid elegantis, quidquid magnifici conditum cernit, assequi per illam tentat: & quasi fastidiens ex quotidiano prospectu speciem hanc ambientis vndique plagæ cælestis, studet eius opes in terræ dodrantem cogere, in lapillis stellas accendere, in auro Solem æmulari, explicare in crystallis Orbes, colorare in tabulis diem, in margaritis lucem exprimere. Neque hic sistit. Cernite superbas Theatrorum moles Thermarum, Pyramidum, Signorum, Arcuum non tam sumptum, quàm ausum, quibus dum pascit oculum, exedendi quoque materiam Tempori subministret. Nam, quæ tactum afficiunt tangere hic prohibet candor vestrarum aurium, ipsa eò tenaciùs vincientia, quò & vincentia faciliùs. Nec enim alliciunt, sed trahunt, sed arripiunt captiuum Gordianis nexibus humanum sensum. Et quisquam erit ita impos rationis, qui sua deneget rationi pabula, sua oblectamenta, suas delicias alius ordinis simul & ponderis? An verò durissimæ seruitutis incommoda pertulisset Diuinus Plato imperturbato semper animo, ac mente nunquam luxata, ni mentis illecebræ, atque animi secretis Naturæ se se pascentis deliciæ totum in corpore cruciamentum absorbuissent? Desinite ipsi mirari, quos prædicare iactabunda antiquitas, mirari ignara posteritas nunquam desinit, ita Philosophiæ deditos nonnullos, ita siderum obseruandorum abstractos amænitate, vt corporis ipsius cura neglecta, patrijs posthabitis commodis, abdicata hominum societate, in summa rerum omnium copia sponte inopes, vna tenerentur, vna viuerent, vna spirarent contemplatione. Quare quòd vestræ mentis intelligo has esse epulas iucundissimas (Sapientissimi Viri) non inuitam pollicebor mihi iure vestram attentionem, nec cum insulso meæ disputationis apparatu epulas per se ipsas Philosophicarum Thesium ingratas vobis aut iniucundas fore.

GRATIÆ.

Degustastis vna mecum Philosophicas dapes, Humanissimi Auditores, Non est, cur bellaria gratiarum à me quisquàm exquirat. Suaues per se illæ satis ad delicias: nec nisi desipere incondita mea oratione possunt. Ergo suppressis gratijs malo ingratus vestræ humanitati, quàm palato mentis videri.

PHILO-

PHILOSOPHIA GENERATIM.

Diuinitatis filiam, Humanitatis parentem Philoſophiam, ſatori primo humanæ propaginis diuinitùs illapſam, ſacrarum literarum adumbratam myſterijs cùm alibi ego paſſim, tùm in portentoſo illo ſimulacro, quod in ipſa quiete laborem mentis obtulit, & verum ſomnianti negocium Monarchæ Babylonico non ſine ingenti animi mei admiratione curriculum hoc emetiens contemplabar, Ornatiſſimi, Sapientiſſimique Viri. Quòd enim generis cuiuſuis metalla ad id conflandum, ſuo quodque ordine pretij, confluerent; Philoſophia rerum omnium naturas per gradus ordinatiſſimè complecti, ac perſcrutari cernitur: aut certè peculiares omnes facultates tot in membra diſtributas vnius Philoſophiæ ſpatijs contineri quis dicet. Niſi fortè amœnius ludat, Philoſophiam ipſiuſmet rerum parentis Naturæ æmulam eſſe, cùm, quidquid vbique locorum hæc agit, quidquid molitur, quidquid poteſt, audaci indagine conſequatur, perque leuiora huius veſtigia certùm iter colligens in penitiora ſe adyta, ſinuſque abſtruſiores intrudat. Tametſi (quod bona veſtra cum venia dictum volo Auditores) monſtrum hoc immane ſimulacri ex vniuerſo philoſophantium ſtudio, ac meditatione conflari (laudinè dicam, an probro tantæ diſciplinæ; vtrumque dicam) mihi prorſùm videtur. Quis enim ſatis miretur tantam Scriptorum cateruam ab antiquis ad hæc vſque tempora ingenijs ſuis lucubrationibus conatibus conſpirantium ad eam diſciplinam per iteratas diſputationes, perque aggerata commentationum volumina illuſtrandam? Nonnullos ego quidem optimè de ipſa meritos obſeruo; benè alios, quoſdam malè, non neminem peſſimè nauſeans offendo. Primùm igitur aureum caput Ariſtotelem nos Peripateticorum Principem, & ipſi quidem περιπατοῦντες (inſiſtere quippe diſputationi, ſuperuacaneum) agnoſcimus, ac veneramur. Hoc auro cæterorum Philoſophorum lapis Lidius contrario Naturæ genio probatur, vt, quod de Tullio in re Oratoria Quintilianus protulit, vſurpare iam liceat de Stagyrita Philoſopho; Tantùm videlicet alios philoſophando profeciſſe, quantùm ſibi placuerit Ariſtoteles: quantùm aut ipſi illum probauerint, aut illos ipſe. Argenteum verò pectus, quamquàm oppugnent aliqui, candidum perpurgatumque Thomæ Aquinatis ingenium eſt, vulgari appellatione Intelligentiæ cæleſtis atteſtante. Siquidem is tantum claritatis adiunxit philoſophiæ, quantum impertiuit

tiuit luminis Aristotelicis placitis, quæ sanè placita eius potissimùm Doctoris studio superiorum Sapientum famam illustriori doctrinæ gloria obscurarunt. Iam coxas æneas, vt & ferrea crura interpretes alij, atque alij retulerunt. Sed illi vel inuiti sortiuntur terreos pedes, qui Cælum temerè scandentes, in cæno tandem resupini spectantur, interpretes, & commentatores, dementatores meliùs, qui Aristotelem in contrariam quamque sententiam perplexis nescio quibus paraphrasibus, ac meditamentis detorquent, se seque demum ingenij portentosi laudem adeptos putant, cùm per quæstiones, & verè tormenta elicuerint Aristoteli, quod is neque senserit aliquando, neque fuerit sibi quidem somniatum. Quid autem magis intolerandum prudenti viro, quàm cùm Aristoteli attribuunt definitam contingentium futurorum veritatem, Diuinam ipsam ante cognitionem? quàm cùm derogant præcedentem primæ causæ motum erga humanam voluntatem? quàm, quòd in vnaquaque partium coniunctione ad vnum constituendum modus quidam secundùm substantiam distinctus intercedat, id esse cùm volunt Peripateticum? Quæ quidem res (vt nihil dicam de alijs sexcentis) optimum quemque ætatis nostræ Philosophum iure compellit, vt ad tuendam nominis integram dignitatem, quemadmodum non ausit germanam ex Philosopho, veram idcircò sententiam infringere; sic ad oppositam quoque tuendam ex ipsius Philosophi sensu paratissimum æquè se proferat. Verumtamen vnius ictu calculi, vnius lapilli ruina pedes istos argillaceos, vnius (inquam) argumenti impetu operam omnem, & molem Commentatorum istorum facilè ruere, comminuique quis non videt? Ergo dum simulacrum ipse exhibeo, vos exitum expectate.

GRATIÆ.

INter obstrepentium clamores disputationum (nescio quo illud modo) interturbatus mihi somnus alteram, simulacri speciem, sed longè meliorem obiecit, ex auro nimirum toto conflati. Vestra humanitas ista fuit, Auditores optimi, quæ me disputantem diù sustinuit. Huic autem tam æstimando beneficio quid, nisi præaltum simulacrum ex auro inter metalla incorruptissimo debeatur ad ipsius memoriam sempiternam?

PHILO-

PHILOSOPHIA GENERATIM.

NOn dubito (Viri Sapientissimi) quin plures hoc temporis, ac plures asseclas Philosophia suos censeret, quoties ad ipsius lectissimos fructus errabunda nostræ ætatis iuuentus aduerteret mentem. Nec enim est, vt vulgus existimat, illa Poëtices præcipua commendatio, nec Theatralis tantùm, quod vtile dulci misceat: sed vmbratilis quoque & cum Philosophia communis; atque adeò ex Philosophia ipsa velut vberrimo fonte nilus deductus. Philosophiæ bona in hominum genus manantia ignorat nemo, qui non se ipsum ignoret hominem: nemo obtrectat, qui non simul rationi nuncium remittat. Eius verò suauitatem eximiam quisquis vsu nondum libauit, nequaquam miror, huic planè incognitam esse, imò incredibilem. Mirabor potiùs, cui semel datur attingere, huic nullum suppetere verborum genus; nullum eloquendi præsidium, quo sensum animi aperiat, esse promptum. Ità fit non sine miraculò, vt Philosophiæ imperceptа voluptas fidem omnem excedat, percepta omnem sermonem. Iam vt quiddam proferam tam ad genium mollioris iuuentutis, quam ad verum exactioris intelligentiæ, ita statuo; Philosophiæ studium parallelam quandam venationis habere speciem. Non enim domestica loca, ac celebria incolis adeuntur, sed tesqua inospita, & surdi recessus; Videlicet procul à forensi strepitu, à domesticis curis abducit philosophaturus animum, ac totus in se se collectus erigitur. Illic sagacitas canum, hìc sensuum nostrorum in primis pollet. Illic gressus pernicitas exigitur, hìc ingenij promptitudo. Lituorum illic sonitus, ac venatorum clamor clamore hìc disceptantium, ac vmbraculo personante perbellè compensatur. Respondent ignitis tormentorum glandibus tonantes syllogismi balistarum telis intorta entymemata, captiosæ argumentationes tendiculis, sophismata atque elenchi retibus. Nec desunt ardui calles, & saltus imperuij problematicarum quæstionum. Verumtamen inter tantos anhelantium sudores gratissima demùm captura ferarum est. Multò gratior profectò cùm feras ipsas in caueis abditas, frustrà diù conquisitas, frustra conclamatas per vestigia procùl odorata, erratico tandem filo solertia canum deprehendit, proteruia exturbat, audacia incessit, quousquè insequentibus offerat venatoribus prædam. Ecqua dictio satis exprimat curiosæ mentis voluptatem, quàm in venanda multò licèt labore, vigilia, conatu abditarum intelli-

gentia rerum percipit, ad earundem causas, vbi ratio tota scientiæ nititur, per effecta quasi per vestigia certò itinere pertingens? Hæ planè sunt Philosophantium deliciæ, non nisi Philosophantibus cognitæ. Quas quidem vt paululùm hodie degustemus, non tam inuitandi vos estis mihi (Viri Sapientissimi) quàm vobis ego, vestram in meis thesibus agitandis sagacissimam eruditionem probaturus.

GRATIÆ.

Tametsi venandi voluptas in captura ferarum tota est: Ego tamen de vestra in me exhibitâ humanitate (Ornatissimi Auditores) quas agam pares gratias, venari me nullas posse, maximè lætor, oblectorque.

PHILOSOPHIA GENERATIM.

INgnauorum conditionem quisquis literaturæ studiosus expendens in eam ferè sententiam erumpit, damnata ista capita vsque eò Philosophiæ infensa proscribi turpiter ex hominum societate oportere. Sed iuro ego, non illa solum Philosophiæ, sed sibimet ipsis infensa, ac multò inimiciora vti monstra teterrima humani generis è medio viuentium fore tollenda. Sic enim est, Auditores. Nemo non in virtute beatam vitam, nemo non in Philosophia virtutem, quisquis vel vitam affectat beatam, vel virtutis suauitatem semel attigit, collocabit. Te ipsum certè quidem negas, si remittis virtuti repudium. Tuum fraudas immortalitate animum, Si legibus brutorum addicis. His enim tantùm virtus incognita, quia extranea, quia absurda. Nam vt prona illa in terram abiecit Diuinus Artifex; ita te sursùm erexit, quò Cælum luminibus spectares, virtute peteres indigeta inter mortales, beatus in terris. Ità planè. Sed erectum te quàm multa nihilominùs curuare ad ruinam tentant illicia terrenæ voluptatis? Huic porrò tanto discrimini quodnam fiet aut certiùs præsidium, aut promptius Philosophia? Hæc scilicet sua certitudine detegit latentes dolos, & structas deprauandæ menti demolitur insidias. Hæc sensuum lasciuiam petulantem comprimit, insolentiam retundit, impetum frangit, iubetque edomitos subire cum dignitate rationis iugum. Itaque sit, licèt, cupiditatis illecebra sirenum cantilenis mollior: dabit Philosophia, vnde tu tibi obstruas auditum; dabit, cui rationem firmiter alligatam commendes. Sit illa Cretensi labyrintho implicatior: dabit hæc filum, quò tutus

euadas.

euadas. Sit Cerbero trifauce cruentior: dabit catenam, qua reluctantem cogas in ſeruitium. Sit horrendior Lernæo monſtro; dabit ferrum, dabit & faces, vnde amputes minitantes peſtem ceruices, vnde repullulantes contumaciter triumphes. Et erit quiſquam de vulgo ita turpiter amens, ita refractariè inſanus, ita ſui monſtroſè inimicus, vt tantum, tàmque multiplex ſui præſidium, vnum in hac laborioſiſſima vita ſolatium, leuamentum miſeriarum ſingulare, felicitatis vberrimum fontem bonitate, ac ſapientia Conditoris, digna quidem Deo, proſpectum, comparatumque exoſus ſit? Sed in quos ego pluribus inuehor? Optimum peſſimum, cui non ſana mens. Vitiato ſtomacho ſaniſſimum quodque amarulentum, virulentum. Vos, Viri Sapientiſſimi, quorum palato ſola benè ſapit Philoſophia, accipite, vt ſoletis, hilari oculo, quæ de illa per me diſputandæ promuntur Aſſertiones.

GRATIÆ.

VErerer, ne diſputatione mea incomptiſſima infelicitatis præiudicium feciſſem Aduerſarijs Philoſophiæ, niſi vos, qui tanta humanitate ſubleuaſtis imbecillitatem meam, eius quoque dignitatem auctoritate veſtra conſeruaturos eſſe certò ſcirem.

ALITER.

HOminis fælicitatem ex Philoſophia non hæc mea certè habita infelici ſucceſſu diſceptatio, ſed veſtra, Viri Auditores, conſpirans cum humanitate Sapientia feliciſſimè ſupra vota propugnauit.

ALITER.

HOminem virtute beatum fieri accepiſtis initiò, Auditores; Ergo, ſi debitis humanitati veſtræ meas tamen excedentibus vires gratijs ſuperſedero, nequaquàm ingrati vitio, ſed prudentiæ virtuti datum iri non dubitabo.

ALITER:

DIſputationem hanc, meo licet periculo infelici ſuſceptam; Philoſophia tamen veſtra (Viri Clariſſimi) ſcilicet veſtrum, Impugnatores, acumen; veſtra Auditores, attentio; vtraque eximia virtus digna Philoſopho felicem, fortunatamque effecit.

ALITER.

HAbuiſtis, Beatitatem Virtute parari, Virtutem Philoſophia. Veſtra nunc Virtus, Auditores, qua me diſputantem & im-

pugna-

pugnastis acutissimè, & patientissimè sustinuistis: quid ni, felicem memet vt iactem, efficiet?

PHILOSOPHIA GENERATIM.

SI captos amore iuuenes, eosdem & Musicæ deditos obseruamus, vt, vel temperent illà æstum amoris, vel nutriant: Date mihi hanc veniam, Viri prudentissimi, vt qui Sapientiæ amorem fouere me in sacrario cordis penitiore profiteor anxius philosophiæ candidatus, egregiam istam, & planè cælestem Amasiam, quandam vti Musicen proferam omnium compendium deliciarum, atque humanæ in terris felicitatis periodum. Non hic adsciscendæ mihi ad probationem voces extrariæ Sapientum, non conquirendæ mercenariæ rationum cantilenæ ad testimonium, non allegandæ argumentorum conductitiæ fides ad fidem, vbi sonus ipse per se vocalissimus huiusce musices exauditur. Nec enim alio cæterarum curarum præcipiuntur induciæ; quàm vt sequestri silentio mellitum ipsius Musices concentum facilius hauriamus. Sic igitur est profectò. Quò te cunque Philosophaturus conuertas, Musicen percipis, harmoniam quandam mirabilem ipso sensu non audis modò, sed vides. Etenim, siue moralis disciplinæ obiectum producamus Hominem, nonnè ipsum instar decantati illius Regij adolescentis in obscænitatem præcipitis vna hæc Musice multò arctiùs, quàm quæuis improba titillatio Veneris correptum, abstractumque reuocare valet ad frugem? Quoties verò isthæc efferatum vehementioribus perturbationibus prorsùm sedauit, ad serenam animi tranquillitatem composuit, hoc est ipsum sibimet restituit hominem, reparato quem Natura perfecerat, libido turbauerat; intra hominem ipsum, concentu? Hinc tam verè, quàm lepidè per literatissimum nostræ ætatis discribitur *Homo, Animal natura musicum*; Ex musice (subdam ego) atque ad musicen factum, non secus, ac limatissimum carmen, cuius tota ratio est, vt ad musicum sonum pangatur. Cui bellè cònsonat Paulus cælestis Philosophiæ sator, commento sanè cælesti eundem nuncupans *Hominem Dei opus*, aut ex Græco prothographo iucundiùs, *Dei Poëma*; quod totum scilicet ad modos musicos ludibunda Opificis Sapientia architectata fuit. Siue modò alteram Philosophiæ partem, quæ Naturam intendit, suo in lumine collocatam spectemus, Ecquid vèl minimum in ea deprehendere est, quod non aliquem Musices efficiat numerum? Quasi verò vèl surdas aures non feriat hebetio-

betiorum hominum illa Diuini oraculi vox : *Hoc, quod continet omnia, ſcientiam habet vocis* : Vocis (dico) ſcientiam Muſicen habet continens omnia Mundi moles . Atque eius *Mundi*, Auditores , quod *Canticum Dei* appellare idcircò non dubitas Diuus Auguſtinus; *Organum Dei*, Dorilaus Pythagoricus; *Odeum Regium Dei*, Granatenſis Concionator. In quo maximè mirandi ij videntur , qui mirari non deſinunt tam multiplicem in Mundo varietatem diſſimilium , atque pugnantium inter ſe rerum , vnam tamen in molem coaleſcentium, vnum ad finem conſpirantium , ſuæ iſti Philoſophiæ metam ſtuporem facientes ; neque animaduertentes vlteriùs prouecti, ex concorde diſcordia, concordiaque diſcorde effluere demum harmoniam : nec , niſi aduerſis collidantur motibus Cæleſtes orbes , niſi contrarijs colluctentur elementa qualitatibus, neutiquam extiturum fore concentum , vnde Conditoris gloria totidem muſicis vocibus prædicaretur, quot conſtruitur partibus hæc rerum numeroſiſſima Vniuerſitas . Id quod ſeriò ludendi locum fecit priſcis ſapientibus , vt Plato Orbibus cæleſtibus ſingulis ſingulas Syrenes adſcriberet cæleſtis modulationis magiſtras : Vt Pythagoras ex eorundem Orbium vertigine varia , ac defricatione conditiſſimos cantus eliciat, attingendos quidem hinc infernè noſtriſmet auribus , ni ſtrepitu terrenorum vincente ſubtraherentur : Vt Orpheus ex primis inter poëtas Theologos, temperari cecinerit à Deo totum Cœlum , quaſi canoram citharam . Atque hæc noſtra philoſophantium cura eſt , Auditores , hoc noſtrum negocium : ſi modo negocium dixeris , quod ocio quoque dulciſſimo dulcius redditur . Hæ veriùs deliciæ noſtræ, hi amores, quibus alendis meritò nauci ducimus totas agere noctes inſomnes , intercipere corpori commoda , ſenſibus laxamenta denegare , ipſum defixis nobis in ſtudio Solem , atque Aërem interdicere . Amatoribus autem hic ſermo benè cognitus , nec exprobrandus certè tamquam intemperantibus , quando Numen ipſum æternum in hæc infima terrarum delapſum auditur *ludens in Orbe terrarum*, vel (ex autographo) *choreas ducens* : Amantis autem id eſſe quis neget ? Vel (expreſſiùs aliunde) *delicians in Vniuerſi conſonantia* . Mirabere tu igitur , mentem noſtram ſectandæ veritatis ſitientiſſimam ſuas hic omnes nanciſci delicias ? Mirabere, ita capi hominem huius Mundi concentu, tàm multis alioquì miſerijs mortalitatis immerſum ; quando beatitatis fons ipſe Deus tantam inibi reperit , quàm metat , ſegetem beatitatis ? Hæc ita cùm ſint, humaniſſimi Auditores , haud metuo hodierna luce , quin vos Muſicen philo-

philoſophicam olim experti, veſtras quoque eruditas voces, dum ego diſputandarum Theſium lyram, profero, concentui perficiendo interponatis.

GRATIÆ.

PRoluſimus cantu: perorabimus ſilentio. Quandoquidem meritis veſtris haberi gratiæ, quàm agi faciliùs poſſunt.

ALITER.

NOn ingratam vobis diſputationis meæ Muſicen extitiſſe veſtro ipſi ſilentio probauiſtis, Humaniſſimi Auditores. Veſtrum ego quoque quàm gratum ſit perpetuo futurum ſilentium, ſilentio profitebor.

ALITER.

DVlcis Muſice (nemo negat) propriarum eſt laudum auditio. At vobis, ò Humaniſſimi, qui laudationem omnem vincitis meriti magnitudine, dulciorem Muſicen ſilentium fore meum non dubito.

PHILOSOPHIA GENERATIM.

MIrari non deſinit vulgus, etiam cui eſt ſenſus optimus honeſtatis, quotiès conſpicuos literatura viros aduertit tenuitate victus, ac rerum omnium deſiderio laborantes; Siccine, dicens, egena nudaque incedis, Philoſophia? O miſeram tantorum virorum conditionem. O improbam diſpenſatricem bonorum fortunam; Cæcum planè Numen, ac dirum. Siccinè in homunciones effunderis, in ſumma capita contineris? Illiteratis, numerarijs, Therſitis congeſtas, cumulatas, exaggeratas opes: politiſſima verò ingenia, ornatiſſima literis, cultiſſima moribus, (Ad ſummam) oracula humani generis neglecta iacere, pannoſa, ſordidata? Ita ferè vulgus; mille propterea iactans conuicia in Sortem, mille impetens Cælum diris, feriens ſidera, damnans horoſcopum. Sed hoc iniuria profectò. Nam iuſtiùs ciere debet inuidiam conditio Philoſophorum, quàm commiſerationem, ſi ſuo reſpondere penſitetur. Collocate, obſecro, in bonolumine Philoſophiam. Eius lineamenta, ſpeciem, habitum cùm intenderitis, tùm nihil illi adeſſe ad miſeriam, nihil deeſſe ad felicitatem videbitis. Quid enim in communi bono legere eſt, quod non in gremio Philoſophiæ colligatur? Honeſti rationem? quid Philoſophia honeſtius? Vtilitatis? quid vtilius illa? Iucun-

Iucunditatis? quid ipsa iucundius? Quos, & quales Philosophis honores adiudicarit Antiquitas, non aduocabo testes insignes passim statuas illis positas, quibus nec maius decus affectant mortales, nec perennius. Nam quòd vnus Theophrasti discipulus Demetrius Phaleræus sexaginta supra tercentum statuas Athenis meruerit, dicerem omni inuidia id maius esse, ni maius miraculum in re minori succurreret, lucerna fictilis Epicteti philosophi ter mille drachmis coempta, quasi supellectile illud rusticanum, ac leuidense ex contactu Philosophi, atque ex vsu philosophandi religionem contraxisset. Neque verò vtile negabit hoc studium, nisi quis tam hostis est patriæ, quàm amicus sui: nisi quis, dico, sordidè studia sua suis tantùm commodis curandis impendit. Quid vtilius, quàm quod beatam Rempublicam facit? Sic enim testatur forè diuinus Plato, si vel Philosophi regnent, vel Reges philosophentur. Iam & iucunditatem deriuari hinc maximè, quis neget? Neque hinc solùm, sed & publicam Rei felicitatem creat Philosophia, & priuatam cuiusque. Frustra tum in commune moliris, ni cures priùs in singulis. An verò parui putas muniri tibi animum ad quoslibet casus? Se dari tibi intestinos mentis tumultus, perturbationes cupiditatum, quæ lacerant hominem, in miram quandam tranquillitatem, serenitatemque componi? Philosophiæ hic quidem fructus, hoc pretium omni mortali pretio maius. Quæ cum ita sint, desinat vulgus, desinat minùs dignè sentire de nobis: desinat insultare causa nostra Fortunæ. Non est nostri (credite) miserendum, sed vulgi potiùs; atque eius malè sanæ sententiæ, quòd in externis quandoque sordibus latentem quasi in rudi concha margaritam, nostram Philosophorum sortem inuidendam ignoret. Sed iam semotis hisce Præficis aggrediamur, si placet, philosophari. Præsto sunt placita, censuræ vestræ grauissimæ submittenda.

GRATIÆ.

AVaram in Philosophos Fortunam incusat vulgus. Ego Fortunæ meæ auarissimæ gratias habeo maximas, quòd me inopem ingenio simul, & eruditione, vestro tamen fauore diuitem hodierna disputatione, fortunatumque effecit.

PHILOSOPHIA GENERATIM.

Vel speciatim Physica.

PArentem rerum naturam natam parente Deo, satis loquitur ipsa Natura, demonstrat Philosophia, peruincit ratio, illa quoque Sanctissimorum inter sapientissimos heroas oracula prædicant: Chrysostomi: *Natura opifex Deus est*: Augustini; *Quidquid ad naturam pertinet, Deus est*; Eiusdem; *Natura rei cuiusque, Dei est voluntas*. Quo fit, vt miranda quædam opera, hoc ipso, quòd Naturæ sunt: miranda nobis videantur: quæ, quòd ex Deo est ipsa Natura, omni protinus mirabilitate vacant. Quid namque mirabilius visu, aut quid dictu incredibilius, quàm ab Araneo congrediente in pugnam Serpentem sterni? Hoc enimuerò, si Naturam spectes, persimile monstro videri potest, & stylis eruditorum fatigandis natum argumentum. Quòd si altiùs hic Deum attendas vim suam impertientem Naturæ, ingenium imprimentem, atque solertiam; negabis tu mihi deferuescere illicò miraculum, ac penè obsolescere nouitatem prodigij? Lepidum erit (nec dubito) sed maximè tamen credendum, si quando inter Sirij flagella captans vmbrarum, & frigorum Serpens sub arborem inciderit, qua ex arbore suspensa habuerit sua retia Araneus, hunc filo se suo argutè submittere, in caput libra re Serpentis, adeò validè rostro arietare illius cerebrum, vt strídens subindè, ac vertigine rotata sibilans ne filum quidem supernè instantis aduersarij abrumpere, adeò nec effugere miserrimus Serpens queat; donec ariete frequentato succumbere iniuriæ, occumbere tandem ineuitabili fato cogatur. Eminet nihilo tamen minùs in huiuscemodi operibus admiratio: quòd, quia Deum ex coniecturis tantùm assequimur, Naturam verò attingimus sensu, occupat hic nobis mentem obiectu rei, quò tenuioris mole, hòc facultate amplioris, raptamque tenet beato quodam stupore, vt iam aliarum quarumlibet rerum magnificentia quodammodo iaceat, splendor sordescat. Nonnè illas omnes amphitheatrales pugnas Romanorum, atque Elephantorum horrenda prælia despecta quisquis habuerit, postquàm vnam conspicatus erit Araneolum cum atro, luridoque Serpente in arenam prosilientem, eius ferociam truculentam vsque eò edomantem, dum vitam strato eripiat, triumphato corium detrahat? Mirantur plerique vnius impetu cuniculi quassari ingentes moles, per-

rumpi

rumpi solùm, dirui totas vites, fragore Cælum oppleri, euerti hostium vel obstinata præsidia, vel sudatas insidias; quasi istud sit Artis, nec potiùs Naturæ miraculum. Quid enim hîc habet Ars de suo, nisi, quòd applicet passiuis actiua? In actiuis (dico) agendi vis vtique Naturæ resplendet: in passiuis eiusdem recipiendi potestas, quarum certè facultatum altera submota frustra molimentis suis Ars incubuerit. Mirabitur ergo Vir cordatus non tam inuentum cuniculi, opus Artis; quàm scintillæ vnius atomum, partum Naturæ minimum & penè nullum, tàm multa vi tamen præditum, vt corporum grandiorum moles momento euertat, Arti materiam miraculorum suppeditet. Atque hæc vbique cùm sit Naturæ magnificentia, quis non auide disciplinam illam disputando pertractet, quæ tantis recludendis thesauris clauem porrigit? quæ tantis rimandis arcanis aditum pandit? quæ sacris his vmbris lustrandis facem præfert? Eius igitur decerpta summa capita in medium producenti adeste vos mihi (obsecro) benignis animis: disputanti adeste promptis ingenijs.

GRATIÆ.

IN disputationem vocauimus (si ab initio meministis). In operibus naturæ vtra emineat, admiratio Naturæ ipsius operantis, annè Dei maiestas parentis Naturæ? Nunc Vos disputandum mihi relinquitis Viri Auditores, vtrum in vobis eminuerit magis; Ingeniumnè in impugnando; an verò in me propugnatore attendendo benignitas. Ego dum prædico tacitus ingenium, benignitatem gratus obseruo, ac pronus veneror.

PHILOSOPHIA GENERATIM,

Item Physica.

SOlent, qui miraculis naturæ tenentur, explicare illius pompam in grandioribus rebus, quæ solo obiectu facilè implent magnificentia oculos, admirabilitate animum. Hinc aliqui Leonem potissimè contemplandum producunt, dignum generositate Regem quadrupedum, robore belluarum. Alij Aquilam audaci Solis inspectu magistram philosophandi. Alij Elephantis non magis molem immanem, quàm prudentiam homini æmulandam. Hic formidandam Draconis fatalibus armis, & rictu pallendo potentiam. Ille Equum ferocia pari, ac docilitate præditum. Sunt, qui minusculis in rebus grandem commonstrant Na-

turæ ſolertiam adeò, vt nemo vnus philoſophantium non multum impendat in ſcrutando Apis magiſterio, atque ingenio. Ego verò prodíturus hodie Naturæ diuitias, & eius opulentam panegyrim conſeſſui huic florentiſſimo exprompturus, ne veſtris ſenſibus adulari fortè videar, malo proludere in eo animante, qui, & mole perexiguus ſit, & aſpectu inhonorus, ne dicam ſubturpis: adeò Naturæ proprius eſt lepor, vt vel inter probra, atque nauſeas operum ſuorum eluceat. Contemplamini vnà mecum, ſi placet, Araneum: compenſabitis (haud dubito) admiratione tenuitatem beſtiolæ, oblectatione fœditatem: Addam & vtilitate operam. Siquidem in hoc tantulo animalculo rationes boni vniuerſas habetis. Sed quid ego fœditatem, quid probrum, & nauſeam in Araneo recenſuerim, cui Naturæ ſummus indagator Ariſtoteles lautiſſimo animali, ſapientiſſimoque nomen dedit? Cui Salomon ille diuinitùs eruditus, inter quatuor minutiſſima animantia, quæ ipſis ſapientiora ſunt ſapientibus concedit locum? *Stellio*, inquit, *manibus nititur* (hoc eſt interprete Janſenio, Araneus quibuſdam quaſi manibus telam texit) *& moratur in ædibus Regis*. Ipſius (crediderim ego) Regis Salomonis, qui hoſpitem pauperibus familiarem ex tugurio in Aulam euocauit, vt exhibito mirabilis texturæ ſuæ ſpectaculo Regalibus delicijs corollarium faceret. Volo igitur vos parumper, Auditores, intra lares domeſticos, & quidem Aulæ Regiæ, & laute mecum, ne dum commodè philoſophemini. Agite iam. Araneum profero, ſpeciebus reliquis exceptis, domeſticum: maximum ergo mole præ illis, at minimè noxium. Iam bonæ frugis præſagium habetis. Cernite, vt illi è corpore tereti, habitu pallido, aſpectu iucundo prælongantur oppido crura: quibus ſiquando diſcriminatis circumquaque, ac diſpeſſis hæret alicubi, pictæ ſtellæ ſpeciem exhibet. Iam honeſtatem quoque cernitis Cælo monſtrante. Oblectari verò ſe neget, quiſquis attentiùs obſeruat; congredi cruribus hos animantes ad prolem, eniti perſimiles ouis vermiculos, ad numerum trecentorum vno partu, ſaliendoque emittere. Sed hæc belluina ſunt, inquies. Enimuerò humanis illa proxima, imò verò maiora quia in bruto; lepidiora iccirco, & miraculi plena; quippe ſimul ac aranei adoleuerint, matrimonia contrahere non niſi morte dirimenda. Vbi enim mas fœminaque conuenerint, riualem non patiuntur: & ſi quis in eorum telas, tuguriauè auſit irrepere, illicò expelli, nec raró pœnas mortis luere. Tanta inter eos coniugij fides, & genij probitas viget. Sed quanta œconomiæ prudentia? Ita diſtribuere inter ſe mu-

ſe munia, vt textrinæ incumbat fœmina, venationi mas. Quamquàm & fœmina interdum venetur, & vir texat, ſi quando alter alterius indigeat opera, ne tam alienos à ratione ipſos putes, vt in tanto amore coniugij vicarias detrectent pro neceſſitate ſubire operas. Ideò & ſingulis internodia terna in cruribus Natura proſpexit; quò ad vtramque operam vtrique eſſent procincti. Quid hic miramini Auditores? feracitatemnè alui, quaſi cellæ cuiuſdam inexhauſtæ, vndè operi continenter fila promuntur? Mirabor ego potiùs & ingenium acre terendi, & ſagacitatem callidam aucupij, ni laxiore præfatione, quàm par eſt, videri poſſem aut aranei telam tenuiſſimo meo ſtylo velle diſtendere, aut muſcarum venatu grauiſſimam iſtam Sapientum concionem altiùs tendentem detinere. Abſcedat igitur ab Aula Regia, & à conſpectu veſtro Araneus; peroretquè, quod ego ſuperiùs innui, quantum ipſe humano generi commoditatis afferat, cui ruinas ædium multò antè, quàm collabantur, ſuo portendit abſceſſu. Neque id modò: ſed (ſi Medicis credimus, atque vſui multorum) ſecat Tertianarum febrium, Quartanarumque periodum; aurium dolores tollit, oculorum albugines deluit; epiphoras curat; ſanguinem ſiſtit vulnerum. Pluranè vultis à pene nulla beſtiola? Hæc porrò ſunt erudita Naturæ opificia, Auditores, vt vos ex vngue leonem, &, quanta illa ſit, ex minimis demum coniectetis. Sed placet inſinuari altiùs in eius indagationem, promptis ex tractatione phyſica Theorematis: quod quidem bellè ſuccedet, ſi collata per vos cote obiectionum, mei acies ingenij acuatur.

GRATIÆ.

Obiectum philoſophandi habuiſtis Araneum initio diſputationis, Humaniſſimi Auditores: Ego præceptorem orandi habebo in clauſula. Nam ſicut, Plinio teſte, ipſe Araneus ſereno non texit: non ſecùs ego ſereno iſto in me ſupercilio, & benigna adeò audientia vſus, nihil eſt, cur actionem gratiarum inſtituam texere, quàm proſequi pro merito nequaquam poſſum.

PHILOSOPHIA GENERATIM.

Vel ſpeciatim Phyſica.

Titulus ille Philoſophi, quo ſe vendicare ſtuduit ab arrogantia maiorum, paulò cordatior Pythagoræorum ſchola: ſi veſtri iudicij trutinæ committatur (Viri Sapientiſſimi) non dubito,

to, quin tandem extet purgatio magis pudendæ ignauiæ, quàm pudibundæ obtentus modestiæ. Cognouerat Samius paris discriminis esse, si vel domesticam sibi faceret sapientiam, vbi ferè peregrinabatur; vel insipientiæ mancipium venditaret natum ad sapientiam ingenium hominis. Quarè nec ausus est iactare quasi suam sapientiam, nec quasi alienam negligere cursu medio, studiosum se illius tantùm professus: nihil verò hic meritus de humano genere, qui ad supremum gradum vocatus, in ordine brutorum sibi esse consistendum putauerit. Hoccinè vos quasi dicterium admiramini? Sed dictum profectò, Sole, quàm sale notabilius. Siquidem Sapientiæ impotes natura cùm sint, impotes mentis animantes; eius tamen studio quodam teneri, agi, moliri passim obseruare est in minimis quoque, maximèque neglectis bestiolis. Non citabo ex Indis, aut postremis Solis limitibus, sed ex nostratium ædibus, atque adeò ex humilioribus egenorum tugurijs obuium vel inuitis exemplum. Araneum appello non generosum in brutis, sed plebeium, parente putri genitum, nutrice pastum, muscarum ignobili venationi natum, fœdo serpentum certamine exercitum. Sordet ipsa commemoratio, adeò vestris indignum oculis proponitur argumentum. Hoc tamen brutulum sordidulum, luridulum, obscænulum (quis credat?) sapientiam quodammodò affectat, qum instar philosophi faciem Cæli obseruat, vt telam suam sereno nequaquam texat, sed nubilo: qua quidem, ex philosophia veluti subalternante (vt aiunt) rectè philosophantur subalternatim homines, multis visis araneis proximos imbres portendi. Tribuet hic fortè quisquam genio modestiæ, quòd Araneus artificium texturæ suæ mirabile malit Solis aspectui subducere, nubilo Ioue inuoluere? Imò verò sapientiæ documentum id est singularis, & omni arte maius artificium. Nam; ne cui temerè agere videatur, qui mole caret, non sagacitate; nequaquam patitur aut effugere sibi prædam, aut abrupto rete venatum disturbari. Itaque claritatem virtutis affectans inter tenebras, tempus deligit nubibus imbribusque subobscurum, promptum vt fiat incautis bestiolis præteruolitantibus offendere pedicas, quas telæ tenuissimæ cribrata illa pexitas obtutui pœnè surripit. Verùm incrementi aquarum futuri præscius attollit altiùs texturam suam, ne ingruentibus, atque exundantibus aquis casso negocio venationis decoquat. Ecquis, obsecro vos, erudiuit Araneum, oculis volucrum fallendis captandum fore momentum temporis, vnde interfusus aër, lumine iusto defectus obiectum referre planè non possit?

poſſit? Quis, quibus prognoſticis humiditatem aëris, imbriumque copiam ad exundantiam vſque fluuiorum præſagiret, admonuit? Studium certè Sapientiæ, conſummatiſſima philoſophia, alibi à lyceo hauſta, ſine Ariſtotele, abſque ephemeride; ſolius magiſterio Naturæ tam prædicando in brutis, quàm hominibus amùſis, & aſophis exprobrando. Non hic metam figit Araneus philoſophici ſui curriculi: non communibus contentus eſt regulis, nec trita vmbraculis ſapientia. Etiam Magiam aſſequitur, hoc eſt penitiora Naturæ peruadit arcana, quorum aditus patefcit oppido paucis. Comprobo dictum ex eo, quod ruinas ædium ille præſentit, eaſque multò antè deſerit, quàm collabantur. Annè, quæſo, hoc addiſcit ſuggerente Sibylla, aut Oedipo vate? Annè aſſiſtente Chaldæo, qui è ſitu, congreſſuque ſiderum latentes caſuum origines, motuſque prædoceat? Hoc ipſo mirabilior Aranei præſagitio; quod, non vt homo, opus habet in Cælum conijcere oculos, vt imminentia terris euenta colligat. Habet nobilius Cælo, quod ſpeculetur, clariora ſideribus, certiora planetis, doctiora metheòris. Habet in ſemet gymnaſium, magiſtrum, bibliothecam. Habet, vndè impiger intendat, ingenium, vnde rem quamque feliciter aſſequatur, vnde aſſecutus certò vſu exerceat. Videte ſolertiam vnius Aranei, quemadmodum deperit ſapientiam! Quid nos præſtare decet, Iuuenes generoſi? Vos compello felicitate ingenij, facilitate indolis, commoditate ætatis, copia præceptorum, opportunitate ſodalium, Naturæ ſimul fauore, atque fortunæ ad ſtudia Sapientiæ natos, ad gloriam Philoſophiæ. Sed videbor iniurius virtuti veſtræ, Iuuenes, adhortamentum adhibens, vbi magis encomium exigitur. Satiùs agam productis Philoſophicis (*vel Phyſicis*) thematis, theatrum vobis, vbi ſpectemini, patefaciens.

GRATIÆ.

TElam ſuam Araneus ſereno Cælo non texit. Sic principio dictum eſt. Imitandus ergo ille mihi, quippe Magiſter Philoſophiæ: Vt ſereno iſto Cælo humaniſſimi veſtri conſpectus, & audientiæ non texam ego telam gratiarum; quas, quàm debeo, tàm nequeo dignas vobis perſoluere.

PHILO-

PHILOSOPHIA GENERATIM.

Item de Cauſis, aut de Principijs naturalibus.

PRætendam (ſi placet) hodierno conſeſſui non indignum vobis, opinor, vmbraculum; Viri Sapientiſſimi; breuem cenſuram Peripatetici cuiuſdam placiti, omnibus è lyceo propoſiti, expoſiti paucis, iniquè ideò vellicati, atque explosi. Iam enim in id conſpirat Philoſophia vniuerſa, vt ens vnum conſtituat, ſummum, infinitum, æternum, extra quod nihil ſit aliud, à quo vno manent omnia, in quo recipiantur, per quod ſubſiſtant; Numen ipſum maximum, idemque optimum. Itanè? (ſuſcipiet ſciolus) ſi ergo, inquit, ens vnum eſt, & ipſum ſempiternum, duo hinc conſequuntur τὰ ἀδύνατα, καὶ ἄτοπα; alterum quidem vt omnia quæcunque ſunt, ens illud exiſtant ſempiternum: alterum verò, quidquid eſt, omninò vt ſit numen illud. Ex quo adhuc ſubſequatur, neceſſum eſt, vt aut nihil rerum intereat (id quòd diuturno infringitur experimento) aut Numen illud ſubeat pariter cum rebus ipſis interitum. Ità vel ſempiternum nihil vſquam extiterit, vel omnia certè vbique ſempiterna. Sed vtrinque Sirtes, vtrinque ſcopuli. Nam & illud ſtolidiſſimus hominum ne excogitauerit quidem; & hoc ſapientiſſimus cœteroqui, Stagyrites ſomniauit aliquando, Mundum æternum definiens. Hæc ferè ſciolus. Vos autem ſcientijs non reſperſos, ſed imbutos; non eruditos, ſed expolitos, & cote liuida impugnatorum acerrimorum exercitos, ac exacutos compellans ego, facilè conciliatos habebo dictioni meæ, quæ ſaniorem in partem, vt candidum decet hominem, Ariſtotelicum placitum vſurpabit. Mundum igitur ſtatuo æternum eſſe, ipſummet eſſe Deum, interitui obnoxium haud eſſe. Non ſum mei immemor, hoc eſt Chriſtiani capitis, atque adeò religioſi. Sed cùm illa duo firmauero, Et Mundum ipſum eſſe Deum, & immunem interitu; tum verò æternum eſſe, ſuapte conſecutione deduxero. Quid ergo? Statuo oraculum Moſaicum noſtræ baſim orationis. Nec enim diſſimulauerit, ex illo ſe fonte bibiſſe quidquid in riuos effudit alijs Plato, ex Platone Ariſtoteles, ex Ariſtotele omnis ſubindè caterua philoſophantium, vt me propterea nequaquam diſpudeat, nec ſupercilium ipſe reformidem aut faſtidium hominum irreligioſorum, quando ad illos prouoco, quos diſſimulare inſtitutores primos ipſimet erubuerint. Age ergò: Quid ſibi voluit, quod

Moſi

Mosi nomen Dei seriò percontanti, cœlitùs responsum est: *Ego sum, qui sum: sic dices Israelitis: qui est, me ad vos misit.* Quid, inquam, eo sibi voluit, nisi ens ipsum esse Deum, qui suaptè natura, verèque est? qui rerum omnium esse est? Qui ergo est (sic habebat) seu (melius) Ens ipsum, me ad vos legauit, Israelitæ. Neuè detrectarent hi, habere huic Enti fidem Numinis, Deumque censere, iubetur Moses orationem in hæc verba concepta ordiri: *Dominus Deus Patrum nostrorum visus est mihi.* Nimirum hoc summum Ens edisserit palam, non minùs esse à potentia Dominum, à Maiestate ac prouidentia Deum, quàm Ens nuncupauerit ab essentia. Erit igitur, vt Dominus omnium ac Deus, sic & Ens omnium; nullaque rerum conditarum, quà est, Diuinitatis expers dabitur. Quid! *In Deo sumus, viuimus, & mouemur;* ait philosophatus ex Arato poëta Paulus Apostolus. *Ioue cuncta vtuntur, ab ipso nos sumus, ille fouet, cunctis viresque ministrat,* præcinuit absque fabulis Aratus. Sed altiùs nos adhuc vocat Ioannis Aquila despicata nubes omnes humanæ ignorantiæ, fontemque ipsum lucis propiùs ebibens: *Quod factum est* (inquit) *in ipso vita erat* (placet sic legere cum grauissimis Græcorum, Latinorumque Patrum). Quod factum est, ait, in ipso vita erat; in Verbo quippè illo mirifico Paternæ mentis, per quod Vniuersitas hæc rerum constitit, vita fuit hæc ipsa, quæ postmodum extitit Vniuersitas. Vitam igitur Dei vixit Mundus, & quidem sempiternam; nihil enim in Deo non Deus est, non æternum. Et erit adhuc, cui durior videatur in hunc sensum Stagyrites æternum deprædicans Mundum? Et adhuc ibit quisquam inficias, quidquid vspiam est, Numen esse; quippe cùm Numinis natura, quæ in se se omnia comprehendit, simplicissima existat, nulliusque patiens admixtionis? Restat modò, Auditores, vt cum Numine ipso vindicemus ab interitu Mundum. Quis enim Christianorum philosophorum ausit corruptioni subijcere hanc rerum molem, quàm exacto tempore, ac generandi vicissitudine resistente immutandam in melius, reformandamque prædicant sacrosancta vatum oracula? At refragatur hic sciolus; hæc ipsa, inquiens, quàm Tute ponis, temporaria generandi vicissitudo, hæc ipsa immutatio, hæc reformatio quid, nisi ad generationem corruptio est? corruptio verò ipsa quid, nisi interitus? Iam ergò interierit per vos, sin minus Vniuersum, certè quæ illo continentur infra Lunarem ambitum. Meritò hæc omnium calculis philosophorum generationis corruptionisque sedes est; eritque, quandiù Mundus ista, qua præditus nunc est, indole constabit.

Acuta mehercle disputatio, Auditores, & pumilione ingenio non nihilo altior. Sed ne congrediendi campum præripiant Aduersarij, attingam expolitionis gratia, non disputationis de substantiali transmutatione Aristotelicum sensum. Nec enim putetis, materiem, rerum perniciem, interitumuè sentire. Formæ quidem ipsæ mutantur, dum variam fermentationem materiei suscipit massa. Et quemadmodum in cera solemne est nobis facere, cùm albam in viridem, cùm viridem in nigram commutamus, cùm aliam ipsi, atque aliam effigiem pro sigilli varietate imprimimus: Ita fere Auctor Naturæ Deus massa hac vtitur vt lacte, vt stymmatum pastillo, vt farinæ mole: habet autem fer menta varia, succos, coagula in pyxides quasi distributa. Sumit hanc massæ partem, adiungit inde fermenti, coaguli, succi particulam. Si quibus massæ portionibus ex vna, eademque pyxide applicuerit, hæ fient vnius, eiusdemque speciei, veluti bini homines, bini æqui, binæ arbores. Si quibus ex diuersis, diuersarum, quemadmodum Homo, Equus, Arbor. Quare non ex massa diuersitas ista prouenit, sed ex fermentis: fermentis si quidem pluribus, massa vna, & ista vniusmodi; Quæ tamen massa secundum partes singulas apta nata est vim quamlibet impressam recipere. Tu illam subige; mox recipiet. Abolet hanc formam, inducit aliam sapiens ille figulus: illam tu dices interire, hanc oriri. Sed gratis, sed perperam. Sume, si placet, animantem; contemplare non diffinitiuam illam substantiam, nec quæ sensui occurrit species, sed essentiam modò illius vsurpa. Hanc tu semper extitisse neges? Dicas, licebit, dissolui animantem illum, sed eius animam in aërem postliminio reuerti, aërique velut depositum reddi: Corpus autem ex terra concretum, terram perstare, quousquè è pyxide noua ipsi species inducatur, qua subindè corrupta in massam pristinam, hoc est terram recidat, necesse est. Inepte igitur generationem, atque corruptionem, ex specie in speciem mutationem, appellabit quis interitum, aut essentiæ desinentiam, cùm intereuntibus formis, cùm desinentibus speciebus ipsa minimà intereat, aut esse desinat massa, in nobiliorem quandoque formam, nec vnquam interituram speciem ex præcitatis oraculis transmutanda.

Nec species sua cuique manet, rerumque nouatrix
Ex alijs alias reddit Natura figuras
Nec perit in toto quicquam (mihi credite) Mundo.
Sed variat, faciemque nouat, nascique vocatur
Incipere esse aliud, quàm quod fuit antè, morique

Desinere

Deſinere illud idem, cùm ſint hùc forſitan illa,
Hæc translata illùc: Summa tamen omnia conſtant.

Sic cecinerat Ouidius in Metamorphoſeon libris. Verumtamen vos ab amænitate philoſophandi ad ſeueritatem, à Muſis ad Martem recentes, expoſitis theſibus, explicato quaſi vexillo iam prouoco.

GRATIÆ.

SI temporaneis rebus ſempiterna eſſentia eſt, vt ipſe proluſeram: Vos certè beneficium in me collatum temporaneæ attentionis, non vnius horæ, quàm perdurauit; ſed æternitatis ſpatia grata in vos memoria dimetiendum putate.

PHILOSOPHIA GENERATIM.

Vel Moralis Speciatim.

TRita eſt, nondum tamen (quod ſtupeo) explanata vſu communi diſceptatio penes Platonem; Vtrùm Virtuti Scientia aditum patefaciat. Ego quidem veſtigia illa eiuſdem Platonis vrgebo relecta omnibus millies, pleriſque neglecta, *Beatas tùm demum fore Reſpublicas, in quibus velꝉ regnarent Philoſophi, vel Reges philoſopharentur.* Sic igitur habeo, & quidem non ad Epicuræos: Hominis mortalis felicitatem in virtute potiſſimùm ſitam eſſe: taleſque debere ſe ſe Reges præſtare, quales ſuos eſſe populos velint. Felices dixeris? beatos? Imò verò philoſophos, inquit Plato. Quorsùm ita? niſi quia mirum eſt, ad beatitatem, atque adeò ad virtutem quantùm ſcientia, ſeu philoſophia conducat. Subſiſtamus hic paululum, Auditores, defigamus obtutum. Virtus eſt, quæ modis quibuſdam, ac terminis præcipitem coërcet animum; & ſic ea Reſpublica, quæ partes adæquat omnes, nec patitur alias iacere, alias æquo ſublimiores rapi, erit (inquam) virtuti perſimilis, erit beata. Hæc verò Scientia eſt, hæc Philoſophia, & hæc regnanti peculiaris. Hac Regna ſtabiliuntur, hac colitur animus, hac paratur felicitas, hac nihil maius in votis eſt generi mortalium. Vtinam id rectè caperent noſtrates iuuenes, quos vtique manent, cedentibus fato ſenibus, moderandæ aliquando habenæ Reipublicæ. Non ij ab ardua Cebetis rube ſcandenda ſic terrerentur, tot illecebris, ac fucis acceſſum eius inhibentibus. Quantò autem alacriùs victoriam ſibi quærerent, dum diſpendioſum lucrum, dum pernicioſam vtilitatem, dum verboſam ſcientiam, dum miſeram felicitatem

blandientem animis, & toto conatu aduocantem reiectarent, duriorum quidem auidi, sed honestiorum. Quippe id ijs suggereret scientia, id philosophia commendaret, quæ veris innixa fundamentis, atque ab omni abhorrens fuco, posteaquàm animos ingenuos occupasset, procul seruile illud vulgus facesseret, nudatumque gypsatissimis pallijs, quàm fœdum, mucidum, inane, inhonestum, corpus lateat, Sole clariùs panderet: detraheret oculis caliginem, expurgaret intrusam animis soccordiam, & stolidam cupiditatem retunderet, & quidquid ibi speciosum apparet, quidquid allicit, quidquid à cæpto reuocat, detecta hinc veritate, omni demum detestabilius monstro, omni sorde inhonestius, omni tempestate periculosius, omni fæce, scelere, turpitudine inquinatius, obscænius, flagitiosius demonstraret. Sed hæc contentiosi apud ignauos. Cæterùm vos, quando vel præmaturis conatibus ingenij ad Philosophiæ apicem, & per hunc ad virtutis felicissimè pertigistis, iuuabit (credo) de Philosophia disputantem attendere; scilicet quæ vestræ olim fuit præclaræ indolis, solertiæ, generositatis Theatrum.

GRATIÆ.

SI quemadmodum præfatus eram, è Scientia manat Virtus; certè, quanta insit illa vobis (Nobilissimi Auscultatores) hæc ipsa, qua me hactenùs sustinuistis, inuicta patientiæ Virtus arguit. Simul ne ea audaciùs abutar, minùs ingratum vel fine gratijs, mihi silentium indicit.

PHILOSOPHIA GENERATIM.

Vel Moralis speciatim.

PRofessurus hodierna die in hoc cætu ingeniorum florentissimo, cuius nuper spatium emensus sum, Philosophiæ theoremata, nequaquàm tenendam puto viam illam omnibus tritam; vt in limine disputationis ipsam vobis commendem composita ad pompam dictione Philosophiam, & velut expositam nundinis mercem adscito fuco, ementitaque sagina mangonizem; cùm id vetet omninò, & eiusdem disciplinæ dignitas incomparabilis, & vestra, Nobilissimi Auditores, omni maior commendatione philosophandi peritia. Non sunt emendicandi mihi emptores, quos adesse tàm frequentes hic cerno (quamquàm quid egetis ipsi coëmere, quod vobis superfluit?) neque conquirendæ forinse-

rinsecus laudes, qui ne obtrectationem quidem, aut calumnias reformido. *Nunquam enim* (vt grauiter Seneca) *in tantum conualescet nequitia, nunquam sic contra virtutes coniurabitur, vt non Philosophia nomen venerabile, & sacrum maneat.* Quare (vt hic Ciceronem subijciam) *qui Philosophiam profitetur, grauissimam mihi personam videtur sustinere.* Nam (vt idem ipse in Claris Oratoribus) *illa est mater omnium benefactorum, beneque dictorum.* Atque (vt in Tusculanis) *mater est omnium artium, donum & inuentum Deorum.* Quod quidem encomium magnificum, etsi Philosophiam vniuersam complectitur; maximè tamen cum ea concinit parte, quàm Ethicen vocant, quæ, & benefactorum est, & nostræ propterea culmen felicitatis. Sed interest omninò, vt veræ Philosophiæ linea teneatur; non illa ergo veterum, qui de summo hominis bono quærentes, quòd est omnis Philosophiæ caput, multorum ipsi capitum efficiunt monstrum, furiando magis homini natum, quàm beando. An verò quisquam patiente stomacho ferat ea dogmata putidissima, adeò sibi inuicem repugnantia; Vt in voluptate animi summum bonum constituat Epicurus: In corporis voluptate Aristippus: Calliphon, & Dinomachus Cyrenaici in virtute simul, & voluptate: Diodorus in doloris priuatione: In non dolendo Hieronymus: Peripatetici in Animi, Corporis, Fortunæque bonis. Herilles in scientia: Zeno in congruente vita Naturæ. Stoicorum aliqui in sequenda virtute. Denique in honestate ac virtute Aristoteles. Quot capita certè, tot monstra. Sed alijs alia monstrosiora. Quid enim primùm contendit Epicurus? An non (ego dixerim) summum summi animalis bonum in eo collocari oportet, quod commune cum cæteris animalibus esse non possit? Verùm, vt propriæ sunt volucribus pennæ, armentis cornua, feris vngues ac dentes, ita & homini proprium aliquid assignandum, quo detracto de naturæ suæ ac dignitatis gradu turbetur. Voluptatem verò animi nec brutis quisquàm iure negauerit, gaudij nimirum & securitatis capacibus: Nec homini consequenter tamquam peculiare ac summum ipsius bonum attribuerit. Siquidem Aristippi placitum brutum veriùs, quam hominem, ne dum Philosophum sapit; nisi quòd à bruto sola Philosophantis loquela distinguit. Ecquid mancipium ventris ac Veneris, nisi suas in popinis, in ganeis delicias commendaret? Suas ibi Aras habere, quas incenderet, suum Numen quod coleret hecatumbis perpetuis, Sacrificulus idem ac victima. Confutent igitur bruta Aristippum, & Mineruæ cum primis inuisum pecus arguat sacrorum Deæ

ſuæ vſurpatorem temerarium. Quid enim (date veniam, Auditores libertati ſuccenſentis iure Philoſophi, atque adeò ſtomachantis). Quid ſi gregem grunnientium obſcæniſſimum offendas, cùm aut in glandes petulanter proripitur, aut laſciuiens in purulento cœno volutatur, aut olentes rabidus init fœminas; Tuque facultate ſermonis conceſſa ſingulatim ab ijs quæras; Quid ſit, cur tàm procacia, tàm perdita ruant in fœdas illas corporis voluptates: Nihil minùs profectò reſpondebunt, quàm quòd Ariſtippus, ſummum bonum in ijs ſe ſe nanciſci: probabuntque ſcitè, ex veterum ſententia habere ſe quidem pro ſale animam; nihil verò ſalis habere Ariſtippum in anima, cuius philoſophantis placita ſalacia ſint magis, quàm falſa. Huic finitimi Cyrenaici, virtutem cum voluptate coniugantes. Sed viderint hi, ne ſummum Hominis bonum fortuitum ponant iniquiore brutis conditione. Liquet enim, non niſi labore conſtare virtutem, quæ, vbi radices amaras appoſuit, expectatiſſimis fructibus perſæpè fraudat. Ridiculus autem videtur Diodorus, quòd beatum deſcripturus hominem, miſerrimum efficit. Etenim ſi ſummum tuum bonum in doloris priuatione poſueris, ſummo igitur malo antè doleas, neceſſe eſt, quo poſtmodum ſubleuatus læteris ſummo bono; Et quod ridendum eſt magis, miſerrimo tibi ex ægritudine ſummum bonum miniſtrabunt pharmaca, lapides, radices: ex ieiunio poma, cæpe, allia, ex ſiti aquæ patera, ex frigore ſpolium pecudis; è laſſitudine pauxillum fœni. Hos tu verò ſummi boni auctores ac largitores agnoſces? Cum Diodoro certat ineptijs Hieronymus, qui beatum faciens indolentem, vel cum homine bruta eleuat, vel cum brutis deprimit hominem. Quid, quod ſummum bonum proponit magis, quàm promittit? Quandoquidem ne doleamus, optare ipſi quidem poſſumus, ſperare non poſſumus. Bonum autem ſi ſummum illud ſit, in noſtra ſit, oportet, poteſtate, certum, perpetuum, immotum. Conſonant cum hoc ferè Peripatetici, bona corporis ad beatitatem exigentes, inter quæ vtique cenſetur indolentia; immò & alia plura cum brutis communia. Quòd verò Fortunæ accumulant bona, quæ noſtram fugiunt poteſtatem, quis non videt, non in hominis poteſtate bonum, ſed contrà in boni poteſtate hominem (ſi tamen bonum dicendum quòd à Fortuna) tanquam mancipium eluſis ſæpe votis cruciatum conſtringi: Scio, ab his bona quoque animi primo loco reponi. Verùm quæ illa ſint, Griphus eſt, Oedipum expectans. Sed neque audiendus nobis Herillus, qui dum in

ſcien-

ſcientia felicitatem requirit, intellectu ſaturo voluntatem ieiunam relinquit, felicem eundemque miſerum hominem volens. Zeno fortè fortuna album tetigit, conſentaneam naturæ vitam præfigens ſummum bonum. Verùm tamen ſiue naturam hominis corruptam, & in deterius pronam intendit, hominem profectò exigit brutum, vt faciat beatum: ſiue integram illam contentamque legibus à Conditore præſcriptis, iam & hoc in belluis reperiet, quæ vtique ſecundùm naturæ impetum in omnibus feruntur, nec repugnandi habent poteſtatem. Quid vero Stoici? Paulò ipſi nobiliùs differentes, beatitatem in gremio virtutis reponunt. At quoniam virtutem ipſam eſſe ſummum bonum volebant, viſi ſunt in ſcopulum prudentes offendere, Cauſam felicitatis effectricem pro effecta re permiſcentes. Quod ſanè metuens naufragium Ariſtoteles maluit ipſam cum honeſtate virtutem, quaſi Virtus facto ad honeſtatem gradu nos demum in apice ſtatuat felicitatis. Sed animaduertat ille oportet, fruſtrà fieri Virtuti honeſtatis appendicem. Quid enim? An diuortium aliquando cum honeſtate Virtus faciat? Quaſi inhoneſta aliqua detur Virtus, turpitudinis comes, magiſtra dedecoris. Sed iam faxint iſtiuſmodi placita, quæ placere ſcilicet non poſſunt vero Sapienti. Faxit vetus iſthæc Moroſophia meliùs, quàm Philoſophia, quæ cauſam primam rerum omnium Deum diſſimulat, Deum, inquam, Optimum Maximum, bonum igitur hominis verè ſummum, cuius in cultu beatitatem noſtram iure tuetur caſtigatiſſima Chriſtianorum Philoſophia, atque eò mores noſtros, ſtudia, conſilia docet intendere, vt rectis ad Deum itineribus pergentes dignam homine vitam concludamus digni Deo. Verùm hæc hactenùs. *Vos*, Auditores, qua ſoletis benignitate audientiæ adeſte obſecro mihi, Philoſophicas theſes ex N. N. diſcuſſuro.

GRATIÆ.

DE Philoſophia hodie diſputantes grauiſſimam illam, quam ex Tullio initio memoraui, perſonam vtrique noſtrum ſuſtinuimus. Vos quidem Philon, ideſt Amicorum; Ego verò Sophu, nimirum Sapientis. Tametſi, vt ego Sophos viſus ſim, veſtra Philôn benignitas ſola perfecit.

PHILO-

PHILOSOPHIA GENERATIM.

Vel Moralis Speciatim.

OBijcio inermes armatis, solis bellicosos Philosophiæ placitis, pugnaces humanitatis cultu, aduersus totam Martialem ferociam; neque anxius quidem de consecutura victoria, aut de triumpho legitimo ambiguus, Studiosissimi Auscultatores. Rem mehercule incredibilem dictu, si magnitudinem spectemus, sed spectaculo protinus ipso credibilem, immò verò oculatissimam, nec nisi talpis altercandam. Sic enim statuere non dubito; prima omnium arma inter mortales mota à principio rerum, primam Iani apertionem, primum castrensis tubæ clangorem aduersus literas extitisse; nec propterea mirandum, quòd iam tum Ciceronianis temporibus cessisse canerentur Arma Togæ, lauream que linguæ; quippe quorum dimicatio coæua generi hominum tam multis catenus congressibus victorias, victorijs palmas, palmis triumphos eidem Togæ, ac linguæ, hoc est literis, & earum parenti Philosophiæ numerabat. Quid? Pugnant hæc, quod mirere, sed amicè, iisdem in castris, ijsdem pro partibus, auxiliaria sibi inuicem, vnam eiusdem Imperatoris gloriam, publicæ rei commodum intendentia. Neque enim, vt putat vulgus, militarem disciplinam infringit Philosophia, sed firmat; non turbat, sed tuetur; non obsistit, sed obsecundat; atque vbi arma hebetantur, subit acies Philosophiæ, ac vigor sapientis animi residentem Bellonæ impetum sustinet. Sit, quæso, arbitra Causæ experientia, cui tam religiosè deferunt humanæ res magisterium. Obsidebat Camillus Faliscos inueteratis odijs feroces, munitionibus verò, copijs, commeatibus metuendos. Iam copias circum oppidum explicauerat, castra posuerat. Quo ex oppido Magister puerorum Principum (planiùs) Princeps Pædagogorum, & hominum scelestissimus deducit vetere de more quasi lusus, & exercendi gratia gregem alumnorum imbellem, vtique lanienam meditans. Sed variato lusu, atque sermonibus trahit ad spatium solito longius à porta, donec per stationes hostium, & castra Romana perlatus Imperatori tandem sistat. Huic deuelat mentis machinam: offert præsentes pueros in deditionem, & per pueros parentes in Patria Principes, per quos tandem cedat oppidum, & natio tota, necesse sit, in Romanorum potestatem. Magnum verò Fortunæ tentamentum, Auditores?

ditores? sed maius virtutis præsidium. Vos factum aduertite. Odit profanum munus Imperator integer. Repudiat oblatam victoriam victor tanti sceleris, periculo virtutis nouo; nec solum: sed & acriter obiurgatum Magistrum denudat: manus post tergum illigat, tradit pueris reducendum in patriam, simul eis virgas distribuens, quibus proditorem ad oppidum vsque vrgeant verberantes, scilicet dantem pœnas discipulis præceptorem optimum, equitantem suis in pedibus nobilem pædagogum, malè tractatum thema retractantem in ferula, digna omninò cum pompa ingenij sui ac disciplinæ. Quid amplius moror? fecit spectaculi nouitas tam apertam Faliscis nequitiam Magistri, quàm iustitiam Romanorum adeò, vt posita feritate, ac restincto odio, quo se, suaque Marti deuouerant, inuicti pacem, ac deditionem offerrent Romanis non armorum magis, quàm animorum victoribus. Quid per vestram fidem hunc tantum Imperatorem in tam dubia expeditione fortunauit, præterquàm Philosophia? Hæc ingenium erudiuit, animum formauit, virtutes congessit non tam ornamenta, quàm subsidia; vt, vbi armatus repugnantem hostem sentiebat, sentiret victum exarmatus sola inuehens virtute animi, debellans facilitate. Validiùs etenim frangunt adamantinum pectus adhibita humanitatis officia, quàm ab immanitate hostili admotæ machinæ. Quàm multæ ciuitates (vt hoc etiam vrgeamus) quàm multæ prouinciæ, quas ingentibus apparatibus bellica vis in cassum tentauit, vnius tandem obtinuit ciuilitatis obsequium? Quis Pyrrhum Romanis armis frustrà petitum Italia pepulit? Philosophia, quæ Fabricio liberalitatem in hostem suasit, vt ei necando compositum esse venenum detegeret. Quis Scipioni Aphricano inclytam magis famam peperit? Philosophia, quæ post edomitam Aphricam edomare simul docuit castitate libidinem, vt captiuam fœminam ætate florentem, forma insignem redderet Viro illibatam. Quis Cyri memoriam æternam sacrauit? Philosophia; non illa certè, quæ stylum Xenophonti rexit, sed quæ stylo eius poliendo, fatigandoque materiam suggessit, Magistra omnis immanitatis & continentiæ. Quæ cùm ita se habeant, quis vestrum iam ambigat plùs multò valere armis literas? his illa destituta patere fortunæ aleæ, munita sistere labentem rotam, & fati inuidiam stabilimine Imperij habere delusam. Satis iam pro Philosophia à me dictum; De Philosophia restat & à me, & à vobis commissa disputatione dicendum.

GRATIÆ.

PAcem poscunt à Romanis Falisci non Marte victi, sed Philosophia. Frustrà ego quoque vobiscum præliet agendo gratias, qui vestra humanitate summis Philosophis digna, & omnem meum habetis sermonem victum, & vinctum animum.

PHILOSOPHIA GENERATIM,

Vel moralis Speciatim.

OMnia Deum in sapientia fecisse tradit sapientissimè Israelitarum Rex Davides. In sapientia quoque omnia refecisse subdiderim ego, nec (puto) insipienter, Auditores vndequaque Sapientissimi. Non ago in hac parte Theologum, vt per Sapientiam sempiterni Patris, hoc est Verbum illud Diuinum in Humanitate nobis visum, nobiscum versatum ruinas Orbis instauratas fuisse prædicem, assertum è seruitio Cacodæmonis genus mortalium, defœcatos corruptelis & vitijs mores, receptam postliminio veri Numinis religionem; denique restitutas virtutes animis, animos hominibus, homines Mundo. Hæc autem alium Actorem petunt, & scenam aliam. Sapientia, hic dico, ipsa est, quæ recreat omnia, atque eius amor, seu (vulgari appellatione) Philosophia ipsa est, quæ illius velut Parentis obstetricem agit. Quid enim obsita tenebris ignorantiæ mens nostra, nisi cæca demersum caligine chaos adumbrat, confusa vniuersa, atque informem in cinnum permixta? Pulcherrimum Dei opus homo, magnus molimine, etsi moles paruus Mundus, fac, laboret inscitia, laboret ieiunio Philosophiæ, nec tetrius illo chaos dabitur, nec cinnus confusior: malè morati mores, animus exanimis, mens amens. Prorsùm nulla est cogitabilis fœditas, quàm non ille excogitet, nullum indignum facinus, quod non meditetur, nullum exitiale consilium, cui non adhæreat. Brutis grauis, & sibi redditur, ac velut purgamentum ciet stomachum rebus omnibus, inter quas ne numerum quidem facit, quia numerum nullum habet probitatis: parumque adæquatè cum Flacco dicitur, *fruges consumere natus*, qui nec frugi sibi est, nec nisi Naturæ legibus inuertendis instar monstri egestus in Mundum. Fac dein, affulgeat huic lux aliqua Sapientiæ, oboriatur modò crepusculum; fac, dico, studium modò Sapientiæ eius in pectore accendatur, Ecce illi diffluere extemplò tenebras,

nebras, dilabi horrorem, redire natiuam formam, reſpirare ſpiritum, reuiuiſcere vitam, totam componi ad beatitatem naturam; (vno verbo) ipſum ad ſe ſe hominem reducem fieri, nec ſe ipſum præ magnitudine capere; adeò dignitate ſuccreſcit, maior quodam modò ſe ipſo redditus. Non hic effutio, nec iactor audaciùs. Quid enim nobilius Imperatore ex victoria inſigni minime inſolente? At hoc Philoſophiæ opus eſt, hoc miraculum. Facit quippè miraculum raritas Imperatorum, qui victoria ſuperiores hominibus, non infra homines deſideant ſimiles laſciuientibus feris belluis. Annon miraculi famam habet, quod de Darij victore Alexandro refertur Annalibus? Emerat iam ſibi Macedo nominis celebritatem pretio ſanguinis tot cæſorum hoſtilium agminum. Intulerat efferatioribus latè gentibus victricia ſigna, penetrauerat triumphis remotiores Orbis terrarum plagas, fecerat Regni ſui pomærium diuiſa Oceano Regna vaſtiſſima. Quàm multa numerabat ſummorum Regum capita ſubiugata, tyrannos perdomitos, prouincias populatas? Mundus totus minorem ſe fatebatur illius virtute, cuius pars maior non virtuti, ſed famæ virtutis, ac pene monſtratis armis, ſonantique vix claſſico promptiſſimus ceſſerat. Hunc domitorem Orbis glorioſum, cui omnia obſequioſa parebant, cui adorabunda gerebant morem, cuius genio, delicijs, libidini auctorata militabant, à Statiræ Reginæ complexibus deuicti Darij vxori, non elegantia minùs, ac formæ venuſtate, quàm Regali conditione multò conſpicuæ potuiſſe ſibi temperare ab illius dico, complexibus, quàm ſibi dederat intemperantior Victoria captiuam: quis neget hic exceſſiſſe Macedonem in hac parte Platonis votum, quòd beatam voluit Rempublicæ ſui temporis Philoſophus ipſe non ſolùm pacatus Regnans, ſed etiam bellator triumphans? O nobilem Principis Philoſophorum Alumnum, dignum profectò præmere imperio populos, ſuas ipſum priùs cupiditates imperio rationis præmentem; victorem antè ſui, quàm aliorum; ſenſuum antè, quàm hoſtium debellatorem. Agnoſcite in hoc homine Sapientiæ recreatricis lineamenta, reueremini Philoſophiæ opificium. Sed placet quandam velut idæam eiuſdem in medio ponere, quàm vos obiectis argumentis, vtrumnè expreſſa graphicè ſit, probetis.

GRATIÆ.

Conſtare non poterat meliùs humana omnia per Sapientiam recreari, quàm cùm hodierna diſputatione inſipientiam

meam ſapientia veſtra caſtigaſtis: tenuitatemque hanc virium ſubleuaſtis excellentia beneficij ſempiterni.

PHILOSOPHIA GENERATIM.

Vel Moralis Speciatim.

NEſcit Philoſophiæ pretium, qui Hominis illa defecti ſortem miſerrimam oculatus neſcit. Tametſi nos cæleſtis huius diſciplinæ naturam purgato lumine contuentes vel omni ſecluſo experimento in eam facilè ſententiam pedibus imus, vt quidquid felicitatis obuenire mortalibus poteſt, ex vno illud fonte Philoſophiæ manare cum Sapientiſſimis Viris ſtatuamus. Non enim exterarum modò rerum naturas ſenſibus noſtris abditas, ſuiſque retruſas in tenebris peruestigat Philoſophantis mens, quarum ex aſſecutione quaſi deprehenſis venando feris in cæco receſſu, voluptatem quandam animo geſtiente hauriat: Verùm peculiari negocio erigitur ad ſuimet indagandam conditionem, naturam, præcellentiam, altiùs contemplatur originem, intuens defigitur mirandum corporis cum animo nexum, diſtinguit vtriuſque facultates, obſeruat ſtudia; tum demum qua lege ad concentum temperentur ſingularum motus, quæ ſit ratio tuendæ inter dominantem ac ſubditam portionem harmoniæ, quæ quidem harmonia ipſum in ſe ſe hominem continens beat, ærumnis exemptum omnibus, gaudijs omnibus cumulatum. Quid enim amplius habet ille, quod expetat, ſi ſe poſſideat, ſe fruatur? Neque externis bonis indiget, qui omnia in ſe collecta bona diuinitùs habet: neque alienis diteſcit, qui affatim proprijs abundat. Hoc ipſum tribuit cultoribus ſuis Philoſophia: Contemptores verò quales faciat, haud dubie colligere eſt, miſeros, perditos, profligatos, tàm à felicitate diſſitos, quàm ad omnem proiectos ærumnam. Inſpicite animatam huiuſce rei picturam in Appio Claudio hiſtoricorum ſtylis ad probrum ſempiternum expoſitam. Hic in amoribus Virginiæ reduxit in ſcenam Tarquinium Reum Lucretiæ; fecitque Decemuiris, vt ille Regibus, deteſtando ſuo facinore abolitionem. Intuemini vos, quæſo, in ſummo Magiſtratu ſummam vecordiam, in poteſtate impotentiam, in Imperio ſeruitium. Adamare formoſam Virginem (quis neget?) humanum eſt, deperire, amentis; tentare, lenocinari, petulantis; proiectèque impudentis. Quid dicam iniecta vi opprimere? Quàm turbata hic mens deliquentis? quam iacta-

tus

tus furijs animus? quàm fœdè lacerata ſtimulis conſcientia? Scilicet quantùm homo brutus à Philoſoph ia abhorrens, tantùm aberrans à veri amoris regula. Execrata facinus Roma eſt; damnauit Plebs, quamquàm ex lex iniquiſſimum caput. Parens ipſe puellæ Virginius, plebeius licet ordine, animo tamen fortis & excelſus dignum philoſophia pectus obiecit. Quid? Puellam (proh facinus!) in oculis Tyranni libidinoſiſſimi prehendit: ſtricto ferro confodit: Honori victimam dicat. Cadit ipſa (heu) illius perempta manibus, à quo vitam hauſit, vlnas inter paternas, quæ dulces illi cunæ iam fuerant. Poteratnè in homine Ethnico illuſtrius factum Philoſophia moliri? Amore parentis in filium nihil dulcius (quis neſcit?) nihil potentius. Docet nihilominùs modum amoris Virginius Claudium, Plebeius Magiſtratum, Priuatus miles Decemuirum: Docet amori non dari locum, vbi ſubit infamia: fama obſtetrice genitum habere priuignam filiam, ſi hæc ipſa malè audiat. Denique honeſtate omnem caſtigari dolorem, iacturam compenſari, orbitatem hilareſcere. O Parentis conſtantiam ignotam Naturæ, Philoſophiæ domeſticam. Equè ſerenus perhibetur, quùm filiam tollit, quàm quùm genuit, Amorem vitricum cernens, non patrem. Fundit imperturbatus ipſum, quem dederat filiæ, ſanguinem, labes dedecoris vt abluat calente balneo. Ferit amaſium in amaſia, tyrannum in filia, corruptorem in virguncula. Eripit ſpiritum natæ, ſimul extinguens proco libidinem, ferali eo ferro efarat ſibi vindicatæ gloriam dignitatis, contractæ Claudio notam turpitudinis ſempiternam. Hæc planè monſtra dicetis, Auditores, ſiue vnius impotentiam ſpectetis, ſiue alterius fortitudinem: quemadmodum & inter amoris delicias fractus animus cruciamentis pateat, & inter cruciamenta doloris infractus experiatur delicias. Sed lubet arcana quædam proferre illius Artis, quæ rerum tam admirabilium theſaurus eſt, vt opes mihi aliquas ſolertiſſima veſtra ope, Auditores, depromam.

GRATIÆ.

Docet Philoſophia in affectibus modum. Ego vero bona cum venia Philoſophiæ, cui memet emancipatiſſimum profiteor, nolo grati animi modum in vos, Auditores, qui humanitatem in me veſtram terminis nullis clauſam præbuiſtis.

PHILO-

PHILOSOPHIA GENERATIM.

DEbuit Aristoteles ingenium suum Naturæ, tanto præ cœteris ab ea donatus, ne aut malè operam suam ipsa locasse, aut hic degenerasse in immane monstrum videretur. Sed nusquam meo iudicio ita frugi extitit Philosophus noster erga communem parentem, aut luculentiùs probatum fecit acumen ingenij sui, quàm, cùm animantia quæque minima pretium esse voluit humanæ indaginis, *libro primo de partibus animalium*. Accipite vos quasi oraculum, Auditores. *Quamobrem*, dicens, *viliorum animalium disputationem, perpensionemque fastidio puerili quodam spreuisse, molestèque tulisse dignum nequaquam est; cùm nulla res sit Naturæ, in qua non mirandum aliquid inditum habeatur. Et quod Heraclitum dixisse ferunt ad eos, qui, cùm alioqui eum vellent, quòd forte in casa furnaria quadam caloris gratia sedentem vidissent, accedere temperarunt: ingredi enim eos fidenter iussit, quoniam (inquit) ne huic quidem loco Dij desunt immortales. Hoc idem in indaganda quoque Natura animantium faciendum est. Aggredi enim quæque sine vllo pudore debemus, cùm in omnibus Naturæ numen, & honestum, pulchrumque insit ingenium.* Hæc Stagyrites. Qui sanè, dum vel in minimis magnam exhibet Naturam, magnitudinem ipse ingenij sui, atque adeò iudicij ad censuram Philosophiæ nati nusquam magis ostentat; simul & fastidiosa illa ingenia pusillitatis condemnat religiosus in singulis quibuscunque cultor Naturæ. Ea mecum ipse agitans, opportunè satis prospexisse mihi Naturam existimaui, vt publicè ad disputandum proditurus coram tantis ingenijs ducta ex eiusmodi aliquo argumento præfatione certum pusillitati meæ præsidium compararem. Promptum verò adfuit vel inuito argumentum, & illud è Cælo nuper oblatum. Aëreum Cælum mihi volo, Auditores, æmulum siderei hac tempestate, atque in his terris ingeniosissimum. Ad siderum quippe contentionem innumerandum agmen produxit illarum volucrum, quas nisi appellandi culices obtinuisset vsus, iustiùs ego harpyias dixerim, adeò mihi superiore nocte quietis famelico è longa studiorum meditatione præripiebant edones apparatissimum somnum. Sed me denique ipse carpens, heus, inquam, insulsissime hominum: Siccine repellis oblatam vltro è Cælo attollendi te parumper ex humilitate tua occasionem; dum, quod Socrates ex molestia procacium vxorum, tu ex improbitate insidiantium culicum nancisceris domi, atque in tenebris, quod foris

foris atque in Sole philoſopheris? Vix ea dixeram, cùm facilis genius conciliatus eſt mihi in culices, ſalutauitque protinùs hoſpites, opportunum deprædicans, quem antè doluerat multò importunum, aduentum. Quis enim, ait, exprobret eis nocturnum errorem, quos Phœbus parens abſceſſu ſuo terram deſerturus, vigiles, atque excubitores conſtituit? Quis incuſet aculeum, quo aciem prouocant ingenij noſtri? Quis truculentam nuncupet vocem, qua ſe tibicines, ac præcones Naturæ publicant? qua indicunt vigiliam oſcitantibus, vt ad Conditoris gloriam contemplandam interdum erigant mentem; ſiquè merſos ſopore compererint, corripiunt protinùs, & conflata in telum tuba compungunt. Neſciunt autem ſtatiua, adeò inſiſtunt operi, ſed quaſi velitaris cohors hic, illic, vt res tulerit, præſto ſunt. Nequaquam ergo hoſtiliter non feriunt, ſed amicè, quia ſapientiæ amantes, hoc eſt philoſophos eſſe iubent: ſed ardenter, vt qui conſanguinitatem nobiſcum ambiunt candidati quidem, ſed mox purpurati. Quapropter quid eſt, cur mediter triſtis vindictam in Culices? Quid, cur ſibilum eorum meis querelis, errorem fremitu, aculeum diris, ictus pulſibus, pertinaciam intenta nece inſecter? Sed attollere tu magis ad philoſophandum: Dabit vnus culex materiam, & eam cum fœnore, dummodo ipſi vitam ſerues immemor prætentæ moleſtiæ, memor officij. Ecquid portento ſimilius, quàm in corpuſculo minimo tam grande concludi Naturæ magiſterium? In magnis quidem beluarum corporibus operoſæ Naturæ panditur ſpectaculo ſequaci theatrum: In hiſce autem pene nullis idem profectò ſpectaculum eſt, ac miraculum. Quis enim vnquam fabricauit Dædalus horologium iu tantulo ſpatio? Hoc ſi quando daretur, nonnè mentes mortalium admiratione compleret, quòd in mole nullius viſus, tot tamen viſerent collectas rotas, denticulationes, lamellas motus, & frenum, & ſpiritum, & malleum, & tintinnabulum? Neque verò pars minima eorum, quæ culex complectitur, horologij ſinu continetur. An non illum conſtare ſimul dices carne, pelle, oſſibus, venis, ſanguine, neruis, cartilagine, membris? Si quidem videt, audit, comedit, olfacit, mordet, graditur; quidni oculos, aures, os, nares, dentes, pedes, crura diſtinguat? Quòd cibum perficit, vtrique ſtomacho inſtructus arguitur; Quod ſanguinem generat, iecore; Quid reſpirat, pulmone; Quòd viuit, corde. Inteſtina, neceſſe eſt, habeat, quò congerat ſuperuacua, Ventrem cauum, quo inteſtina condantur; Caput, quo ſeruet cerebrum; Palatum, quo cibus ſapiat; linguam, qua vocaliſſimum illum efformet

efformet sonum; Membrorum item reliqua, quando eadem cum reliquis animantibus munia vitæ exercet. Sed attonitam plane facit Philosophiam ille ferientis stimulus: nec sibi ipsa credit, quod non solum visu probat, sed tactu quoque, & eo enormi, neque dissimulando: quemadmodum tenuior capillo, atque inualidior duritiem tergoris expugnet: quemadmodum & subtiliter traijcere, & largè simul ebibere sanguinem valeat, vt neque summæ exilitati vsus fistulæ obsistat, neque vsui fistulæ summa exilitas. Iam ergo non mirari Naturam non potes, quod eius ingenio plusculum nihilo animal tam multa in se se membra perstringat. Nam partes ita exiles quo laboratæ sunt ferramento? quàm agilis manus, quàm solers ingenium artificis tam modica in mole tantam instrumentorum copiam digerentis? Verùm præfationis gratia datum est Culici satis. Demus maius aliquid disputationi, quæ multiplici vestræ eruditioni ampliorem campum exposcit.

GRATIÆ.

PRæliantem Culicem hodierna disputatio retulisse videtur, Humanissimi Viri. Ego certè, vt gratias ago quam plurimas, quia plurimum habui, quem exugerem ex vobis, sanguinem sapientiæ: ita, quia malè aculeato ingenio meo molestiam peperi, etiam atque etiam, vt ignoscatis, rogo.

PHILOSOPHIA VEL THEOLOGIA.

MInùs bene sapere videntur mihi (Viri Cordatissimi) qui Sapientiæ sacris hoc sæculo initiati, priscorum temporum Philosophos tamquam insipientia notatissimos ne legere quidem, aut obiter delibare audent sine religione, ac piaculi conscientia; vt propterea illorum non tam errores conspicuos, atque intolerandos, quàm codices ipsos, syllabas, apices auersis oculis cauendos, condemnandosque putent. Ego verò lectionem eorum, atque vsum non mediocriter conferre dixerim ad Sapientiam: si tamen pictores imitatus, ad eam, quam molior, imaginem viuis coloribus, natiuis luminibus referendam, vmbras potiùs congesfero, & eas quàm maximè densas, quo illa viuidiùs, & clariùs obiectu ipso aduersarij exprimantur. Atque vt pauca ex innumeris producam, quisnam Philosophorum veterum Zenone densiores errorum vmbras protendit? At vndenam meliùs eluxit Sapientiæ lumen? Inter hominis vitia, inter morbos animi reposuerat Zeno Misericordiam, Videte cæcitatem, nedum vmbram

Philo-

Philoſophi. Quis autem veſtrum, Mortales, huius Magiſtri ri-ctum æquis oculis ferat? Scilicet Hominem ad apicem felicitatis per Sapientiæ callem profeſſus deducere, de gradu ipſo humanitatis pulſum videtur inter pecudes miſerrimè abieciſſe. An verò arctiorem nexum proſpicere Natura poterat, quo genus noſtrum tam ſecerneretur à brutis, quàm ſecum ipſum cohærens congruente dignitati ſuæ vita ſeruaretur? Eſt enim homo (quis neget?) ſocietatis cùm primis amantiſſimus; natus non ſibi tantùm, ſed alijs; in communi bono priuatum intendens; ad ciuilitatem factus, ad officium pronus; vt, ſi ad alterius hominis aſpectum efferari iuſſeris more cœterarum animantium, quarum natura ſoliuaga eſt; nonnè ipſum humanitate poſita beluinam immanitatem induere compuleris? At, inquies, Miſericordia puſilli animi vitium eſt, ad aſpectum alienorum malorum ſuccidentis. Eam anus, & mulierculæ, eam quiſquis effæminato, ac molli animo vir familiarem habent: vt vel nocentiſſimorum lachrymis moueantur: vt, ſi poteſtas fieret, damnatos eriperent laqueo, vinctis effringerent manicas, & compedes, carcerem panderent, impunita ſcelera, conculcata iura relinquentes. Non ita vir ſapiens, qui ſolus (inquis) beatus viuit, eandem ſemper faciem ſeruat, os idem ſemper, ſerenum, & inconcuſſum; tantùm ideò tenax iuſti, quantùm à miſericordia, quæ vtique miſerum facit, alienus. Is ergo tibi vir ſapiens? rigens, inexoratus, inhumanus? Nonnè ſi Beatum delineas, etiam Deo immortali quàm ſimillimum reddi oportet, Deo inquam ad miſericordiam paratiſſimo, ad condonandum facillimo, ad ſubleuandum miſeros, ad beandos ita expedito, vt ſe tùm maximè Deum oſtentet, cùm maxima in hoc genere exhibet pientiſſimæ facilitatis exempla, vobis ipſis Ethnicis perſpecta, prædicata? Debuerit, Auditores, huius argumenti radio diſcuti vmbra tam tetri erroris: verùm Ægyptiacis craſſior tenebris adhuc obtinet: *Succurret*, inquit, *Sapiens alienis lachrymis, non accedet: dabit manum naufrago, exuli hoſpitium, egenti ſtipem, non hanc contumelioſam, qua pars maior horum, qui ſe miſericordes videri volunt, abijcit & faſtidit, quos adiuuat, contingique ab his timet; ſed vt homo homini ex communi dabit. Donabit lachrymis maternis filium, & catenas ſolui iubebit, & ludo eximet, & cadauer etiam noxium ſepeliet. At faciet iſta tranquilla mente, vultu ſuo. Ergo non miſerebitur ſapiens, ſed ſuccurret, ſed proderit.* Hæc à Zenone ſtans ſummus Philoſophus, vmbras illius illuſtrare ſe poſſe putans. Sed niſi retractet penitus, & ſubmoueat, nonne in lumine cor-

pu s vmbram facit? Certè ita redditur obſcurus Zeno, vt idæam ſapientis, quam nulli hominum exprimere in ſe liceat, confinxiſſe videatur. Quòd enim illi miſericordiam negat, effecta verò ipſius attribuit omnia, plus eſt profectò, quàm vt homo viribus Naturæ integris fultus perficere poſſit. Indigetam faciat, oportet, mortalitati penitùs exemptum; cæterum optandum hic nobis dicerem ego magis, quàm ſperandum, niſi, quod vni Numini beatiſſimo peculiare ac natiuum defert ſacroſancta Chriſtianorum Theologia, id nos in hac vità lege fatali miſeros optare, dementiſſimæ foret audaciæ: Me verò iuuat eſſe hominem, ne in immanem degenerem beluam. Ac nunc quidem, vti philoſophum decet, humanitatem in ipſum Zenonem præſto: Miſereorque ſummoperè eius, alioqui ingenij præcellentis, inſcitiæ. Vtinam re quoque propoſitum animi in inſcitia obſtinatum expugnem. Reliquum iam eſt, vt dilabentibus priſcorum errorum vmbris ad lucem veritatis diſputatione publica intendamus obtutum.

GRATIÆ.

INſcitiæ vmbra ſapientum veterum conſpectum noſtris ſapientiæ veræ lumen magis commendat. Sic humanitatis veſtræ ſingularis meritum, Auditores, ſilentij mei vmbra, quàm agendarum gratiarum luminibus, clarius elucefcet.

ALITER.

HAbeo gratias fato meo, quòd in luce ſapientiæ veſtræ incomparabilis vmbram humanitatis quæſiuit obſcuro ingenio meo longè gratiſſimam.

ALITER.

OBtuli nunc vobis, Humaniſſimi Viri, quam inopiæ meæ impenderetis, miſericordiæ ſegetem copioſam. Vos mihi alteram tantam ſegetem gratiarum. Quas, quia referendo non ſum, agenti certè quàm maximas poſſum, eodem, ſpero miſericordiæ ſenſu condonabitis.

PHILOSOPHIA VEL THEOLOGIA GENERATIM.

PLatonis indigna Platone vox, & vulgi plauſibus quàm veſtris dignior (Prudentiſſimi ingeniorum arbitri) viſa mihi ſemper illa fuit, quùm agere ſe gratias Naturæ diceret, quinque ijs auctus beneficijs: Quòd natus homo eſſet potiùs, quàm bru-

tum animal: quòd maſculus, quàm fœmina: quòd Græcus, quàm Barbarus: quòd Athenienſis ciuis, quòd Socratis demum temporibus. Id ego, Auditores, cauillanti excidiſſe, ad ſummum imprudenti libentiùs crediderim, quàm vt tantum caput inſcitiæ, ineptiæuè condemnem. Ecquid, obſecro, homo ſciolus, aut agirta circumforaneus captandæ ieiunæ plebeculæ ſtudioſus, fabularumque diuenditor effutiſſet inanius, ac delirius? Quaſi verò (vt hinc ipſe ſuſcipiam) ſi vel barbarus, vel mulier, vel (bona cum venia) ſi aſinus natus foret, idem ipſe denique Plato foret, an non ipſum idem quod natum fuiſſet. Horum quippe alterutrum: aut Philoſophi perſonam iſta dicendo ſepoſuit, qui ſenſum vulgi inſulſiſſimum prompſit: aut certè Pythagoreum ſomnium probauit: quem quidem Pythagoram ſcimus, vt homines ab eſu animalium prohiberet, euulgaſſe, elapſas corporibus animas in aliorum corpora animalium commeare. Cùm hoc itaque ſomniare viſus eſt Plato, potuiſſe fieri, vt, quæ tùm temporis informaret Platonem anima, in mutum aliquod animal degenerante ſorte includeretur; eſſetque nihilominùs humano ſenſu prædita, benè vt eo intelligeret, doleretque, indecora onerari ſe corporis mole. Quanto feciſſet perſonæ ſuæ congruentiùs Plato, ſi Naturæ gratias profeſſus fuiſſet, quòd ingenium ſibi tribuiſſet inter homines Diuinum, quòd miram ad virtutes omnes indolem, quòd ea congeſſiſſet humana præſidia, eas opes fortunæ, quibus liberaliter erudiri, & tantæ expectationi reſpondere cumulatiſſimè potuiſſet? Hæc enim verò gratias noſtras merentur, quinimò extorquent. Nam quòd Athenas habuerit patriam, videtur neſcio quid è triuio redolere, atque à Platonico ſpiritu nimis alienum. Quid enim intereſt tua, vtrùm hoc, Vel illo ſub Cœlo vſuram auræ acceperis; dum ſortem eandem ſubeas, idem tibi fortunæ fauor aſpiret? Quaſi Ithacam exoſus eſſet Vlyſſes, cuius Regno potiebatur: quaſi non ſtagyræ ſuæ Ariſtoteles, & Arpino Tullius, & Ataci Terentius Varro, & Aquino Iuuenalis, & Priæne Bias, & alijs alij obſcuris locis clariſſimi viri ſplendidiùs duxerint, contuliſſe ſe Patriæ, non accepiſſe ſplendorem. Quid? Athenis nati, ac temporibus Socratis milleni hominum multi extitere (dubium non eſt) indocti ij, atque inſani. Non enim vt Cæli clementia ingenium; ſic ſoli conditio, & celebritas loci, in quo quiſque effuſus ex vtero eſt, conciliat homini ſapientiam. Aliquid refert (opinor) incidiſſe in Socratis tempora, ætatem illam auream ſortitum fuiſſe, oraculum ſapientiæ proprijs auribus ebibiſſe, percepiſſe eius vo-

cis fonitum, attendiſſe Philoſophantem, diſputanti adfuiſſe vel longi pretio itineris, atque emenſis ab vno ad alterum polum terris, ac maribus. Verumtamen non omnibus patet eiuſdem Solis aſpectus, qui omnibus oritur: quando Cymmerijs ignoratur, vt propterea Sapientia Socratica beari debuerint contemporanei? Sed quos tu beatiſſimos putauiſſes Alcibiadem, & Critiam Socratis ipſius auditores aſſiduos, ac multò ſtudioſiſſimos, nonne vidimus alterum patriæ hoſtem acerrimum extitiſſe, alterum Tyrannorum omnium crudeliſſimum? Vtinam non eos ad malas artes expedierit diſciplina Socratica, aſtutiores ex cognitione rerum vbere effectos, & cote diſputationum ferociùs exacutos. Saniùs vſurpare mihi fas eſt hodierna die; maximas me habere gratias Naturæ ſummo Auctori; quòd ego, qualis qualis ſum, hoc potiſſimè ſæculum videam, fortunæ licet iniquitate vexatum, gloria tamen veſtra ſerenum, feliciſſimumque (Viri ſapientiſſimi) qui & præſentes mortalium animatæ vocis oraculis, & abſentes erudito famæ ſonitu rapitis in beatitatem. Quamquam ſi alibi iniquiùs agit fortuna, hic certè multò clementiùs, ſeſeque gratiore vice compenſat, Te vnum nobis largita (N.N. *) & curſu valetudinis ſecundo ad hanc vſque ætatem in rei literariæ gratiam proſequuta (* *Hic erit excurrendi campus in laudes vel Doctoris, vel eius, cui Theſes dicantur, à quo ſanioris doctrinæ præcepta, & integerrimæ ſimul vitæ exempla hauriuntur, &c.*) Felix igitur ego coëuus veſter, Auditores, ſed adhuc felicior cliens, ſi Philoſophicas (*vel Theologicas*) theſes publicæ diſputationi proponens, non tam Iudices vos eruditionis meæ, quàm patronos inſcitiæ ac imbecillitatis experiar.

GRATIÆ.

ACcuſaui Platonem agentem temerè Naturæ gratias. Ego verò ne accuſer ineptè vobis agere, ab ipſis abſtinebo gratijs, quas quidem beneficij veſtri magnitudini non niſi impares agere mihi licet.

PHILOSOPHIA VEL THEOLOGIA.

VIndico vel generi hominum Sapientiam, vel ipſam ſibi à calumnia notiſſima per ſummum alioqui ſtudioſum ipſius, atque adeò patronum irrogata. Hic ille eſt Platonis imitator nobilis, & eloquentium Romanorum princeps, in eam aliquando ſententiam progreſſus, vt Philoſophiam minimè eſſe vulga-

rem

rem statuerit; propterea quòd non nisi docti viri assequi eam possint. *Est*, inquit, *Philosophia paucis contenta iudicibus, multitudinem consultò ipsa fugiens*. Praeclarum sanè dicterium, & dignum Tullio. At mihi, Auditores, vox illa *CONSVLTO*, quia imprudenter (credo) ingesta, scrupulum facit quàm molestissimum: cùm neque me fugiat, eundem ipsum Auctorem in libris Officiorum consentire cum Graecis, nihil vt sit aliud Philosophia, praeterquàm studium Sapientiae, ipsa verò Sapientia nihil, praeterquàm humanarum, ac Diuinarum rerum scientia. Vtrumnè venditet hoc fastidiosam sapientiam, quae selecta solùm ingenia dignetur: An infelix oppidò genus hominum ad ludibrium ignorantiae ferè proiectum: auaram ideò Naturam, & eius Auctorem (horrescunt aures) barbarum, ac iniquum, qui caeteris optimè instructis animantibus vnum omnium Principem ita luserit? Ego igitur sic statuo; Naturam hominum, quia mente Diuinitùs praedita sapientiae capax est, nullum planè ab ipsius consecutione sexum, conditionem, officium, excludere: vt nec foeminas, nec fabros, nec rusticos, nec, si qui alij formam hominis gerant, à communi hoc dono secretos velit. Quasi verò Mysterium Philosophiae barba solùm celebretur, & pallio. Admittit profectò, nisi vel necessitas prohibeat vel voluntas; admittit (dico) & pallam, & penulam, & sagum: admittit colum, serram, aratrum, malleum, plectrum. An verò Stoicos ignoramus, & seruis & mulieribus philosophandum esse dixisse? An non Epicurum audimus rudes omnium literarum ad Philosophiam inuitare? An fugit Platonis commentum, componendam esse de Sapientibus ciuitatem? At (dixerit Tullius) quàm multa proludant, oportet, ad Sapientiam? Quàm multa eluctanda incidunt, quae paucis hominum vix conceduntur? Primùm enim exigitur literalis apparatus, vt, quando non omnia contingit acroamaticè discere ob desiderium saepe Doctorum, in tanta praesertim rerum sciendarum varietate; succedant auribus oculi, & ex notitia communium literarum Doctores ab omni aetate, atque ori tibi conquiras. Itaque non Latinè modò consultus esse debes, sed Graecè quoque, & Arabicè, vt Philosophiae fontes ipsos deprehendas. Deinde vt haec tibi vsui sint idiomata, recta loquendi ratio adhibenda. Grammaticae ergo ampliùs studendum; Sed & Rhetoricae, vt non loqui solùm, sed quae didiceris cùm labore, eloqui pro dignitate possis. Ad haec haurienda Geometria, noscenda Musice, tenenda Astrologia: habent enim hae disciplinae quandam cum Philosophia

cogna-

cognationem. Atque hæc omnia ante Philosophiam ipsam, nedum ante Sapientiam, ad quàm illa aditum parat. Id verò totum negotium quanto cum impendio temporis, per quàm malè auguramus in ipsis rudimentis grammaticis, in quibus apud ludimagistros, vel imperitos, vel certè ambitiosos totam nos plerumque cum pueritia adolescentiam absumimus. Rudes ergo Epicurus admiserit: quo modo, cedo, illa, quæ inter Philosophos tam acriter disputantur de Natura, de Principijs, de atomis, siue punctis in quantitate, siue instantibus in tempore, aliaque id generis intelligent ij tam perplexa, & inuoluta, vt vix etiam eruditi homines assequantur? Tu nè ad res obscuritate implicitas, ingeniorum varietate confusas, eloquentium hominum sermone exquisito fucatas existimes imperito & rudi aditum esse posse? At erudiri eos omnes antè nemo prohibet. Imò, si Deo placet, prohibent multa. Nam fœminis quidem intra pubertatem, cum in vestibulo Philosophiæ, hoc est minoribus disciplinis versari oporteret, nonnè solis exceptis Principibus illa sunt ediscenda officia, quæ mox consequentibus nuptijs ad vsus domesticos, familiaremque administrationem exiguntur? Quid autem Serui. Nonnè per eos annos maximè exercendum seruitium, per quos & promptiores spiritus, & viuidius ingenium, & obsequentiorem memoriam habent ad literas? An fortè pauperibus; aut fabris, aut rusticis vacabit, vt mentem doctrinis excolant, quibus nempè colluctandum cum fame est, & manibus quæritandus victus in diem? Ob hanc itaque causam; si abhorrere sentit Tullius à multitudine Philosophiam, ego non tantùm do manus, sed & pedibus venio in eius sententiam. Verùm enimuerò non fugiet ipsa *consultò* multitudinem, quàm inuita, quàm fame, ac fato coacta fugit, furtiuè quandoque reuersura, vt largiore sui copia erga paucos iacturam compenset reliquæ multitudinis. Quis namque vnus virorum philosophari visus est altiùs Themiste fœmina? Quis amœniùs Sappho? Quis autem vtiliùs Phædone, aut Æsopo mancipijs? Quorum alterum Cebes edocuit, alterum sola Naturæ solertia? Quis magnificentiùs Anacharsi, quem inter Scytharum barbariem educatum excepit Græcia doctrinis suis imbuendum? Ac ne plures attexam, liceat memet vnum pro recenti exemplo vobis proferre: Hominem videlicet adolescentem è multitudine, ac planè numerum, caput gregarium, nullis opibus ingenij, nullis præsidijs literaturæ instructum; varijs quoque fortunæ periculis exercitum, Diuino tamen munere, & tuo (Præceptor Sapientissime) magisterio;

rio; & vestro (Sodales egregij) incitamento ad hanc quantam quantam Sapientiæ notitiam perductum. Sed præstat discussis thesibus, quàm iactatis verbis id ipsum experiri; si vester item fauor, Humanissimi Auditores, adfuerit.

GRATIÆ.

VTrumnè ego vix vnus è multitudine, aliquid tamen Sapientiæ contra Tullij opinionem hauserim, vestrum est (Auditores Prudentissimi) iudicare. Meum interim est meditari, Vtrumnè vobis referre gratias possim, qui ne agere quidem valeo humanitati in me vestræ pares.

PHILOSOPHIA VEL THEOLOGIA MORALIS.

Item Ius Ciuile.

ELegantiam ingenij sui Natura in animantibus; neque aquam in vnius hominis opificio, sed & brutorum sua cuiusque specie, structura, conditione planè admirabilem, sibique sibi similem commonstrat. Habet vnumquodque animantium spectabilitatem suam dignam oculis philosophantium. Illa ipsa, quæ ad terrorem, exitiumque nata videntur, si contemplemur per partes; si membrorum dispositionem, proportionem, concentum obseruemus; nihil illis ad vitam perfectius, nihil formosius ad aspectum ne mente quidem concipi posse nanciscimur. In hac tamen pompa elegantiæ non desunt animata monstra, soli nata horrori, ac soli exitio; quorum torua deformitate, ac truculento aspectu, Naturæ vtique subtrahuntur operibus. Vt enim illa ingenium habent parentem, sic ista peccatum: nata (credo) consilio Conditoris occulto, vt quando omnia ex nihilo constitere; ita in nihilum, quod est peccati germanum, recurrere suopte pondere doceret. Id ipsum, quod in brutis, & in homine vsu venit, cuius ingenium æmulandæ veriùs Naturæ, quàm imitandæ natum est. Platonem vnum testem, immò reum citabo, Quale verò eius ingenium, Auditores? quàm illud acutum, quàm amœnum? quàm multiplex? Humano maius dixisse minus est, nisi Diuinum dicatis. Citra religionem hoc dictum, nam omnis vobiscum ætas consentit. Quæ igitur ingenij elegantia cum eo adæquanda? Natura maior Plato, quia Diuinus, nihil monstri, creditis, ex se se proferet? Monstrosius certè nihil, quàm quod modò per transennam spectandum

dum subijciam. Adeste vos non spectatores magis, quàm auditores; oculati, auriti testes, & monstri fœditatem vna mecum horrete. Is normam iustitiæ daturus, cùm eius vim animaduerteret in æquitate consistere; quandoquidem omnes homines pari conditione nascuntur: *nihil*, inquit, *priuati ac proprij habeant, necesse est; sed vt pares esse possint, id quod iustitiæ ratio postulat, omnia in commune possideant*. O iniquissimum de Iustitia præceptum. O viris iustis placitum ingratissimum. Quandiù enim de pecunia hoc intelligis, perquàm elegans referre inuentum tuum potes. Sed vbi à pecunijs ad nuptias veneris, iam proferes obscœnitatis monstrum iustissimum. *Matrimonia quoque*, inquit, *communia esse debebunt*. Hoccine Plato? Plato enimuerò. Ecquis hic medius fidius non abhorreat? quis non stomachetur? Matrimonia ergo communia? Eandem vnam ad mulierem Viros multos tamquam salacissimos canes concurrere, illumque obtinere, qui viribus vicerit? aut siquo temperantiores sunt, vt Philosophi, expectare, & vicibus alternis lupanar velut obire? Ast ego indignatione posita, pugnæ campum aperio in sola ratione, suisque met armis Platonem adorior. Vbi tu verò, inquam, repones castimoniæ virtutem? vbi fidem coniugalem? Nescio, qualem tu mihi pinxeris idæam optimæ Reipublicæ si lineam facis prostitutionem mulieribus pudicitiæ. Nescio quo pacto ad Reipublicæ Regnum admoueas Philosophos, quum communicatis vxoribus compellis ad id Reges sapientissimos, quod ne furiosi quidem Tyranni præstiterunt. At, reclamat Plato, *Ciuitas concors erit, & mutui amoris constringetur vinculis, si omnes omnium fuerunt & Mariti, & Patres, & Vxores, & Liberi*. Speciosus verò prætextus concordiæ: An non re vera scopulus discordiarum fœdissimus? Quid? Concordabunt annuente lege in vnam vxorem multi, si modò reclamante lege ne bellis quidem ob id grauissimis, & rerum omnium præsente discrimine fœdus procorum, communionemque thalami patiuntur? Quem verò mulier (vt scitè hoc loco Lactantius) virum adamabit, nisi perpetuo cum domicilio deuota illi mens, & seruata inuicem fides indiuiduam fecerit charitatem? Hæc quidem virtus in ea promiscua voluptate locum non reperit. Quis adamabit Pater Filium, quando suum esse aut ignoret, aut dubitet? siquidem nihil non certum amari potest. Quis Patri honorem habebit Filius, qui, quo sit natus, ignoret? Vt non tantùm alienum pro Patre reputet, quam pro alieno Patrem? Sed sunto adoptante vsu omnia communia: Certè quod de vxoribus

Plato-

Platonica lex probaret, prohiberet reclamans ipsa Natura, quæ non nisi ex vno concipi filium iussit, vt vnius in pectore certum efficeret illius educandi, formandi, fortunandique studium. Quæ etiam præcauere voluit hominibus matrimoniorum monstra, lege lata volucribus, vt omnes penè facerent matrimonia, vt paria iungerent, vt nidos suos tamquam genitales toros concordi mente defenderent, vt fœtus suos, quia certi sint, adamarent; vtque si alieni obijciantur, abigerent. Quod ergo monstrum tetrius, quod immanius, quàm quod Naturæ clamores explodit? quod titulo iustitiæ iustitiam ipsam peruertit, Castitatem abrogat, fidem tollit, pudicitiam euertit, charitatem impugnat, pietatem proscribit, concordiam abiurat? quod fœminas prostitutas facit, mares nepotes, vtrumque sexum libidinibus corruptum, humana officia peruersa, permixta, perdita? Et hoc Plato: Et id monstrum, ingenium Platonis: Homo Diuinus habitus rem istam detestandam. Verùm hactenùs monstra. Proferantur iam, Viri Sapientissimi, ex (*sacræ Theologiæ, vel*) Philosophiæ gaza, quæ vestro digniora sint aspectu, quæque auditu gratiora, vt, dum per vos contra me disputantur, illustriora fiant benè formandis ingenijs documenta.

GRATIÆ.

MOnstrum edidit Plato, licentior fortè, ac profusior in disserendo. Ego, ne monstrum faciam profusus in gratijs erga beneficium vestrum, Auditores, grato eas silentio compensabo.

THEOLOGIA GENERATIM.

Cum formula laudationis pro Dedicatione Thesium.

SAcram Theologiam inter alia schemata, quibus Diuina eius præcellentia adumbrari posse videtur, non ineptè Olympi appellatione donauerim, Illustrissime Præsul, Ornatissimi Auditores. Hic ex omnibus Orbis terræ montibus longè editissimus ita insanè attollit iugum, vt & nubila transgrediatur, & sidereis plagis (audaciùs dicam, an feliciùs?) vltrò se se ingerens suum cum Cælo nomen ex poëtarum lepore communicet. Licet hic tutiùs & amæniùs, quàm in cæruleo Pindi vertice, aut bijugi Parnassi virore diuersari. Hic sonantes molliùs fontes per decliue præcipites audire. Hic subducere se longiùs ab omni rerum

humanarum intempestiuo strepitu. Hic latiùs ac lætiùs discursare, haurire sensibus totis clementiores auras, & oculos quaquauersùm in patentissimos Cæli campos circumferre. Quod autem spirantius Theologiæ nostræ simulacrum? quæ species viuidior? Proprium quippè est, ac natiuum ingenuæ cuiusque disciplinæ, vt subuectum hominem ex humili naturæ animantis, per quam cum brutis reptat, excitet in sublime quasi editi montis cacumen. Sed enim inter hos montes, nullus eminentior suspicitur Theologia. Ipsa Philosophiæ summum verticem, humilius ceu planum dedignata consurgit audacior, neque antè desistit, quàm limites Naturæ tentans in Cælum vsque pertingat. Anne aliud eius ipsum nomen præsefert, quàm non dico Cælos, sed Cælorum Architectum, ac Molitorem maximum Deum? Itaque non modò procreationem Vniuersi citra vllam caliginis suspicionem nobis deuelat; sed Stellas præterea, ideſt Angelos, vt vulgus nominat (quando vtriusque vocis Græcè concordat Ethymon) nobilioris naturæ luce conspicuos obiectat; & si qua adhuc arcanorum miracula in immortali Deo, velut in Cælo radiantes astris imagines effulgent, humano proponit obtutui. Verùm & iacentes deorsum Terras, rerum corporatarum species, & earum Principis Hominis conditionem, vti conditus fuit, vti labe corruptus, vti seruatus à Christo Deo, vti cælestibus præsidijs Sacramentorum in Cælum excitatus, atque traductus, oculis pene subijcit concernendas. Quàm verò suauis inibi aura ebibitur? quàm iucundè animus pascitur? quàm feliciter mentis oculus recreatur? Hæc me felicitas hodierna luce prouocat, Auditores. Si tamen, vt olim penes antiquos, grauiora negocia non nisi auspicato gerebantur; Sic ego ad Diuinarum meditationem tuum in primis auspicium, Illustrissime Præsul, demeruero. Eius autem auspicium, in quo cum sacra dignitate dignitas congreditur gentis, cum dignitate gentis priuata virtutis insignia gloriosè certant. Ecquis istius Gentis claritatem ignorat, qui non ipsum ignorare Solem arguatur? Vsque adeò historias occupauit hoc nomen, vt nec illas euoluere liceat, quin passim egregium aliquod gentilium istorum occurrat facinus: nec istorum facinora colligere, quin totas exhaurire, atque emedullare historias necesse sit. Nam si Bellica exquiramus, quàm multi celeberrimi Duces, atque Imperatores è stirpe isto prodeunt? Si Ciuilia, quàm multi Senatoria Purpura, Dictatorijs fascibus insignes? Si Sacra, quàm multi Infulati Sacerdotes? Purpurati quàm multi? Si denique Literaria, Vbinam

nam crebrior laurea ? Vbi sapientiora consilia ? Vnde merita in publicam rem , in priuatam ampliora ? Compendio argumentum absoluam (non enim hic esse debet laudationis illius campus, cui vix sufficiunt historiarum amplissima spacia) Olympus alter est familia tua , Vir Illustrissime , tantò nobilioribus cæteris florentior , quanto eminentior meritorum cumulo . Sed iam Olympi Theologici nos vrget ascensio . Vos , Viri sapientissimi , tanto Præsule auspice , vnà mecum subite valenter iugum : nec pigeat Ducem itineris Disputationem attentione magis , quàm contentione sectari .

GRATIÆ.

VEreor , ne patientiam vestram non parùm fatigauerim (Illustrissime Præsul , Viri Auditores) per deuia vos , & aspera Olympi nostri deducens . Sed fortia & magnanima pectora speciositate rerum beari , non frangi difficultate solent . Quòd ergo non detrectastis ad nutus meos montem scandere , Mentem ego vobis , idest cumulum gratiarum exaggero .

ALITER.

EXtulistis & vos Olympum vestrum , tàm facilis audientiæ accumulato merito (Illustrissime Præsul , Magnanimi Auditores) . Sed si nubila mons iste fugit cacumine , & flatuum , tempestatumque regionem ; iam sonitum mihi omnem , & strepitum præcluditis compositæ orationis ad gratias .

ALITER.

OLympum montem mea gratia subistis (N. N.) cuius tollitur vertex in Cælum ; Vestræ id humanitatis experimentum , dignæ , quæ gratijs , & laudibus per me tollatur in Cælum .

THEOLOGIA VEL PHILOSOPHIA GENERATIM.

REplicanti mihi veterum Philosophorum memoriam , quasque consignatas literis transmisere ad posteros sudatas commentationes , non satis succurrit , vtrumnè sint admiratione , an risu potiùs prosequenda quorumdam placita , qui eam ipsam , quàm profitentur rerum scientiam , suomet sensu , atque assertione confutant . Mirandum cum primis videtur somniasse tanta capita nescio quàm Fortunæ Deitatem , eique non tam Optimæ , vt Numen decebat , quàm pessimæ titulum attribuisse ; Tali scilicet Numini , quod varijs pertextis casibus , secundis , aduersis ,

Bonami

humanas res impotentissimè regere credebatur. Huc allusisse constat Romanum Platonem, cùm Ciceronem filium ex Philosophiæ præceptis instituere aggressus, *magnam*, inquit, *esse fortunæ vim in vtramque partem quis nescit? nam & cùm prospero statu eius vtimur, ad exitus peruenimus optatos: & cùm reflauerit, affligimur*. Hæc tantus Vir ex vulgi simul, & Sapientum sententia. Apud quos tam benè, quàm malè audire vtrùm cadere in Diuinitatem possit, ipsi expenderint prisci Philosophi: At eorum quidem mortalium, qui prospero Deo flatu vtebantur quam inuidenda cæteris conditio? quàm verò sibi prompta, & alacris in quodcunque discrimen procursio? Vnus fauor Fortunæ iusta erat digladiandi causa, vnus instar omnium armorum. Ad grauiora quæque Martis pericula, ad feruidiora prælia, ad præcipitatiora consilia, contra truculentiorem hostem, contra intentas hastarum syluas inter missilium nimbos, densatasque glandium tempestates satis tutò se protegi vnius fortunæ præsentia persuasum habebant. Iam siquis officio ductus amicum aduersis casibus iactatum solari, inter ærumnas valetudiuis, egestatis, orbitatis iacentem erigere institueret, confugere protinùs ad quærelas, ad diras contra Fortunam, ab his ordiri, ex his texere ductu perpetuo consolatorium sermonem, hanc vnam officij formulam nosse, hunc vnum eruendæ materiæ, quem peterent, communem locum habere. Quid plura? Illi ipsi sapientes, quibus propositum in animo erat, fortunam ire neglectum, Virtutem vnam habere pensi, nullam de Virtute disputationem inibant, in qua non maximè Fortunam vexantes, eius proscindendo nomini bonam partem disputationis impenderent. Hæc enimuerò, Auditores, admirabilia esse quit neget? Illud autem ridendum, quod vanissima ista religione cùm facilè imperitum, ac mobile vulgus imbuissent Philosophi, vt Fortunam Deam colerent in muliebri forma, ipsi in re stulta atque inter homines stultos, vt eminerent sapientes, immutato sexu nequaquam Deam, sed Deum afferebant. Quid, quòd captum hunc Deum oculis voluerunt? Ridendum certè, si quod aliud deuoti Libero capitis deliramentum; vt quem Deum ex Græco Θεῖν, quasi videntem sapientissimè dicebant veteres, eundem isti oculatum simul ac cæcum dictitarent, prudentem, ac temerarium; prospicientem futurà; præsentia non cauentem. Quod sibi hoc volunt insani, si sanè loquantur, nisi vt noua prætenta religione omnem funditùs religionem expugnent, ac Deo proposito plus irrogent contumeliæ, quàm excogitare cultus possint? Quid enim

enim tendunt voces Tullij in sua consolatione, & cum ijs concordes passim aliorum sibi similium Philosophorum? Ibi *pugnasse se semper contra fortunam*, loquitur, *eamque ab se esse superatam, cùm fortiter inimicorum impetus retudisset: nec tùm quidem se ab ea fractum, cùm domo pulsus patriâ caruit: Tùm autem cùm amiserit carissimam filiam, victum se à fortunâ* (& quidem turpiter) confitetur: *Cedo*, inquiens; *En manum tollo*. Credo, negocium cum Numine habere se putabat tanquam cum homine aut cum bestia, vt circumuenire armis posset, vt congredi prælio, vt sternere faciliùs quàm sterni, imbecilliore hominibus, ac segniore Deo. Hæc erat illis Maiestas Dei, hæc potentia. Sed quem suprà iniquum fecerant, quid supererat, nisi vt impotentem quoque admitterent, & ipso minorem homine, sic Optimi Maximi titulo retractato? Atque vt intelligatis, quàm bellè somniatam ijs dixerim huiusmodi Deitatem, ecce breui dilapsa ea somnia, & ipsum Fortunæ non tam Numen abrogatum, quàm nomen: Ecce suam per ipsos egregia confessione non infirmatam solùm, sed planè sublatam sententiam. Siquidem in hoc disputationis cardine multùm diùque versati ijdem Philosophi vnum denique, & eundem esse Deum Naturam statuebant, ac Fortunam; propterea quòd (inquit Cicero) *multa efficit Natura inopinata nobis propter obscuritatem, ignorationemque causarum*. Præclara verò sapientia, erudita religio, quæ lucem Diuinitatis in obscuro causarum conspicere valet: quæ docet ex humana ignoratione conflare Maiestatem Numinis: quæ Deos discit alterna persona quasi mimos in Mundi scenam proferre. Atque hùc tandem euasistis Philosophi, Religione vt velaretis ignorantiam vestram. Hùc tua, Tulli, cum Deo prælia, hùc victoriæ sæpè relatæ, hùc semel accepta clades. Superbissima verò nuncupatio, qua te tibi Deum statuis; quàm nobilis tuimet victor in casibus, quos tulisti, tàm turpiter victus in vnius filiæ iactura. Videlicet inopinata hæc tibi fuit, acerba ideò, atque intoleranda. Tuam ergo imprudentiam, tuam inscitiam, tui ingenij caliginem impete, non Fortunam, quæ tuis in rebus alia à te nulla est. Tecum ipse rem totam habes: vt, si virtute nitaris, viceris; sin verò desidia, quid, nisi succubueris? Perstrinximus satis hactenus Philosophos veteres: Nunc par est, Auditores, vt nostras quoque doctrinas etsi multò saniores, & cum verà religione coniunctas, perstringendas tamen eruditionis meæ gratia; & vestræ explicandæ sapientiæ in medium proferamus.

GRATIÆ

GRATIÆ.

FOrtunam Philosophi veteres cæcam, cæciores ipsi sibi finxere. Ego acturus, quas nequeo, gratias humanitati vestræ singulari; si mutus fingar, felicius (credo) eloquens apparebo.

THEOLOGIA GENERATIM.

PRinceps illa Vrbium, cuius plena est mentio veneratione, appellatio maiestate; Vrbs inquam ROMA, dictione inuersa AMOR, Græcè interpretata ROBVR, propterea quòd admonita geminæ formæ dominandi, in Corda, in Capita, suo sibi de nomine fecerit auspicium Sceptri in Orbem vniuersum protendendi, non est, cur tam miremur, Auditores, quàm quibus illa opibus atque artibus partum initio imperium in tanto deinceps ætatum decursu, inter tot bellorum casuumque turbines, per tot ludentis fortunæ vicissitudines firmum, inconcussum tenuerit, attentiùs obseruemus. Et quidem si rerum Romanarum seriem iam inde ab exordio ad nostra vsque tempora vnum sub aspectum collectam contemplabimur, aduertemus, ab hac nobilissima Gentium summum præsidium felicitas non alia in re, quàm in studio Religionis, & cultus sacrorum fuisse continenter positum: tametsi ritu antiquo cum temporibus deindè immutata, atque in falsi locum succedente vero, in superstitiosi religioso, in Ethnici Christiano, idque siue præsagiens hostis teterrimus nostri generis futuram aliquando eius Vrbis sanctitudinem præuertere studuerit per intrusam idololatriam, atque (si licuisset) præcludere: siue contra miserescens Deus Optimus Maximus humanam conditionem, illa potissimùm in Vrbe primam sedem Religionis sacrosanctæ destinauerit, cuius populum cura in primis Diuinorum, etsi promiscua, teneri cernebat. Quàm scitè concinit nobiscum Valerius Maximus de hoc ipso populo; *Non mirum, inquiens, si pro eo Imperio augendo, custodiendoque pertinax Deorum indulgentia semper excubuit, quòd tam scrupulosa cura paruula quoque momenta religionis examinare videtur, quia nunquam remotos ab exactissimo cultu ceremoniarum oculos habuisse nostra Ciuitas existimanda est*. Hunc igitur Romuli fœtum in ciuilem lucem recèns editum, atque inter fascias ipsas primæ institutionis iam tùm vagientem ob asperius parentis ingenium, prouidente Senatu successor Numa Pompilius excepit sanioris disciplinæ lacte nutriendum, quàm sperari fas esset ex illo, qui ex

lupa

lupa non nisi ferinos mores cum lacte suxisset. Quæ autem, & quàm multa genio religionis ipse Numa etsi ludificante Tartari genio excogitauerit, inuexerit, sanxerit, tam puto superuacaneum vobis repetere, quàm mihi arduum; vsque adeò totius antiquitatis impleuit memorias, vt nemo vnus sit, qui nesciat; Ita illius collegit admirationem, vt à recitando disertissimum quemque deterreat. Fuit autem Numæ consilium illud (vt in Ethnicismo) prudentiæ propè Cælestis, quod per artes pacis traditurus ferocissimæ genti rudimenta politicæ subiectionis id se moliri commodiùs non posse existimauit, quàm religione indu-cta, quod & præstitit institutis Sacris, præscriptis ceremonijs, Sacerdotijs ordinatis, Templis, Delubris, Fanis cum suo quoque cultu excitatis; constitutis Pontificum, Augurum, Flaminum, Saliorum, Vestalium ordinibus; inuecta Ancilium religione; Palladij retentione; ignis sacri alimento perpetuo; Fastorum obseruatione. Quæ verò exempla, imò quæ miracula pietatis, Auditores, nisi suppositítijs illis Numinibus in monstra impietatis teterrima degenerarent? Hæc autem vt vt fuerit Numæ pietas, quàm facilè Romanorum insedit pectoribus? quàm altas, firmasque egit radices? quàm bellè fundauit ad multa secula, ad articulos belli difficillimos imperium exiguis opibus constitutum? Non aliam vidit Orbis Rempublicam, Religionis tenaciorem Romana; non aliam ideò feliciorem gerendis rebus maximis, siue decerneret Senatus, siue priuati viri fortes aggrederentur: siquidem multò pluris, quàm vlla Ciuilium legum erat ijs sanctitas Sacramenti, vt qui potentiam Deorum, quos putabant immortalium longè præ omni humana reformidabant. Date mihi hanc veniam, Auditores, vt rei vobis notissimæ, semper tamen admirandæ vnum aut alterum exemplum proferam: Subeat parumper cladis illius ad Cannas Romanis copijs illatæ nunquam intermoritura memoria, cuius miserando euentu territos complures Ciuium, de deserenda Italia, deque arripienda fuga in Siciliam, Capita conferentes conuenit Scipio, & stricto ferro minitabundus adegit, vt patria se se minimè abdicaturos iurarent. Subeat, & Lucij Manlij, Titi Manlij Patris, cui cognomentum Torquato. Is à Marco Pomponio Tribuno Plebis cùm esset insimulatus, antequàm iudicij adesset dies, adiuit Titus Marcum, ac necem intentans, ni criminationem tolleret Patri, id vt præstaret, obtinuit iuramento. Ita Ciues illos, quos amor in Patriam, legumque metus haud detinuissent in Italia, detinuit iuramentum per vim extortum: Nec non etiam Tri-

bunus

bunus odium in parentem illius conceptum depoſuit, acceptam à filio iniuriam, iacturamque propriæ dignitatis præ Iuramenti obſeruantia nihili æſtimauit; quæ quidem argumenta ſunt præclariſſima eius, quàm antiquitùs Numa fundauerat, & ſpecioſis ad politiæ ſtabilimen inuentis obfirmauerat, ſuppoſitæ religionis. Hæc mecum ipſe reputans, Auditores, quàm altè erigor mente in eam ſententiam, nequaquam fieri poſſe, vt vlla vi, vlla iniuria, vllo caſu collabatur Romæ noſtræ Imperium, cui non impoſtor aliquis Numa, ſed Numen ipſum immortale, ſed æternæ veritatis oraculum ſinceræ ſtudium Religionis, ſacroſanctos ritus, maieſtatem Sacerdotij luculentiſſimis teſtimonijs indidit, ſuggeſſit, ſtabiliuit. Ac Romæ quidem Ethnicæ, ſiquando Ciues inceſſiſſet ſcrupulus neglecti alicuius ſacrorum cultus, aut prætermiſſæ ceremoniæ, illico per oracula libros, præſertim Sibyllinos conſultum ibant, quorum diligenti inſpectione modum integrandi quidquid violatum fuiſſet, doceri ſeſe putabant: Quid verò recentis, quid Chriſtianæ, ac veris de Cælo ordinatis ritibus Romæ? Nonnè obortis de Fide Diuina, de ſacroſanctis myſterijs, deque momentis Chriſtianæ diſciplinæ identidem controuerſijs, quarum ſemper aliqua inter doctos (diſponente Deo ad Eccleſiæ ſuæ formationem) feruet, oracula Theologiæ protinus adeuntur, Sacra Biblia, Sanctorum Patrum ſcripta conſuluntur; quibus & quæ credenda ſint homini Euangelico, & quæ gerenda, indubij quaſi oraculi Sibyllini reſponſis commonentur. O Theologia veræ ſacrarium religionis, O religio vera, certùm pignus Imperij ſempiterni. Theologiæ igitur quantoperè vacare; qua cura, quo ſtudio deuouere illi capita noſtra debeamus, quis noſtrum non intelligit? Ergo Theſes quaſdam de illa diſputare non piguerit, quas in medio huius ſapientiſſimi conſeſſus lubens propono.

GRATIÆ.

STudio religionis debuit Roma vetus: Debet, debebitque Roma recens, neruos Imperij, ac firmamentum. Veſtræ, Auditores, humanitati debeo ipſe hodiernæ meæ diſputationi ſuſtinendæ quaſquas vires, quodquod robur adhibui, debeboque æternùm gratus.

THEO-

THEOLOGIA GENERATIM.

QVæ sua agnoscit cunabula in sacris literis, ab illarum quoque exordio suos repetat natales, necesse est, sacra Theologia: Iam exordium illarum si quæritis, Auditores, subeat in mentem illud Mosis Scriptorum principis, atque adeò Dei ipsius immortalis per Mosen oraculum ita Genesin inchoantem (Vos venerabundi accipite, & mecum vna exactè perpendite). *In Principio*, inquit, *creauit Deus Cælum, & Terram.* Hoc verò quàm pressum numeris dictum, tàm fœtum mysterijs, ac planè miraculo plenum oraculum. Primùm itaque referri Cælo Theologiam, Terra Hominem, ne quis me audiat interpretantem, nisi apertiora Cælo, solidiora Terra proferam in medium argumenta. Ecquod est (quæso) propositum Theologis obiectum primarium, præterquàm Deus vnus, ac Trinus? Ac Cælo quidem, siue molem illam supernorum Orbium vniuersam vsurpemus cum Mose, siue præcipuos Cælorum Philosophis cognitos; quis neget accidere tria illa maximè notanda, nempè motum in orbem flexum, à quo motus omnes inferiores cùm sint, imperium repræsentat summum, attributum Patri Deo: tùm lucem nitidissimam, summæ symbolum sapientiæ, Deo filio: tandem procedentem indè calorem, summi typum amoris, Sancto flamini Deo, ex quibus Cæli qualitatibus mouentur, illustrantur, perficiuntur vniuersa? Nisi quis malit arcanum Triadis augustum in principe planetarum cognoscere, qui & medium Cæli obtinet, & Solis nomen quasi solius sibi vendicat, excellentiæ titulum singularis. Sic enim philosophatur, cui cognomentum Diuini antiquitas tribuit, Plato in Republica: *Est*, inquiens, *Deus clarissima lux, est veluti Sol quidam pamphaës, vt Græci loquuntur*, Interpretamini vos, *Vndique collucens, & omnia illustrans*. Nobis verò Latinis aptiùs erit hic Sol TRINVNVS, quippè qui tres vna in natura hypostases complectitur eum in modum, quo Planeta maximus, tria in se ipso præfert, nam & eius lucem obseruamus, & ex luce radios, & ex vtrisque calorem. Hæc ferè in æterno Sole & Pamphaë Deo est intueri. Sed quid intueri dixerim, cuius est lux inaccessibilis inquit Paulus Gentium Doctor? Cuius iste Sol aspectabilis vmbra est potiùs, quàm effigies, inquit Gregorius Nazianzenus? Cuius etiam Solis in gremio tabernaculum posuit suum, inquit Rex Psaltes, quasi vt inter illius vmbras suos lucidiùs radios vibret. Cernite

autem quàm belle Sol iste æternus illucens nobis fabulosa illa lumina Ethnicorum veterum obscurauit, ac tenebris altis demersit: Tergeminam Hecatem, Tricipitem Cerberum, Tres Parcas, Tres Gorgones, Tridentem Neptuni, Trisulcum Iouis, Trinodem Alcidis? Nec verò desiderabimus in hoc Cælo Theologico agmina Stellarum, lumina Siderum, quæ contemplemur, illos dico Spiritus supernos, atque expertes molis, plenas lucis substantias, præsentia sempiterni Solis radiatas, quarum consideratio pone illam, quæ de Deo est, occupat locum. Ac ne effusiùs præfando, quàm par est, procurramus, absorpti specie huiusce Cæli, defigamus licèt in terram oculos, quàm scilicet suspensam, atque libratam in medio Cæli fuisse ab æterno opifice animaduertimus, vt eius ambientis vndique instar amphitheatri millenis facibus astrorum illuminati, spectaculo admirabili frueretur. An hominem negemus concretum è terra, ac sicut nomen è terra sortitum, sic & illius typum expressum, ideò constitutum in terris fuisse, vt Cælum speculetur Theologiæ? vt in Conditoris, atque eius operum mirabilium intelligentiam erigatur? vt ceu librum enarrantem gloriam Dei studiosus perlegat? vt, vndè hausit immortalem spiritum, oculos mentis irrequietus intendat? vt exemplar contempletur, cuius ad similitudinem se se iactat effictum? denique vt Diuinorum arcanorum notitia multiplici, quasi astrorum benignis illapsibus ditatus, nanciscatur Cælum in terris, traducendus aliquando è terris in Cælum, atque inter sedes empyreas reuelata sibi Solis æterni face æternùm beandus? Porrò quod Cælum ac Terra ferantur condita in principio, quantoperè extollit laudes eius, qua de loquimur, disciplinæ? Neque enim historico sensu principium hic nobis volumus rerum ac temporum, quamquam in ortu ipso Mundi orta pariter arguatur Theologia, reuelatis nimirum Principi nostri generis Adamo vix tùm creato mysterijs sacrosanctis per soporem illum sibi à Deo immissum, vt, si ex vetustate metienda est disciplinæ cuiusque dignitas, hæc nostra multò vetustissima, congenita quippè Mundo, reliquas omnes longè post se habere euincatur. Principium ergo interpretamur allegoricòs Deum Verbum, hoc est Filium sempiternum; qui alloquens aliquando discipulos, Principium se se appellauit; & quo Cæli firmati esse canuntur à Psalte Rege; & per quod omnia esse facta prædicat Ioannes Euangelista, & cuius ex ore prodijsse gloriatur, quæ vna sibi iure ascifcit Sapientiæ titulum, omnium primogenita creatarum rerum. O Theologiæ cælestem præcellentiam: *Ex*

ore,

ore, inquit; *Altissimi prodiui*, vt nemo non intelligat, nihil huic in hac etiam parte commune esse cum reliquis scientijs, ac disciplinis. Ne quis enim putet, eam duxisse ortum à Romanis, cuius semina per sacras paginas toti iam Orbi terrarum demandata erant: Non à Græcis, siue ijs Philosophis, siue Theologis, siue Poëtis: non à Socrate Philosophantium Peripateticorum, atque Platonicorum fonte; non à septem Academiæ Græcæ luminibus: non ab Orpheo Theologici nominis violatore: non ab Homero poëtarum Græcorum Choriphæo, qui elegantia & ætate scriptoribus Græcis vniuersis facem præmisit. Namque Mosen sacræ paginæ conditorem coæuum fuisse Cecropi Atheniensium Regi primo, quem excidio ipsi Troiano, nę dum Scriptori illius Homero longè præcessisse, præclaris monumentis Eusebius testatum reliquit. Ab vno itaque Deo, interprete Mose manauit Theologia, vnius Omnipotentis manibus hoc Cælum fabrefactum prodiuit. Cuius prospectu quia vos mirificè teneri animaduerto, placet nonnullas Theses, quasi stellas vobis detegere, breui disputatione obseruandas.

GRATIÆ.

SPectauimus hactenus Theologicum Cælum, Auditores. Ego verò corona ista cinctus nobilissima instar orbium Cælestium, constiti in medio quasi Terra immobilis, & ad fulgores vestros attonita. Cæterùm si quem fortè disputando protuli fructum doctrinæ, si quam amœnitatem eruditionis, debeo id totum vobis, debeo luminibus Sapientiæ vestræ propitijs, debeo illapsis in sinum humoribus benignitatis vestræ fæcundissimis. Dixi.

THEOLOGIA MORALIS.

Itemque Philosophia.

VEterem Philosophiam cùm mente repeto (Ornatissimi Viri) hæreo stupidus, meliorem eius partem deprauatam aduertens, saniorem doctrinam in insaniam defluere, moralem denique mores ire corruptum. Siccinè (dico) Principis animantium disciplina peruertitur, vt arbitrio relictus à Natura, quæ inferioribus, atque subiectis illi animantibus congruentes, & statas viuendi leges attribuit, ipse infra illas abiectus ea de se monstra in vitæ cultu exhibeat, quibus nec monstrosior vlla

fera, nec ferius vllum monſtrum Libycarum ſolitudinem ſpelæa protulerunt? Hoc idem aduertit Tullius, & vel inuitus damnauit ſeuerus Iudex, cuius ſe ſe patronum iactauerat, Philoſophiæ. Nam quid monebat Ciceronem filium, cùm informare moribus quàm optimis ad felicitatem ſtuderet? Pudet me, Auditores, gratia illius eloqui. At quid me pudeat alienæ libertatis? Is igitur tam nobilis præco Philoſophiæ, tàm acer, ac iuratus propugnator, nihilo tamen minùs veritati pudorem litans grauiter admonet, *Præcepta quidem Philoſophiæ noſcenda, viuendum autem eſſe ciuiliter*. Qua in re ſimilis viſus eſt mihi Tullius priſcis Ægyptijs, cùm Numine irato obſeſſi circumquaque tenebris nihil rerum concernerent; ipſam tamen cœcitatem tenebrarum denſiſſimam palpantes diſſimulare non poſſent. Sic ille noſter & cæcultabat cum cæteris, quibuſcum philoſophabatur; & ipſam tamen cœcitatem palpatus, vt caueret, admonere coactus eſt, quem in oculis ferebat, vnicum filium. Igitur refugiendam Philoſophiam Philoſophi ipſi docebunt? Vtinam non etiam execrandam prædicarent. Nam quod ſuper quæſtione de ſummo bono non omnes conueniant, aliam alij in ſententiam abeuntes, permitti id poteſt ignorantiæ illorum temporum, permitti laſciuiæ ingeniorum. Quòd verò nec ipſorum cum placitis ſuis conſentirent mores: ſed quod docerent ſcriptis, dedocerent turpiter exemplis, quis tandem patienti animo diſſimulet? quis citra bilem, citra ſtomachum ferat? Inquirite, obſecro, diligentiùs auctorum philoſophiæ iſtiuſmodi mores, inueſtigate rationem vitæ. Diſpeream, ſi quiſquam vnus occurret non iracundus, non cupidus, non libidinoſus, non arrogans, non proteruus, & ſub obtentu ſapientiæ ſua non celans vitia, ſuas corruptelas non fucans, eaque liberè agens domi, quæ in ſcholis acriter arguiſſet. Habeo teſtem omni exceptione maiorem eundem Tullium in Tuſculanis ſuis idipſum & fatentem planè, & conquerentem. *Quotus quiſque* (inquit) *Philoſophorum inuenitur, qui ſit ita moratus, ita animo, & vitâ conſtitutus, vt ratio poſtulat? Qui diſciplinam ſuam non oſtentationem ſcientiæ, ſed legem vitæ putet? Qui obtemperet ipſe ſibi, & decretis pareat ſuis? Videre autem liceat alios tanta leuitate, & iactatione, vt bis fuerit non didiciſſe melius: alios pecuniæ cupidos, alios gloriæ, multos libidinum ſeruos: vt cum eorum vita & vitijs mirabiliter pugnet oratio*. Neque graue minùs eſt, ac vibrans Nepotis Cornelij teſtimonium apud eundem Tullium ſic habentis. *Tantùm abeſt, vt ego magiſtram eſſe putem vitæ Philoſophiam, beataque vitæ perfe-*

perfectricem, vt nullis magis existimem opus esse magistris viuendi, quàm plerisque, qui in ea disputandà versantur. Video enim magnam partem eorum, qui in scholà de pudore, & continentià præcipiant argutissimè, eosdem in omnium libidinum cupiditatibus viuere. Cum his concinit Seneca in Exhortationibus: *Plerique* (aiens) *Philosophorum tales sunt, diserti in conuitum suum, quos, si audias in auaritiam, in libidinem, in ambitionem perorantes, in iudicium sui putes professos. Adeò redundant ad ipsos maledicta in publicum missa; quos quidem non aliter fas est nobis intueri, quàm Medicos, quorum tituli remedia habent, pixides autem venena. Quosdam verò nec pudor vitiorum tenet, nec verecundia probrosæ vitæ quidquam afficit; sed patrocinia suæ fingunt turpitudini, vt etiam honestè peccare videantur.* Cernite iam monstrum; Auditores. Idem ipse Seneca Philosophorum veterum censura quali semet censuræ subijciat, quali notæ. *Faciet*, inquit, *Sapiens etiam quæ non probabit: vt etiam ad maiora transitum inueniat: nec relinquet bonos mores, sed tempori aptabit: vt quibus alij vtuntur in gloriam, aut voluptatem, vtatur agendæ rei causà.* Itanè verò? Faciet sapiens, quæ non probabit? Scelera quæ non probabit, maledicta, quæ habet exosa, execranda, faciet? Probabit facto, quod dicto improbat? Neque hoc tantùm. *Omnia* (subdit ille) *quæ luxiuriosi faciunt, quæque imperiti; faciet & Sapiens, sed non eodem modo, eodemque proposito.* Vnde igitur (arguam ipse): Vnde hominem castigabit Magistra morum Philosophia, quandò ijsdem in corruptelis conniuet, vitia eadem patitur, easdem obscænitates probat, imò præcipit, solo sibi proposito reseruato tanquam arce tutissima Sapientiæ? Iam si sola mens secernit à vulgo sapientem; quidni concepta solùm de se opinione Sapientiæ amenti quoque, ac furioso licebit in cœtum Sapientum se intrudere? Sapit mehercule Aristippum hoc loco Seneca, mancipium illud Veneris miserabile. Hic magisterio suo apud Cyrenaicos quæsiturus fidem, & auctoritatem iniuit cum Laide nobili scorto commercium. Credo Mercurium lasciuiæ Mobilem sistere se posse arbitratus ad omnem morum grauitatem; & pretium honestatis conferre petulanti suæ impudicitiæ nescio quo lapidis philosophorum attactu. Quid? Nonnè (inquit ipse) *interest multùm inter me, & cæteros Laidis amatores: quòd Laidem ego habeo, cæteri habentur à Laide?* O nouam Philosophiam brutis ipsis addiscendam. Adeste vos ingenui adolescentes: Adite tale lyceum. Assurgite vos, Ciues, tali Magistro, credite illi pignora spei vestræ, & politissimam omnium disciplinam

nam prodacto (si opus est) patrimonio, coëmite carissimis natis atque nepotibus. At quid opus est (suscipit ille) prodigere, quasi cum perditis Aristippus conueniat? *Illi bona sua perdunt: Ego gratis luxurior.* Bellissimè tu: Sed si philosophiam in hac arte collocas; nonnè acutè magis philosophatur ipsa Lais, cùm habet gratis eum lenonem, qui auctoritate sua, & exemplo apud iuuenes discipulos tantùm potest, vt ei cursus recursusque procacium nunquàm desit? Quid te igitur eximet à vulgo perdito, si nemo hominum propositum animi tui latens; patentem verò corruptelam morum, vitamque inquinatissimam omnes vident? Non hic autem stetit libidine Aristippus, qui in præcipiti voluebatur. Cæpit vocaliter docere ipsas obscænitates, quas tacitè iam docebat: fecitque de schola lupanar, Voluptatem corporis sustinens mortalibus summum esse bonum. Itaque Philosophos instituturus, non iam amicos sapientiæ, sed amicos amicæ contaminatissimos effecit. Verùm hæc hactenus. Parco non sine miseratione ætati illi corruptæ, & nostræ planè aureæ gratias ago, quæ me in hanc lucem tulit, vt gremio exceptus Christianæ Theologiæ (* *vel Philosophiæ*) puritatem morum, & vitæ candorem quasi concoctissimi lactis humorem exugerem. Sed iam me papillis abstractum par est solidiore cibo disputationis, vestro egregio magisterio (Viri Sapientissimi) enutriri. Id quòd solerter dum meditor, proferenda mox curo fercula discutiendarum assertionum.

GRATIÆ.

Defæcata per Theologos (* *vel per nostrates*) Philosophia veterum, quæ de moribus est, me iubet, reiecto verborum apparatu, habendis sincerius, quàm agendis gratijs beneficentiam vestram hodierna disputatione mihi præstitam compensare.

THEOLOGIA GENERATIM.

Vel Philosophia.

ANtiquitati ætas omnis, vel ipsamet Antiquitas (quo tamen fato, nescio) venerationis tantùm attribuit, vt inconditis quibusque rebus æstimandis sufficere sola videatur. Hinc veterum gestis quamquàm vulgaribus nobilitata quasi loca celebrantur per Historicos. Inuenta rerum prima, rudia iccirco, atque barbara obseruant Antiquarij. Dicta quædam parum falsa, quia

priscis

priſcis prolata, pro dicterijs, pro oraculis coluntur. Diſtortis membris monſtroſa ſimulacra, picturæ nullius ſpiritus, nullius luminis, quia vetuſtæ, pretium inueniunt maius, quàm recentes graphicè expreſſæ. Eoque tandem venitur opinionis apud quemque prudentiſſimum, vt antiquitate contracta fuligo in tabulis, omni clarior luce; membra in ſignis edacitate temporis deformia omni forma elegantiora habeantur: Defoſſa è ruinis veterum ædificiorum rudera, pro trophæis Ædes noſtratium magnatum exornent. Ad ſummam idem Mundus cùm ſtet hodie nobis, atque olim Antiquis; Sol idem cùm hodie affulgeat, idem Cælum cùm deuoluatur; eadem cùm oriantur, & occidant ſidera; quid eſt, quamobrem illis ſola originis feſtinatio, & caſu præmiſſa canities principatum rebus aſſignet? Ego verò vbi de oculo paſcendo agitur, parco libidini ſingulorum. *Non enim*, vt ait ille, *de guſtibus eſt diſputandum*. Illa tùm demum probantur, quæ placent; & quæ probantur, placent. Sed vbi diſciplina morum, & animi inſtitutio agitur, non libido legem, ſed ratio, & ex ſummo bono petita viuendi norma præſcribit. Extulit ſemper poſteritas illorum veterum ſententiam, qui ſummam ſapientiæ in pecuniæ contemptu collocarunt. Illos ſtylo, illos alloquio in vmbraculis, in academijs, & (quod miremur) in ſacris conuentibus, in panegyricis Diuorum ſumma cum veneratione memorat, laudibus miris perſequitur, exaggerat. Glorioſa verò fama virtutis contemptus pecuniæ, ſcilicet eius rei contemptus, cui nemo non inhiat, non anhelat mortalium. Sed exige tu, quid iſti tandem hoc ſenſu geſſerint, & quò iſte contemptus memorandus euaſerit. Oblata ſibi hereditario iure patrimonia perampla vt nefas remittunt, vt ſcopulum cauent, atque abdicant. Quandiù ſuadet hoc metus tantùm prolabendi in licentiam, in intemperantiam, in ſuperbiam, nempe diuitum Syrtes, & Charybdes; inertis profecto eſt hominis, qui, quod clauum tenere neſcit, & proram in portum intendere, negat planè ſe pelago, quem tamen cogitur in hac mortalitate peruadere. Quare non ſolùm fortunas vt abdices, ſed ſimul etiam cui leges, operæ pretium eſt cogitare; ne, vbi liberalitatis gloriam captas, conuictus demùm imprudentiæ abeas inglorius, inhonorus. Vltiſnè, Auditores, huius fabulæ Actorem aliquem prodire? Democritum aſpicite. Hic cùm auitos agros derelinquens euadere paſcua publica paſſus eſſet, nonnè meritò à prudentioribus perſtrictus, non alio dignus plauſu eſt reputatus, quàm, quo res humanas continenter ipſe deridens proſequeba-

quebatur? Præclarum enimuero facinus, tàm fama dignum, quàm gratia, si muneris titulo cessisset Patriæ ad communem vtilitatem: si ad egenos ciues, honestos præsertim, sustentandos, ad hospites publicè alendos, ad rei Sacræ, Ciuilis, Litterariæ splendorem, ad muniendam propugnaculis ciuitatem, fundandam ephebijs, illustrandam theatris. Desiderasset, credo, tanti ingenij Vir consilium de fortunis suis benè, sanctèque destinandis; sed eiusmodi curam refugiens in illud potiùs venit, quod, si omnes pedarios habeat, inutile cedit, ac malum. Vnde ergo huic facto materia gloriæ? Vnde illi pariter, qui patrimonium opulentum in aurum redactum profudit in mare? Quàm sunt frequentes hic Oratores, quàmque multi in ea referenda voce: *Abite in profundum malæ cupiditates: Ego vos mergam, ne ipse mergar à vobis?* Detrahite vos, quæso, Auditores huiusmodi facto vetustatem, & cùm fuco temporis nudatum conspexeritis, nonnè statim succurret, vt ita hominem compelletis. At enim si tantus tibi metus ex pecunijs, cur non in aliorum commodum disponeres? Non te equidem mergent, si per eas ex pelago miseriarum emergant egeni. Subduces, mihi crede, & te ipsum profundo, & illos tempestati. Seruabis vnà seruatus, subleuabis erectus, opesque abiectas facies perditorum multorum stipem, ita de hominum genere æternùm meritus. Consultiùs ille egit etsi amens, & furijs actus, qui sua omnia diripienda sparsit in populum, oblitus sui; Suam certè egestatem in aliorum refundens opulentiam. Quò mihi cordatiores è nostro sæculo ij videntur, qui situm vetustatis pertæsi ne videre quidem æquis oculis possunt veterum scripta philosophorum, nisi vt in eos perstringant stylum, damnatisque erroribus compertam ingenijs nostratium veritatem illustrent. Ego igitur huiusce genij cùm sim, quamquàm non eius ingenij, vt cum illis congrediar, audebo in hac luce literatorum propositis Theologiæ (* *vel Philosophiæ*) placitis splendorem veritatis inter obiecta disputationis nubila explicare.

GRATIÆ.

PEcunias in profundum ille mersit; ne mergeretur. Ego, ne pondere gratiarum mergar, quas habeo vobis, Humanissimi Auditores, in profundum silentij mergam æternùm gratus.

THEO-

THEOLOGIA GENERATIM.

QVod est in votis honestissimum apud eos, qui sacræ Theologiæ arctissima se religione addictos profitentur, vt ad disciplinarum augustissimam inclinata Philosophica dignitas ancilletur: si rem ad trutinam diligentiùs vocemus, Auditores vereor, ne ex ingeniorum caligine extorta demum huic obsequia, suspecta nobis potiùs, quàm accepta habeantur. Quid enim arrogantius ad superbiam, aut quid grandius ad supercilium Philosophia? Originarium nempè hoc illi peccatum est, & veluti à patribus in nepotes transfusa corruptela non patitur dissimulari vitium, aut pertractà ad posteros lineamenta variare. Neque mirum profectò, si penitùs causa inquiratur. Petit Philosophia (quis nescit?) suam ex demonstratione scientiam: Demonstratio ex principijs dependet naturali cognitione veris: Iuuatur sensibus corporis cognitio; *nihil quippe est in intellectu, quod non in sensu priùs fuerit*. Denique sensus ipsi quàm sint fallaces, quàmque ludi faciles, facio iudices philosophos eosdem priscos, quorum non pauci Diuo Augustino teste credendum nunquàm esse sensibus decreuere. Porrò ab istis quàm longè Theologus diffidet? quàm aduersis hæret vestigijs? Nihil is, quod oculus offerat; nihil, quod probet tactus; nihil, quod alius quis vel ex internis sensibus proponat, pensum habet. Mentem ipsam volucrem, aciē natiua superbam quasi compede captiuam stringit; vt, non quod Natura, sed Naturæ Auctor suggerit: non cuius veritas liquet, sed veritatis probabilitas: denique non quod humana conuincit ratio, sed quod Diuina auctoritas dictat, hoc sibi persuasum faciat, tantùmdem certa assensu, quantùm cœca obiectu. Iam videtis, quemadmodum citra demonstrationem demonstratur Diuinorum veritas; Vt mens sine perspicuitate fit perspicax, sine humana intellectione intelligens; Sine naturali lumine illustrata; gloriosior idcircò in ipsa humilitate obsequij, liberior in captiuitate; felicior in scientia. Quare vsurpent sibi, licet, & Aristoteles, & Plato, & alij quicunque sine, titulum Dæmonij, veluti quiddam supra humanam sortem eximium. Vsurpet ampliùs Homerus gradu superlationis titulum Dæmoniotati: Nos verò Theologi Dæmonium illis vltrò permittimus, Deum nobis adsciscimus. Meliùs nos triumphabimus in Dei seruitio, quàm illi in fastu Dæmonis: humiliores illi futuri in sublimitate, nos in humilitate sublimiores. Quod itaque vsurpa-

bat differens de Oratore Cicero, *Iudicium aurum esse superbissimum*, id ignorat omninò Theologus, cuius principia, quòd auditu reuelantis Dei nituntur, iudicium aurium exigunt quàm obsequentissimum; idem planè vt sit audire, atque credere, narrari idem, atque probari. Quid ergo est, quamobrem tantopere laboremus, vt humanam scientiam Diuinæ tributariam reddamus? Nam qui dogmata Theologica philosophicis placitis adamussim singula tueri, ac perpetua contentione communire instituunt; qui Diuum Thomam cælestem inter homines Angelum Aristotelicis per totum præsidijs firmum, & inconcussum aduersus philosophorum quorumlibet petulantiam ostendere: qui denique ipsum hominem ex Ethnicis Aristotelem Christiane sensisse, docuisse, disputasse contendunt, quid illi tandem, nisi pessimè de Christiana Republica merentur? Nonnè & suibus (vt Euangelicè loquar) margaritas apponunt, & veritatem intemerandam cælestium mysteriorum in quæstionem adducunt? Reginæ, atque Augustæ dignitatem, existimationemque iudicio Ancillæ impuro subijciunt? Errorum, atque ineptiarum, sin minùs reum, suspectum quidem certè constituunt Auctorem veritatis, atque adeò ipsam nobis reuelatam æternam veritatem Deum? Valete iam ergo, Philosophi: procul este ab vmbraculo sacrosancto, profani sapientes; si modò sapientiæ cum superbia conuenire quidquam potest, si cum fastu comitati, si cum intemperantia sanctitudini. Vos, vos, Viri præclarissimi, sola cum sacrarum rerum peritia, instructi etiam atque etiam estis ad sapientiæ cum felicitate demetendos fructus, cum dignitate tuenda dogmata. Sed illud dum vobis æternùm apprecor, hoc mecum instituta hodie disputatione à vobis enixè peto.

GRATIÆ.

QVàm impiè de Mose dixerat Plato, *multa illum narrare, nihil probare*: Tam ingenuè de me ipse fateor, multa me vobis pro beneficio hodierno debere, nihil posse.

THEOLOGIA GENERATIM.

THeologicæ disciplinæ Maiestas quanto philosophicas, ac Mathematicas transcendat spatio, illo Mosis oraculo non ambiguè admonemur, Sapientissimi, Religiosissimique Viri: Vbi Mundo, & Sacris simul Biblijs daturùs exordium, sic enunciat. *In principio creauit Deus Cælum, & Terram.* Quod verò

Cælum

Cælum vſurpatum hic putatis? quam terram? Nec enim vnicam perſonam agebat Moſes, qui regendis frequentiſſimis populis natus erat: Nec ſono literarum contentus eſſe poterat, qui Myſteria ſacroſancta Diuini Numinis perueſtigare, & Maieſtatis gloriam intueri proprijs ipſe oculis, mortalium ſolus meruerat. Agebat itaque hiſtoricum ſimul, & Myſten: Et Philoſophum ergo, & Mathematicum, & Theologum. Omnis enim iſtiuſmodi notitia munus eſt Numinis, & ab iſto panditur Oriente lux omnis. Quiſquis autem pictura ſola characteris tenetur vtique Cælum, & Terram à Deo facta perlegens nil mente concipiet, niſi primùm ſuperiorem Vniuerſi iſtius regionem, ſublimem eam oram petendam nunc ſolis oculis, aliquando & greſſibus: ſcænam illam adamantibus perſpicuam, gemmis accenſam, luminibus radiatam, ſipario lucis obtentam, vbi fabulantes aurea in toga planetæ gloriam referunt ſummi Dei, diurnos actus diſtinguente Aſtrorum choro. Dein Terram concipiet deſtinatum tanto ſpectaculo Amphitheatrum, nulla barbarie, nulla iniùria diruendum, dimouendumue; vt quæ ſempiternis ponderibus librata ab Opifice fuit; digna idcircò, quàm Gymnoſophiſtæ alternis pedibus ob arenæ apricantis feruores diebus totis premerent, ſpectaculo tanti circumuoluentium ſe ſe tam admiranda lege, atque harmonia Cælorum. Sed vos, quibus adyta penitiora Sapientiæ nunquam non patent, intelligitis (credo) parui Mundi duplicem portionem, Animum, Corpus; Illum Cæli particulam meritò dictum, hoc è Terræ particula concretum: Illum agilem, viuidum, purum, mobilem, irrequietum, qualem exigit proxima cum Cælo cognatio; Hoc pingue, immobile, iners, obſcurum, ſuæ non abſimile origini. Atque vt Terram Cæleſtes orbes totam ambiunt, illi inuigilant, illucent, in gyrum ducuntur, humores vertigine diſpertiente deſudant: Sic Animus regendo corpori totus eſt. Theologia igitur quantò nobilior arguitur Philoſophicis, ac Mathematicis diſciplinis, cum Animum ea prouocet ad oras Cælitum anhelandas: Hæ verò domicilium corporis in terris adornent? At illud obſiſtere dicet quiſpiam: Philoſophiæ Mathematiceſque cauſam ſuſcipiens, quòd eadem ijs, ac Theologiæ ſedes in animo aſſignetur, cuius & formæ cenſentur, & dotes immateriatæ atque æternæ ſubſtantiæ; non ideò relegandæ in terris, nec ergaſtulo corporis damnandæ. Demus nos, licet, vtriſque ſocietatem domicilij, demus communionem familiæ. Intereſt tamen: ne vel dominari ancillas, vel ancillari Dominam patiamur. In ipſo Ani-

mo damus vtrifque receptum. In ipfo Mundo partem vtramque ponimus, fed fua quamque difponimus regione; Cælum par eft supernè, infernè Terram. Quæ naturam fpectat Philofophia, quæque in materiæ quantitate verfatur Mathematice, cui melius, quàm Orbi Terrarum refpondeat? Quæ verò dilapfa è Cælo eft, atque in Cælum fubfternit viam Theologia, quidni Cæleftem notam nuncupatione ipfa præ fe ferat? O fublime Theologiæ Cælum, cui quidquid habent humanæ difciplinæ fplendoris, quidquid dignitatis, quidquid firmamenti, referunt acceptum. Non enim vacat, quòd Cælum primùm dicatur feciffe Deus, exindè Terram; vt nifi illuxiffet Orbi perdito Theologicus radius, quàm cecis adhuc iaceret in tenebris? quàm perplexis raperetur erroribus tradita per veteres noftratibus Philofophia? An vnquam pertigiffet hæc ipfa ad fummum Hominis bonum, ex quo vti centro trahimus vitæ noftræ omnes lineas? Quis dediffet libellam Ethicæ? quis normam moribus præfcripfiffet? Habet igitur humana Scientia clientelam Diuinæ, nec tam Patronam agnofcit, quàm Dominam, quippè cui ceu tributum erogat rationem cathegoricè difputandi, nihil vt ampliùs ifta defideret ad Maieftatem vel explicandam, vel tuendam. Id quod meliùs experimento veftro, Auditores, quàm meo fermone teftatum fiet.

GRATIÆ.

THeologiæ Cælum, Philofophiæ Terram hodierno congreffu retulimus. Nec incommodè. Sed vt in vobis Cælum folidum apparuit; fic in me *Terra inanis & vacua* vt fubdit Mofes. Inanis enim ipfe fum, & planè vacuus verbis, vt gratias humanitati veftræ promeritas agam.

THEOLOGIA GENERATIM.

PHilofophiam (Viri Cordatiffimi) ex adagio inopem, & pannofam, non fortunæ, credo, facit auaritia, quæ fupinis alioquin ingenijs obfecundat: fed natiua ipfius, & per fe mifera fatis conditio, folo fplendore nominis, & fonantium pompa fyllabarum adorata. Eius quanta fit vanitas, quàmquam vera falfitas, licebit inde conijcere, quòd tota in primipilum fuum Socratem effufa, dum ftudet innocentiæ idæam proferre, abortum profert. Seponite quæfo vos ftudia, fi qua in Socratem habetis: abducite parumper animum à vulgari opinione, & rem ipfam ex merito, non ex vultu penfitate. Celebratur ingenti

cum

cum veneratione quasi è tripode Apollinis acceptum id Socratis dictum: *Quod supra nos, nihil ad nos*. Horum ego alterutrum contendo, vel ignauiæ istud esse vertendum, vel impietati; vt, dum Socrati gloriam hanc referunt eius asseclæ, libellum re vera famosissimum publicare in ipsum arguantur. Quasi (dicam) non ea sit humanæ mentis felicitas, acumenque præcellens, nihil vt vsquam omninò existat illi imperuium, nihil inaccessum: Non illam concretæ materia, non immunes substantiæ rerum fugere possint; Non latere abditissimæ, non occupare vastissimæ, vnius æterni Numinis Maiestate excepta, quæ & implere vastitatem eius potest, & explere cupidinem, & amorem beare. Annè igitur Cælorum, & siderum contemplationem, quòd ea supra nos sint prohibebat hominibus Socrates? Speciosissimam disciplinarum Astrologiam, tametsi laboriosissimam assecutione eliminauit iste à suo liceo, vt eam non tàm negligere deberent homines, quàm nescire? Vt mentis conatus, atque illius mentis, quæ cælestis particula rectè dicitur, in ipsius Cæli meditatione minimè occuparent? Si ergo, quòd supra nos, Cælum, nihil ad nos; frustrà illos incusauerit sanctissimus inter sapientes Purpuratos, quod *oculos statuerunt declinare in terram*. Frustrà damnauerint sacræ literæ senes illos perditissimos, qui castissimam fœminarum Susannam depereuntes *auerterunt sensum suum, & declinauerunt oculos suos, ne viderent Cælum*. Quid? si Cælum nihil ad nos, defigamus, licebit, quàm à Natura erectam accepimus altam ceruicem in terram; gradiamur more pecudum proni ad sensus corporis oblectandos, ad pascendam libidinem; litemus ventri, ac Veneri, scilicet infra nos politis; hæc Hermathenæ loco statuamus Numina tutelaria in nostris Academijs; & hoc esto generosæ mentis nostræ singulare negocium, terpescere totos in ocio, marcescere in delicijs vitam hominis beluinis in studijs habere sepultam. Præclaros meherclè Philosophos instituit Socrates, popinones, parasitos, aleatores, ganeones, mancipia libidinis, monstra luxuriæ. Hæc si de Socrate indigna putatis, quæ prædicentur, quis vestrum alia multò indigniora patiatur? Ignauum verò illud dicere exhorret animus, impium ergo fateamur, necesse est, & leuius piaculum piaculo grauiore propulsare iam cogimur. Ecquid supra nos, quæso, nisi Numen ipsum statueret Socrates? Nihilnè ergo Numen ad homines? Proh vestram fidem, Mortales. Nihilnè pietas, nihil sacrorum cultus, nihil ratio summi Conditoris ad rerum conditarum maximam pertinebit? Annè Auctori omnium

Deo,

Deo. Conferuatori, Moderatori remittendus prudenter nuncius, ablegamda reuerentia, conculcanda religio? Vide, vt Philosophos suos Socrates non tam exigit amatores Sapientiæ, quàm hostes Diuinitatis, & veriore nuncupatione atheos esse iubet. Hic mihi quisquam à Socrate suscipiet, neminem vnum è priscis Philosophis magis meritum de Religione extitisse, quippè qui publicas illas Ethnicorum religiones exosus, post carceris squalorem vltimo demum supplicio peremptus fuit? Res certè digna Sapiente, si fuit. Verùm tamen precanda magis Socrati, quàm credenda scriptori. Cuius Philosophi cùm essent consulti mores, & ad exemplum compositi, sic exigente instituto: quid est, cur is per Deum, per canem, per anserem deierebat? Hoccine ipse iocosè, an seriò? Vtrumuis tu dixeris, suspectum, atque adeò reum fecisti. Si quidem iocosè, cauillatorem Religionis: sin seriò, nefariæ superstitionis auctorem. Vtcunque vsurparet Socrates, ambiguum certè posteris reliquit: vtrum vincula perpessus, & necem (vt ferunt) pro religione singularis Dei, cultor veræ religionis excesserit: an, quod antè mortem, sanus quidem corpore, nec deturbatus mente familiares suos rogauit, vt Æsculapio gallum, quem vouerat, pro se sacrarent, prætentus à Socraticis fuerit officij gratia in illius Manes titulus neci quàm honestissimus: re tamen impietati ipse cesserit, vt tactus religione prospicere sibi per amicos vellet, ne ad Inferos transgressus fieret apud Rhadamantum reus voti ab Æsculapio. Videlicet parcendum illis temporibus est, Auditores: culpanda illius Philosophiæ vanitas, quæ in summa doctrinæ opulentia miserandam egestatem, ac nuditatem lachrymabilem præ se ferebat. Debebat ea planè esse Philosophia, vt magis Theologiæ Christianæ beneficium generi hominum diuinitùs collatum innotesceret. Huic luci præcedere oportuit illas tenebras, huic diei noctem illam, huic Veri illam Hyemem, aureo huic sæculo illud plumbeum. Ac priscos illos mortalium sat fuit adamasse Sapientiam, quàm nos deindè certis gradientes vestigijs assequeremur. Placet igitur hæc ipsa in aspectum omnium vestigia proponere, vt vestra eruditione quasi indice ad sapientiam tutus ipse quoque pertingam.

GRATIÆ.

QVod supra nos, nihil ad nos, aiebat Socrates. Ego verò contrà. Quod supra me, supraque meam facultatem est beneficium in me hodie à vobis collatùm, multùm istud ad me,

meam-

meamque fortunam: sed nihil à me, meisque gratijs, videlicet exæquandum.

THEOLOGIA GENERATIM.

Item de Deo Vno.

DIssimulare si velim, non possum, quod simulant ex arte Oratores, vt initio statim dicendi prætento timore ex argumenti ferè suscepti magnitudine fauorem Auditorum, naturalem vtique pro laborantibus, sequacem habeant, Nobilissimi quotquot adestis Viri Auditores. Non versor ego quidem in palæstra nescio quorum philosophantium, vbi potiùs inflat, quàm implet mentem scientia; & vbi sine barba, & pallio vix vllum habetur pretium disciplinæ. Prodeo autem ex vmbraculo Theologiæ sacrosancto iustè veritus, ne ad explicatam cælestis doctrinæ lucem inaccessam stupens acies ingenioli mei luat temeritatis promeritas pœnas. Non est itaque, vndè mihi tentet animum tumor, vbi iam timor occupauit. Quis enim nisi insanè gloriosus infletur illius opinione Scientiæ, in qua ne nomen quidem obiectæ materiæ comprehendit? Cæteras Scientias antequam teneas, quid illud sit, in quod contemplandum incumbunt, in ipso certè vestibulo sigillatim cognoscis, vel ipsiusmet vocis ethymo indice; Vt si Rhetoricen meditere, iam præsto habeas, orationem in ea tractari; Si Dialecticen, disputationem; Si Physicen, naturam, Si Geometriam, mensionem terrarum; Si Astronomiam, astrorum Cælique notitiam. Ità à voce ad essentiam indagandam perfacilis tibi supponitur gradus. Sciscitare nunc, obsecro, quid Theologia contemplandum offerat. Deum, inquies, monstrante vocis nomenclatura. Ipsum porrò Deum, si vrgeam ego, vt definias, non eius dico essentiam se sola metiendam, immensitatisque suæ sibi vni conscium; sphæram illam nullius vsquam circumferentiæ, illud sine centro centrum, sine principio principium; Verùm quo nomine potissimùm designes, vt ab reliquis rebus per propriam quasi notam secernas, nonnè ad id hærebis attonitus, perinde atque si Cymmerios errores incola subdialis intrares? Nam quòd potestatem nobis facit Philosophus Cordubensis quæcunque volemus nomina Deo propriè aptandi, inopes profectò in maxima copia videtur facere, vt omnibus quidem ad arbitrium, nullo verò ad scientiam vtamur. Quare vocemus ex placito illius Naturam; quòd

quòd is Diuina ſit ratio toti Mundo, & partibus eius inſerta. Vocemus Iouem Optimum Maximum, quo non alius iuuet magis vniuerſa latè, ac ſingula. Vocemus Statorem, cuius beneficio ſtant omnia. Vocemus Fatum, ſcilicet in ſerie cauſarum implexà primam omnium. Vocemus Prouidentiam, quòd eius conſilio huic Mundo prouidetur, vt inconcuſſus eat, & ſuos explicet actus. Vocemus tot, ſi placet, nominibus, quot illius ſunt munera, quot per illum collata in hominem beneficia. Quid tu porrò effeceris, ſi vel vna voce compelles, cui tam multæ ſunt propriæ? vel ſi comprehendere omnes ſimul putes, quæ nullo valent numero comprehendi? Itaque refugiamus ad antiquitatem neceſſe eſt, &, cùm nihil nouum tam multa poſt ſæcula fœcundiſſima ſummorum ingeniorum ſuggeſſerint, admittere cogimur vetuſtum illud Tetragrammon, ne ipſis quidem ſatis perceptum Auctoribus. Hoc enim exponant alij idcircò dictum, propterea quòd literis quatuor per omnes ferè linguas iam indè ab exordio nationum exprimi ſolitum ſit Dei nomen ex quodam quaſi legis præſcripto inſitæ omnibus de cultu Conditoris. Commententur alij, Hebraicè quatuor quidem conſtare literis, ſed quibus tria illa Verbi Subſtantiui tempora *Fuit*, *Eſt*, *Erit* componuntur, vt Auguſtæ Triadis innuatur æternitas. Transferant alij interpretantes vocem ipſam Tetragrammon quaſi *vnum omnia*, quemadmodum & Pythagoras Deum appellat *Vniuerſalem*, & illum eſſe Apollinem qui Muſarum choreas ad citharæ concentum ducit, res nimirum omnes gubernant, ab ijſque prædicationem & laudem accipiens. Porrò hæc atque alia amæna magis, quàm plana quid niſi ambages noſtræ menti plures ac plures obijciunt, quibus Ariadnæ nullius filum ſufficiat? Quomodo enim rectè dixerit *Vniuerſalem* Pythagoras, quem ſimul Ἀπόλλων quaſi ἁπλὸν exponit, ideſt *ſimplicem* & *vnum*; vel ἀπ' ἄλλων *ab alijs*, nempe ſecretum, ac multitudinis neſcium? Sic enim philoſophando Triſmegiſtus quia, inquit, Vniuerſitas eſt Deus, proprium eius eſſe nomen nullum poteſt, quoniam aut omni nomine Deum, aut omnia Dei nomine nuncupari neceſſum foret. Sed neque ſatis video, quomodo ſuſtineri poſſit Vniuerſitas in Deo, qui vnus ac ſimplex dignoſcitur, ergo, vt indiuiſus in ſe ſe, ità ab alio quocunque diuiſus. An quia omnia Deus in ſe complectitur citra compoſitionem quidem, complicata nempè vniuerſa in ſimplicitate vnitatis? Rectiſſimè quidem: Sed quomodo vllum quadrabit nomen, cui ab reliquis rebus omnibus, quas in ſe continet, repugnat d

ſcretio?

ſcretio? Res quippè nominibus inter ſe diſcretæ vna in Deo copulantur eſſentia. Iure igitur, ac merito Hebræis ita ſanctum, ita auguſtum ſemper fuit Tetragrammon, vt nec pronunciari ore illorum proprio fas eſſet, nec literis patrijs exarari; ſed minimè vſitatis elementis in lamina inciſum aurea geſtabat ad frontem ſummi Sacerdotij, quàm ad ſummi Numinis reuerentiam. Iam videtis noſtram ſortem, Theologi; quantò vtique Philoſophis meliorem? quàm inuidendam ab illis, quàm ab alijs adorandam! Nimirùm ſolius eſt Sapientiæ habere intelligendi obiectum Deum: eſt gloriæ ipſum eius nomen ignotum habere: Eſt felicitatis præripi nobis anſam tumoris, ſubtrahi fomitem arrogantiæ, negari materiem ſuperbiæ. Eſt autem, eſt præcellentiſſimæ ſcientiæ pro adæquato obiecto nulla adæquandum creata mente obiectum ſibi præfigere: vt ſtudioſos ſuos efficiat ignorando ſapientes, nocturna in caligine perſpicaces, incomperto theſauro prædiuites. Hæc quidem ego hactenus voui. Reliquum eſt, vt vos, acerrima ingenia, impugnando meas Theſes huius me voti reum faciatis.

GRATIÆ.

NOmine proprio referri Deum non poſſe, perſuadetur hoc mihi magis, quod vel meus in vos gratus animus, Auditores, nempè humana res pari dictione referri non poteſt. Adeò & ille infinità Maieſtate ſua nomenclaturam omnem, & hic facultatem oratoris magnitudine ſua tranſcendit.

THEOLOGIA.

NOn habet paradoxi ſpeciem, quòd vulgi ſententiam non oppugnat, ſed vincit, Auditores lectiſſimi. Sacroſanctam Teologiam inter ſcientias iure optimo computamus, cuius tamen principia minimè ſcimus, at credimus: opinamur, at firmiter tenemus: obſcura deprehendimus, non tamen incerta. Eſt enim omni ſcientia hæc fides certior, opinio ambiguitatis omnis expers, obſcuritas incomprehenſæ ſcaturigo lucis. An igitur illam e choro ſcientiarum amandabimus, quæ ſuo vincit concentu ſcientias? Exauctorabimus, quæ non tam militat in caſtris ſapientum, quàm imperat? Mouebit philoſophanti faſtidium, cuius non parum inclinatur Maieſtas, ſi philoſophica non dedignetur obſequia? Et certè ſi arcana plurima offendimus in Natura, quæ quòd aciem intelligentiæ noſtræ fallunt, non con-

temnenda modò non veniunt, sed cum admiratione reuerentiam quandam, religionemque in nobis cient; adeò vt sæpenumerò votis peruersis Naturam opus Numinis, ceu numen ipsum colamus: quantò iustiùs dandum hoc erit illi disciplinæ, quæ non homine sata, sed Numine tantò obscurior suis in principijs redditur, quantò inaccessa illa: quàm inhabitat Numen, claritas hebetudinem fugit altiùs nostrorum luminum? Quid enim? Si claritudine tantùm nitendum esse quis pugnet, diuortium cum plerisque mens nostra faciat, necesse est; opibus se plurimis dispoliet, ornamentis viduet, quæ sapienti vnica bona ad felicitatem æstimantur. Ac primùm quidem subalternatas quas vocant disciplinas euerteremus vniuersas, quæ sua sibi minimè cognita principia in subalternantes referunt cognoscenda. Nec, licèt ambæ in consummato sapiente exigi videantur; vitæ tamen officia, casus, iniuriæ in angustias plerosque hominum coactos sinunt destinatam metam contingere, & ambitum disciplinarum inhibente suis legibus Natura peragere. Ergo si nequeat metam assequi, excluserit se penitùs cursu? Desidebit spectator aliorum otiosus, non magis audebit æmulator, quantùm sibi fas est, vt in partem gloriæ cum literatis veniat, gloriosior forte in paucis, quia cum Natura obluctatus vicit, quàm in omnibus, Natura sibi per omnia obsequente? Age verò in Theologica facultate, quid dicam? Luctatur ibi secum ipsa mens nostra, ea faciens indubitata, quæ incomperta offerri videt principia, eò sanè auso gloriosiore, quò periculosius negocium est semetipsum expugnare, quàm alios. Quid? Nihil mihi, quàm meusmet animus, obscurius, nihil ignotius, nihil peregrinius: quem tamen dum autumo luminis Diuini particulam, tùm ipsum cernere mihi non datur. Philosophis nihilominùs amplior isto campus ad certandum nullus datur, nulla seges vberior disputandi. Quot capita, tot monstra deliriorum super animo humano, tot cryptæ Cymmeriæ, à me iccircò supprimenda omnia horrente animo. Sed & optime vos calletis, Auditores, cùm in omni politiore disciplina, tùm in seuerioribus priscorum Philosophorum scriptis versatissimi. Ita obscura cùm sit notitia de Animo immortali; mirum tamen, quòd quisque sapientissimus, atque adeò non pauci ex insipientibus ijs veteribus beatitatem hominis suo in animo pernoscendo statuentes, aureis ad oraculum notis, mortales omnes ad id negocium inuitant, vrgent insistunt, tantumque abest, vt ignota Animi species quidquam minuat de ipsius vel existimatione, vel studio inuestigandi; quin & eadem rei obscuri-

scuri-

ſcuritas venerationem in primis conciliat, & difficultas illecebram. Quis igitur ita parùm ſibi conſtet, vt faſtidioſo palato reprobet à Scientijs Theologicam veritatem; quòd ex ignotis ipſa procedat, quòd latente trahatur origine, quòd luminis Naturæ facem reijciat? Explicatur (dicam) hinc potiùs eius dignitas ſtudioſis, fomeſque ſuggeritur auidiùs addiſcendæ; quæ non Naturæ arcana recludit, ſed Gratiæ: non elementaria, ſed cæleſtia: æterna, non temporaria. Quæ animis noſtris callem verioris felicitatis indigitat. Quæ non Mundi harmonia, concentuque tenet ſuſpenſas mentes, ſed rapit altiùs in Deum harmoniæ huius concinnatorem, felicitatis oceanum beandis mortalibus, abſorbendiſque pateſcentem. Veriùs itaque ſuadendi nobis fuerint ipſi mortales, Theologiæ vt operam ſuam impendant, vt vitam deuoueant. Indè enim cognitio Animi clarior, & quantus à Deo ſit conditus, & quomodo vera felicitate donari ab eo poſſit, hauritur. Id quod commodiùs non fiet, quàm ſi diſcuſſis theorematis per me mox edendis, veſtræ diſputationis acumen, Viri Sapientiſſimi, remotiſſimæ à ſenſibus diſciplinæ deprehenſam Maieſtatem reuelabit.

GRATIÆ.

THeologiam per tranſennam inſpeximus, obſcuram diſciplinam; ſed ex obſcuritate magis auguſtam. Sic & Ægyptij arcana ſacra Hieroglyphicis velabant: Et ego, quas habeo in vos conceptas pro audientia iſta humaniſſima gratias, veló ſilentij gratior teſtatas faciam.

THEOLOGIA GENERATIM.

QVod ille crebrò vſurpabat, Tantùm præcellere hominem homini Sapientia, quantùm homo ipſe brutis Natura: id claro clariùs offertur, ſi hominem Theologum in cœtu plebeculæ numeroſo ſtatuamus. Demus religioſos ſacrorum, demus natos ad pietatem, ad cultum Numinis animos. Quàm aliter à verò æſtimat vulgus? quàm procul à recto? Hæret in minimis, pendet ſtupidus nouitate, attonitus inſolentia, eaque maxima ſuſpicit, quæ nondum obuia; imponit rebus ex vſu pretium, non ex pondere vetuſta quæque, hoc ipſo nomine habet neglecta. Planè ita, Auditores. Si ex omnibus, quæ inter mortales diuerſans perpetrauit Chriſtus Ieſus, admirandis Diuinitatis ſuæ argumentis, illud vnum ſeligamus, quum Lazarum quatriduò de-

functum ad viuos reuocauit, quantus illicò admirationis excessus in turbis? quàm subditus rumor? quam exaggerata prædicatio? Quantus vndique curiosorum concursus? Nec locus multitudini, nec dies spectaculo, nec vox præconijs, nec mens stupori par est. Deum hoc vno prodigio confitentur, millenis alijs minimè creditum. Pudet iam fidem habere oculatus, qui negabant auriti. Ingeminant iccircò ad confessionem voces, ad voces spiritum, ad spiritum anhelos vultus. Substituunt impari exaggerationi silentium, castigant reticentià clamorem, obsignant spectaculum extasi. Fac modò, adsit Theologus, rimetur factum, pensitet, sedeat Iudex in causa. Quid, obsecro, pronunciaturum eum putas? Nequaquam, dicet, in maximis Christi operibus esse Lazarum rediuiuum. Sic enim arbitror vobiscum, Auditores. In huius demortui suscitatione tria in primis perpendi oportere, Efficientem causam, rem effectam, & modum. Aio enimuerò de singulis, miraculum haud maximum omnium id fuisse. Primò igitur occurrit. Efficiens Causa Christus. Hunc tu siue Deum consideres, profectò infinita cùm agat virtute, cur inferes, maius hoc illo cœptum existere, Deo quippè prompta est pariter molitio Vniuersi Orbis, atque vnius musculæ? Siue hominem obserues: neges tu, per humanitatem ipsam vt instrumentum Diuini Verbi, cui innititur, patrari miracula, ac proindè facilitate pari eleuari hocce instrumentum ad hunc, ad illum gignendum effectum: suam enim virtutem ex superiore causa totam pendere? Iam si disputas de effectu, ne id quidem euinces cum vulgo. Siquidem prodigiosæ huius actionis effectus, cùm ipse sit Lazarus rediuiuus, citra admirabilitatem quidem est; seu ipsius animam, seu corpus, seu tandem compositum spectes. Ac si quidem animam, quæ recepta iam fuerat in infernas Sanctorum Patrum sedes, non nisi Pijs Manibus, Deoque gratiosis hospitales, quid vetuit reducem fieri in nostras terras, atque ibi Diuina gratia confirmante insontem reddi, conditione sui status adhuc integra? Quòd si damnatorum sedes infimas petijsset, aut definitiua sententia æterni Iudicis, aut etiam suspensiua, mirandum profectò, indè illam euocari: definitiuà quidem, nec enim quemquam Deus aliquando soluit hac lege: suspensiua verò, quòd perrara extant exempla, & ea fidei plerumque dubiæ. Certè quod est celeberrimum omnium de Traiani Cæsaris anima trecentos post annos Oratore Diuo Gregorio Magno è Tartaris erepta, in quæstionem adhuc vocatur à plerisque Theologorum, à plerisque refellitur.

Quid autem Corpus? Nondum putri vitiatum, nondum solutum in vermes: fœtens id quidem, hoc est ad corruptionem iam vergens, non pertinens; facilius ergo reuiuiscere. Nihil minus de Composito. Nam satis animam inferi corpori. Maius longè de illo Cæco, cui negatos à Natura oculos indidit Christus, de integro condens organum. At verò Lazarum suscitaturus nil habuit condendum. Quare ne ex effectu quidem agentis Christi, miraculorum hoc maximum appellandum. Reliquum est, vt tanti facinoris modum expendamus. Quid autem? Orat Christus Dominus Patrem, amoueri iubet lapidem, vocem elatam adhibet, denique vt prodeat, inclamat Lazarum. His omnibus, si benè aduertitis, extenuatam rem potiùs, quàm amplificatam videtis. Primò itaque orare (quis neget?) inferioris est; oratur quippè Superior. Ergo demittere se potiùs, atque abijcere videtur Christus fundens preces ad Patrem; Vt enim Agens morale, non homo spectari debet, sed Deus (Actiones namque suppositorum sunt) nihilo propterea Patre inferior maiestate, imperio, omnipotentia. Agè verò. Lapidem iubere tolli, nonnè palam miraculo detrahit? Expirat de Cruce Seruator optimus, atque ad vnum clamorem tam multos defunctorum Patrum ad vitam excitat. Quis tùm illis reclusit tumulos? quis reuulsis feralibus molibus patefecit? Nemo. Suos ipsi panderunt sinus, ipsi per se excusserunt recalescentia ad vitam cadauera. In Lazaro itaque eleuabitur cum lapide ipso miraculum. Sed iam vocem suam quid ni contineat Christus, aliena, si velit, contentus, putà Angeli? hac autem meliùs hominem hunc vnum demortuum, quàm olim genus hominum vniuersum ad extremum iudicium *in voce Archangeli, in tuba Dei* vocalissimà suscitabit. Sed in voce sua, & ipsa elata, quàm discrepans ab opere Dei Conditoris primario, quo dixisse fertur, non exclamasse, quæ scilicet imperio facili, nec quasi enitens cum eiulatu puerpera, sed quasi consummatus artifex per ludum procreabat. Arctiùs, si placet, differamus. Integrum orationis membrum, *Lazare veni foràs*, nonnè plùs nimio redundat? Vnum verbum abundè fuerat, vt aiebat Centurio, *Dic tantùm verbo*. Quid inquam verbum? Voluntatis actus simplex; siquidem in anima Christi beatissima, vti nobiliore hominis portione, atque omnium operationum intrinseco principio sita est ex Diuo Thoma tota ipsius potestas ad miracula. Denique appellet Lazarum, circumscribit vtique, atque in augustias cogit imperium suum in mortuos infinitum: Quibus mortuis demus insonuisse vocem Christi cien-

tis

tis promiscuam, rediuiui momento citiùs vniuersi præstò fuissent. Vnus ergo Lazarus inter innumeros defunctos accitus vix numerum videtur facere inter prodigia Christi Dei nullo numero comprehensa. Quæ cùm ita sint, ne ex modo quidem probauerit Theologus communem vulgi sententiam. Admittet certè cum Diuo Petro Chrysologo, *signum signorum hoc esse*; nec iniuria, specie namque rerum externa capitur vulgus; & signis rerum, non rebus. Subscribet vltrò Diuo Augustino, *Inter omnia miracula, quæ fecit Christus, Lazari resurrectionem maximè prædicari*. Et merito; quod enim mirantur, hoc maximè prædicant turbæ. Verùm in quo potissimum admiratio sit collocanda, in quo impendenda ad prædicationem eloquentia, id certò docet Sacra Theologia. Hæc hominem reddit in Diuinis perscrutandis rebus sua maiorem conditione, tanto propinquiorem Deo, quanto reliquis hominibus superiorem, qui res Diuinas humani tantum iudicij lance perpendunt. At satis Theologicæ excellentiæ prolusum. Vos, studiosissimi, periculum ex vestra virtute facite, excussis Thesibus per me exhibendis.

GRATIÆ.

SI quid ego scitè disputaui, miraculum vestrum fuit, Humanissimi Viri: Vestræ vocis, Impugnatores, qui me inscitiæ sepultum in tumulo excitastis ad sapientiam: Vestræ attentionis, Auditores, qui silentio isto animastis ad disputandum. Sed vt vox vestra beneficium vitæ mihi contulit, ita silentium vocem negat, ne agam beneficio amborum pares gratias.

THEOLOGIA.

ADorat veterum famam posteritas, humanamque mentem, Diuinæ particulam, inexpletam rerum notitia, & nouis in dies oblatis formis consummandam suspendit votiuam (heu) tabulam, & ipsam propè rasam, in Templo profanæ Philosophiæ donarium. Id quòd posteritas eadem tacitè damnat tot amœna identidem producens ingenia, quibus Philosophiæ veteris firmitatem vel stabiliuit adhuc certioribus placitis, vel verioribus infirmauit. Ac ne per ambages deducamur, Auditores, teneamus Primipilum philosophantium Aristotelem, cuius extat in Meteorologicorum secundo doctrina de situ Orbis habitabili, non modò suis temporibus religiosè accepta, quòd ab Aristotele tradita; sed etiam consequentibus multis in verba tanti Magistri iuratis

trita, & inconcussa. Quod verò sæculum aureum (dicet hic aliquis) aut quis benignior astrorum concursus feliciorem Aristotele mentem effudit? Illud ipsum dico Cælum, quod Aristoteli producendo benignioribus ante id sæculum astris conspirauerat; Experientia nimirum omnium magistra rerum, tantique alumni parens, in quàm ille artis omnis & scientiæ refundit principia. Anne aliquid noui afferat experientia, quòd Aristotelem fugerit? Tantùm id quidem noui, quantus est Orbis nouus à nostratibus exploratus, quanta ex Orbe etiam antiquo pars non minima. Committamus parumper cum huius philosòphia experientiam. Nam quod geogràphos veteres deridet habitatam circulariter Terram describentes, deridendus ipse contrà se se offert recentibus, qui in illo veterum commento semen quoddam agnoscunt eius, quàm vsu postmodùm perceperunt, intelligentiæ. Hoc, inquit, ἀδύνατον est κατά τε τὰ φαινόμενα, καὶ κατὰ λόγον; *Et secundùm apparentia, & secundùm rationem*. Iam si rebus apparentibus nititur tanti Philosophi disciplina, frustrà latentes inuestigabit essentias rerum, dabitque veniam Pythagoræ, quòd in hominum opinatione, ac rerum aspectu veritatem constituat, & scientiam. At, inquies, apparentia eadem facio cum experientia. Vsu quippè atque exercitatione hominibus Ars & Scientia comparatur. At quoniam sensu experientiam istam tenes? Visu enimuerò, quia apparentia sunt: oculata igitur, & specie non fallente comprehensa. Sed cuiusnam, cedo, visu? cuius oculis? Non tuis certè, nam neque tuis emensus es Orbem gressibus. Alienis itaque oculis videris, necesse est, & Causam scientiæ tuæ, fidei commiseris alienæ. O præclaram philosophandi viam. Adeste eluscati, adeste cæci: presto sunt insititij oculi, quibus feliciore ingenio, quàm Galileicis conspicillis remotissima locorum vel ad opposita vestigijs nostris distinctissimè concernatis. Sed ecce occupantes intelligo complures oculos, alios post alios, & rem mihi totam concordissimè subijcientes; vt, si apparentibus nitendum putat Philosophus, iam topographis multò pluribus apparentia, imò sensibus explorata omnibus fidem certam concilient. Quid autem? Profert ille nauigationes, & itinera sui temporis. Errores ergo mortalium terra marique facit firmamentum sui placiti. Siquidem errasse incertis cursibus homines eius sæculi, tam liquidum est, quàm posteros inuisas antè illis oras, tractusque immensos terrarum patefecisse nostratibus. Et quidem nostrates ipsi quotidianis, & iam vulgaribus obiectis opinationem Stagyritæ obliterant: arguuntquè Primùm, totam à colum-

columnis Herculis ad Indiam vſque longitudinem non modò non eſſe maiorem, quàm ab Æthiopia ad Mæotin, extremaque Scythiæ loca, vti quinque ad tria. Sed, ſi vltima compenſetur Æthiopia, quàm is ignorauit, imò & quidquid Æquatorem excedit, ac Tropicum Capricornij ad vſque Bonæ ſpei promontorium Luſitanicis claſſibus luſtratum, indèque ad vltimam Scythiam, ac Tartariam latitudo colligatur, vtique totam ab Herculeis columnis ad Indiam vſque longitudinem exæquandam fore: Deindè habitabilem terram ad polum Auſtrinum ſitam, quæ etiam noui Orbis nomen obtinet, nequaquam ab Ortu in Occaſum ſuam protendere amplitudinem, vt Ariſtoteli videtur, ſed à polo ad polum, (ſecundùm latitudinem igitur, non autem longitudinem) non tam hodie videtur Orbi noſtro, quàm videt idem Orbis, ad alterum ipſum commerciorum gratia continenter migrans. Videt autem coràm, non abſens; non alienis, ſed ſuis oculis, Zonam torridam, quæ inhabitabilis Philoſopho apparebat, frequentiſſimam quidem habitatoribus, vberrimam pabulis, lætiſſimam aquis, temperatiſſimam Cælo ſupra omnes Orbis terrarum regiones. An verò vnus Stagyrites conductitijs paucorum erronum oculis Orbe toto præſentiſſimo atque oculatiſſimo perſpicaciùs cerneret? Parcamus (dicet aliquis) homini, quà homo eſt, fallacijs alienis obnoxio: Hallucinari quippè ſenſu poteſt Philoſophus, non ratione, cui firmiter hæret. Atque hic alter eſt Cardo Ariſtotelici placiti, quem quidem altero reuulſo luxari conſequens eſt. Vna enim veritas rei, in quàm ratio, experientiaque conſentiunt. Sed quæ iſta ſit ratio, attendite philoſophantem. Neceſſe eſt, inquit, ab exuſto loco flantem ventum eſſe Auſtrum; Ille autem locus propter Solis vicinitatem non habet aquas, nec paſcua, quæ propter liquefactionem facient Eteſias. Doleo, Auditores, tanti Sapientis dictum excipi apud noſtrates expertos cachinnis, & ſibilis; tametſi debita illi vice, qui coſmographos coæuos deridendos, ne dum refellendos putauerit, δὶο καὶ γελοίως, inquiens, γράφουσι νῦν τὰς περιόδους τῆς γῆς. Verùm enimuerò cohibeant ſe illi tantiſper, & ſeueritate philoſophiæ leuitatem componant geſtus. Ego autem ſic diſſero; Vicinitate Solis abſumi humorem, exuri ſolum; id quidem extra Tropicos, vt experimento apud nos euincit tempus æſtiuum. Siquidem intra Tropicos omninò ſecùs eſſe, propterea quòd vis natiua Solis ad exugendos vapores, qui mox ſtillantur in pluuias, quò propiùs incubuerit, hoc agit validiùs, ni deſit humoris materia, quàm certè deſiderare non

poteſt

potest subiecta torridæ Zonæ regio. Eam quippè & circumfundit immensus Oceanus, & quamplurimæ, ac perpetuæ aquarum scatebræ in amplissimos fluuios, & lacus confluentes, supra quàm alijs vsquàm in terris cernatur, mirandum in modum alluunt. Itaque quod apud nos hyemem ab æstate distinguit, frequentia imbrium, & humoris copia, hoc illis æstatem facit; hyemem contrà serenitas Cæli perpetua obtinet, ardore nimirum Solis ex ipsiusmet recessu castigato. Ac ne absurdum putes, præsentia Solis, calorisque copia generari illic imbres, quòd hic absentia fieri solemne est, & caloris inopia: Nonnè & calidus ignis, & pariter frigidus ventus humentem vestem exiccant? Solis radius tenuis nullas trahit ex fluuijs nebulas; validus, si tractæ sint, dissoluit? Cibi tenuitas extenuatum diù necat animal, redundantia similiter necat? Vno verbo, nonnè eadem à contrarijs causis effecta, diuerso tamen modò proficiscuntur? Sic ex innumeris Naturæ atquè Artis experimentis inducere liberum est; Et hoc igitur ἀδύνατον (* *Impossibile*) dicet Philosophorum Antistes, quòd præsentia Solis nimiùm propinqua sub Zona torrida non secùs, ac eiusdem sub alijs Zonis absentia copiosas cieat pluuias liquatis vehementiore æstu, quos vastitas circùm maris, & fluminum, stagnorumque passim frequentia copiosissimè subministrat, in largos imbres, præmaturosque nimbos humoribus? Intelligat nunc licèt, vt extra Tropicos leuare quidem potest Sol vapores per hyemem recedens, absumere autem non potest ob remissum calorem; vt ij proindè magna copia in aëre coëuntes, frigoreque concreti paulatim in pluuias resoluantur: Idem autem Sol accedens tantùm affert caloris, vt humores simul & attollat, & dissipet, & resoluat. Intra Tropicos verò planè aliter: vbi absentia Solis tanta, quanta in reliquis terris præsentia. Serena igitur fiat, & sitiat per hyemem Torridæ patens ora, necesse est, per æstatemque liberaliter bibat. Verùm non est ea mens nobis, vt vellicemus meritissimum alioqui de hominum genere Philosophum, sed vt humanæ philosophiæ tumorem paulisper reprimamus; quò religiosiùs in sacram Theologiam agant nonnulli Aristotelici: Quibus, quod ad libellam Aristotelis non ponitur à Theologis, quia nimirùm sublimiore nituntur principio, nec lumine naturæ, sed fidei Diuinæ dictamine reguntur, futile iccircò videtur, tantùmque ratum ac firmum, quantùm ratio Philosophiæ suffragetur, quæ & firmitatem habet, & euidentiam. Iam quæ isthæc euidentia Philosophiæ sit, satis vidistis, Auditores, in Philosophorum

principe cæcutiente. Quæ verò firmitas, satis indicat infirmatum experientia totius posteritatis insigne placitum. Conuertamus nos quæso ad firmiora: & Sacræ Theologiæ positiones, sin minùs apparentes; certas tamen, & cælesti veritate immotas feliciore negocio agitemus.

GRATIÆ.

STeriles terras aquis, carentesque pabulis ex propinquitate Solis sub Torrida Zona autumabat Aristoteles. Sed perperàm. Nostris quidem in terris sub temperata Zona hoc ipsum fieri tùm experientia rei commonstrat, tùm simile exemplum ex me petitum firmat: Hodierna propinquitate, ac præsentissimo fauore vestro, Auditores, qui Solis lucem beneficentia æmulamini, omnem mihi gratiarum agendarum venam sterilescere.

THEOLOGIA GENERATIM.

PVerilis quidem fastus, & æquitantium in arundine triumphus Antiquariorum, quàm multos (heu tamen) oculos perstringit, vt Florentia sua ingenia fructibus nata Sapientiæ addicere malint arenti, ac putidæ vetustati demetendæ. Mancipia verò gloriæ indecora gratiam magnam inire se putant doctorum virorum, si ex veterum monumentis Græcorum, ac Latinorum abditi quippiam, & exotici de Coronis, de Numismatis, de vestibus, de Symposijs, de moribus institutisque Priscorum euulgare sibi primò succedat: Si qua in parte Colossum, si qua Statuas, si qua Columnas, si Pyramides, si Triumphales arcus, si vetustam inscriptionem, notas, characteres vendicare, in communemque aspectum educere. Vrget enim (quis neget?) animos leues, & velut folles impressos attollit, quod eruditos sudata fronte certantes aduertunt in id genus scriptis perquirendis: quòd vix primam in lucem edita, ceu patefactas gazas sapientiæ incredibili studio ebibunt oculis, manibus sedulo versant, suspiciunt, exosculantur: horum Auctores inserunt Parnassi Numinibus, Apotheosi dignos renunciant. Verùm enim verò detur virtuti hocce studium non illiberale: detur otium minimè turpe commendationi. Vtinam hic sistat insulsum sæculum. At obsecro si tanto cum studio, si tanto cum impendio in profanas res, in caducas, & eas non oppido necessarias vitæ, nonnullas paullùm vtiles, plerasque inanes, & futiles feruntur proni

alioquin

alioquin ad ſapientiam homines; quid illis foret agendum in ſacras res, natu perennes, ad virtutem ſolidas, ad ſalutem opportunas, ad immortalitatem neceſſarias? Quid, inquam, agendum in ſacroſanctæ antiquitatis inquiſitionem, in peruestiganda Chriſtianæ Rei primordia, ſtabilimina, incrementa? Quid in eas cæleſtes æternitatis gazas piorum Manibus adapertas; in Euchariſticæ menſæ delicias noſtro mortalium palato ad æmulationem Immortalium, ad beatitatis cæleſtis arrham inſtructas? Quid in laureas inuictiſſimorum Eccleſiæ Heroum contra Lernæa Ditis monſtra pugnantium? Quid in Sanctorum Patrum monumenta ſempiterna? Quid in virtutum Diuinarum ſub humanis membris icones, & ſigna? Nonnè cum ijs iſta collata digna prorsùm homine videbuntur, hoc eſt illo digna, cui & in animantes vniuerſas imperium, & cum Indigetis commercium & cum Numine ipſo æterno affinitas ac neceſſitudo iure conditionis obuenit. Grauis in ſententiam noſtram Doctor gentium Paulus hauſtam cælitùs diſciplinam docens Magnum alumnum Timotheum: *Stultas* (inquit) *& ſine diſciplina quæſtiones deuita, ſciens, quia generant lites.* Videant hi, licèt, videant, quid humanæ intelligentiæ commune cum ſtultitia ſit, quid doctrinæ cum diſciplinæ deſiderio, quid denique contemplantis animæ tranquillitati cum diſſidiorum æſtu, cum fremitu litium. Vix expedierit ſe multis Paulus paucis ex ſyllabis, vbi cenſorium illud epitheton ἀπαιδεύτους, quo nobiliter ſatis notari auctores eiuſmodi quæſtionum putauit vulgatus Interpres, defectas ipſas diſciplinà pronuncians, indoctas tranſtulerit meliùs Demoſthenes, inſolentes Budæus, vt ſuam hinc doctrinam multiplicem, vt grauitatem ſtudiorum præclaræ iactent tumidi iſti cultores ethnicæ vetuſtatis. Tù verò (cauet ille) hæc deuita. Minùs dixit Interpres, παραιτοῦ, auerſare: Refuge, ſuſceperit Herodianus: Excuſa, veniam poſce, Ariſtides; credo, feſtiuo more illius ſatyrici, qui quos antè ſapientes habebat, poſt delirantes aduertens, commeatum ab his ſalutabundus petebat. Philoſophetur iam nobis Paulus veritate placiti ſui demonſtrata: ſciens, inquit, quia generant lites. Quaſi ſcientiam eius rei non opinionem rogatus Magiſter ſcientiæ callidiſſimus ab eo petat effectu, quem olim ſapientiſſimus mortalium Salomon ſuggeſſit, cùm in pœnam corrupti ingenij traditum à Deo Mundum diſputationi hominum affirmauit. Quid enim veſanius, quàm ex Mundi ſtructura admirabilitatis plena non ſapientiæ, ſed moleſtiæ; non conſilij, ſed diſſidij; non voluptatis, ſed curæ fructum quærere?

Tibi enim conflat hæc moles, Homo, tibi concinit hæc Vniuersitas, tuum vt colas ingenium, non dissipes; vt pascas, non torqueas; vt bees, non crucies: Demum vt ex opere tanto in Auctoris lucem traductus, eius in amore felix conquiescas. Hæc nostræ summa salutis, hoc boni compendium. An verò non futilis est assecutio antiquitatis, ni nos antiquis præditi moribus metam æternitatis assequamur? Quid autem præmij antiquitùs, quid ornamenti, quid honorarij decerneretur publicè magnis viris: quibus exararentur notis pericula virtutum illustria, quibus monumentis consignari solita, trophæis extolli, signis dedicari, Ecquod est (obsecro) pretium operæ, vt ipsi nouerimus, si cum pretio exacto ipsa tandem opera perditur? si de alijs soliciti, nostrummet ipsorum incuriosi reddimur? si denique gloriam nostram sempiternam pro temporaria, & ipsam (heu) aliena, & prorsùm, extrariâ paciscimur? Quò sanius præceptum imbiberent capita ista curiosa, si cùm ipsis pariter, & cum Timotheo ita colloquentem Paulum attenderent: *Tu verò permane in ijs, quæ didicisti, & credita sunt tibi, sciens, à quo dedíceris, & quia ab infantiâ sacras literas nosti, quæ te possunt instruere ad salutem.* Proh dignam Paulo sapientiam. Hi sunt (Ingenue quisquis ades Adolescens) hi sunt, quos ab infantia sitire te vnam cum lacte fontes oporteat, quos *ad æternam vitam salientes* latices irrequietus pertentes, Sacram dico literaturam, Cyclopædiam (si profanis placet ingenijs) eruditione ditiorem, amænitate iucundiorem multò quàm nescio quas Pandectas, Acroamatica Dipnosophistica, Epidictica. Vilescet (mihi crede) vbi Mosen explicaueris, fastus Platonis, Stagyritæ subtilitas, Isocratis decor. Desipiet Xenophon, vbi Salomonem gustaueris. Sordescent Athenæa, vbi Diuini vates occurrerint. Silebunt Antiquariorum miracula, vbi oracula Christi Dei Seruatoris personuerint. Neque enim hæc iacere nos finunt in terris, non inter sordes mortalitatis relegari, non temporis iugo subijci, aut cum caducitate sæculorum ad consimile fatum vrgeri, quin eorum, quæ iam mente imbibere, spe consecutionis erectos ad sedes æthereas solida cum felicitate obtinendas vocant. O beatam anhelantis animi quietem, O mortalis curriculi metam suspirandam. Quæ igitur ad salutem instruere possunt ex Paulo sacra Theologorum placita ea nè renuite (Viri ornatissimi) ad disputationem instruant vestra præ alijs maximè polita, & amæna ingenia.

GRATIÆ

GRATIÆ.

STultæ, ac ſine diſciplina quæſtiones vitandæ, inquit Diuus Paulus, quia lites generant. Scitiſſimè verò. Sed & ego agendarum gratiarum affectationem quia nauſeam ciet, apud vos ſapientiſſimos æquè, & grauiſſimos viros euitandam puto.

THEOLOGIA GENERATIM.

NVllum dicere auſim maius teſtimonium, quàm ab ethnicis philoſophis accepiſſe videtur noſtra Chriſtianorum Theologia: nullum, quàm ab illorum infirmitate, firmius; ab errore, certius: ab ignorantia, notius; à cæcitate clariùs ſibi præſidium obueniſſe. Vix enim dici poteſt, Auditores, quàm enixè perſecuti ſunt ij fugientem ſua ingenia Sapientiam: quàm anxiè peruestigauere latitantem, quibus artibus, quibus machinamentis reluctantem pertentauere, ſed in caſſum: vt qui conſilio incertò, atque erratico reliqua vndequaque omnia, præter ipſius centrum Sapientiæ Deum venabantur. Itaque cùm diù, multùmque philoſophando fatigauerint ieiunum caput, haud mirum eſt, ipſos tùm demum inſaniæ conuictos, confutationem ſuorum met dogmatum, totum philoſophandi pretium feciſſe. Nam quid Platonem à ſe ipſo longiùs abſtraxit, quàm ſeparata illa idæa, (hoc eſt exemplar omnium rerum) non ab ijs modò rebus ſeiuncta, ſed ab opifice Deo, à quo ſecundum eſſentiam quidem haud quaquàm dependeat, ad Mundi verò conſtitutionem cum ipſo ſimul, & cum materia conſpiret? Quaſi non vnum, ac ſingulare principium rerum omnium apertè monſtrent conſentientes in vnum, atque vnum quaſi corpus conflantes partes Vniuerſi. Quid autem Pythagoræ famam ſtudio temperantiæ, ac ſanctitudine morum apud ethnicos celeberrimam retractauit, præterquàm ſomniata illi neſcioquæ Metempſicoſis, ac Palingeneſis animarum, ex qua moueri non leuis ſuſpicio facilè potuit, ne, qui doctiſſimè Philoſophatus fuerat Pythagoras: vt ſe fuiſſe priùs meminerat Euphorbum Græcis minacem; ſic poſtea excedens mente ſimul & vita, cùm hæc effutiret, in ſuem fortaſſe migrauerit, philoſophantibus obſcænum, tàm à vera abhorrentem Sapientia, quàm Numini Mineruæ inuiſum. Quid Annæo Senecæ dignam ingenio aulico eloquentiam, atque inſtitutore Principum diſciplinam fœdauit, niſi quæ is ipſe poſt cenſuram morum egregiam ſcripto exemploque vulgatam, de

Animis

Animis tandem, de Virtutibus, de Vitijs tamquàm materiatis ijs, & corporalibus differit infelici per Epistolam totam argumento? Siquidem Heraclium succidisse miserè in delirium videmus ex ea quæ visa sibi est ante oculos, irrequieta vertigine Vniuersi, nemini vni Philosophorum siue ante ipsum, siue post aliquando (quod miremur) obseruata. Sed Niciæ contrà, & Aristarchi miseranda stupiditas, autumantium immotos perenniter Orbes Cælorum, constantique quiete veluti stupidos. Quid Parmenidem loquar? quid Melissum? duo illa monstra barbari ingenij tumultuarijs formis horrenda, quibus omnia vnum visum est; Sed (meliùs) ambo isti nihil visum alijs; tametsi multi multa interpretantes mitiùs, excogitare studeant in monstro mysterium. Et illi quidem mouerent stomachum, nisi ineptias suas lepore condirent, Leucippus, Democritus, Anaxagoras, Epicurus, ponentes atomos infinitas, sectiles, planè solidas, atque omnium patibilium qualitatum expertes, quarum & ex concretione coaluisse Mundum & ex dissolutione dissoluendum tradunt, ad eum ferè modum, quo ex literis viginti quatuor variè congredientibus existit varietas omnis dictionum, & ex digredientibus desistit. Nec verò putet vel Panspermia sua Milesius, vel Omiomeria Clazomenius, quantumuis Græciam redolente titulo, conciliare auribus philosophantium, quòd vix inter aniles fabulas locum repererit. Ridenda enim sunt ista sanis ingenijs. Sed illa cui bilem non cieant, quæ de Animo nonnulli decernunt, fuimet ignari dicam, annè sicarij? Nam quid crudeliùs, quàm immortalem Animum sub iugum mortalitatis cogere? Quid vnà dementius, quàm aut immortalem ipsum in bestias reuoluere, aut mortalem admittere corpori intereunti superstitem, vel ad diuturnum, vel ad paululum tempus? Quosdam enimuerò Nosocomion manet, qui sensibus corporis credendum vel semper esse, vel nunquam definiunt: in alterutro quippè egregiè mentem laborare nisi mentis inops nemo non videt. Quid plura? Non eguit profectò Veritas externo præsidio, quo tam varias, tamque pingues ineptias reuelleret. Iidem ipsi Auctores intestinis prælijs fracti iacuerunt. Eædem ipsæ Athenæ & Epicuræos complectebantur, & Stoicos; illos humanas res ad Deorum curam docentes minimè pertinere, hos contrà Dijs adiutoribus, atque tutoribus muniri. Eædem & Aristippum probauere, in voluptate corporis summum bonum statuentem, & ex vnà ipsa Socratis schola Antisthenem virtute animi potiùs hominem beatum fieri: Illum quoque, fugiendam esse sapienti: hunc

ti: hunc verò, esse administrandam Rempublicam. Eædem simul in vnum, atque in innumeros Mundos consensere: Vnum illum & ortum esse, & ortum nescire; Interiturum illum aliquando, & semper futurum; Illum denique mente Diuina; illum fortuitu, & casibus agi. Quid? dissimularent, si possent, isthæc deliramenta, quæ palam per Vrbem, in conspicua & notissima porticu, in gymnasijs, in hortis in sedibus publicis, in compitis penè dicam, ac triuijs cum calore, ac tumultu agitabantur. Atque hæc monstra dogmatum (Viri Auditores) quibusnam præterquàm suis Auctoribus non essent exosa? Quis per hæc turbida sæcula ita fureret suismet placitis obcæcatus, vt non alienam cæcitatem conspiceret, furoremque damnaret? Aristoteles, inquit Cicero, veteres philosophos accusans ait, eos aut stultissimos, aut gloriosissimos fuisse, qui existimassent philosophiam suis ingenijs esse perfectam (oculatus ille quidem ad alienam cæcitatem) sed se videre, quòd paucis annis magna accessio facta esset, breui tempore Philosophiam planè absolutam fore. Et ipse igitur cæcus in suo sensu. Quod enim, cedo, id tempus fuit absoluendæ Philosophiæ, aut per quos denique absoluta? Nam quòd stultissimos vocat veteres, & gloriosos; caueat ipse, ne gloriam incrementi philosophici sibi apertè arrogans, in stultitiæ continens vitium delabatur; Philosophiam volens à veteribus cœptam, à recentibus auctam, à posteris mox fore perfectam. Annè verò ordiri potuerint veteres sapientiam, qui errorum seriem turbulentissimam condendæ philosophiæ specie texuerunt? Annè augere recentes, nisi recentibus ineptijs, qui veterum similes, aut etiam tetriores in ambages subibant? Annè denique posteri mox absoluere, quibus in Ethnicismi nocte sepultis multas adhuc ætates suspiranda erat promissa Cælitùs æternæ veritatis Aurora? Hac certè, hac albescente tùm demùm fugam cæpere impiæ religionis vaga sidera: hac explicante purpuram lucis, & è gremio iam Solem proferente, quàm serena patuit, quàm perspicua rerum quoque cæterarum, præterquàm quæ de Deo est, veritas? Quàm multa sublata menda è Philosophorum scriptis? Quàm multa de integro substituta placita? Quàm firmiter stabilita apud nationes omnes principia rerum ab ipsis Mundi incunabulis? Quàm magnificè expositum Dei conditoris opus, prouidentia, regimen? Quàm cautè admoniti mortales immortalium animorum ac destinatæ sibi in Cælis patriæ felicissimæ? Quàm scite accliuia virtutum, ac deuia vitiorum indicata? Quàm fixè propositum album votorum

rum

rum noſtrorum in vno Deo beatitatis fonte inexhauſto ? Hæc, hæc Euangelij gloria, Auditores: hic bono fato vtentium ingeniorum noſtratium triumphus de priſcis Ethnicis. Vtinam ea mihi eloquendi vis eſſet, qua liceret in huius rei teſtimonium texere pro dignitate encomium illius viri, cuius ſingulare ingenium, & per ſacros Theologiæ riuos excultam, ac conſummatam ſapientiam peruagata multos iam tractus terrarum fama in Cœlum tollit. Te hic appello, N. N., &c. * (*Inſeretur hoc loco breuis laudatio, aut Doctoris, cui propugnator Theſium dedit operam, aut Viri, cuius nomini dicatæ prodeunt Theſes*). Verumtamen non eſt hic laudum tuarum campus, vbi operam meam præſtolatur aliorum quoque ingeniorum gloria, à quibus vt & aliquid hauriam ſapientiæ, impugnandas meas Theſes mox offero.

GRATIÆ.

EXplicatæ per vos Chriſtianæ ſapientiæ, nihil eſt vltrà, quod ad complementum deſideretur. Nec veſtræ, præſtitæ in me beneficentiæ vltrà eſt, quod gratijs agendis ſufficiat.

THEOLOGIA GENERATIM.

PHilautiam, Amorem ſui immodicum, ſuo cuiuſque inſectandam odio, oſtraciſmo ſempiterno relegandam à publico, pro ſuffragio communi nigro Theta notandam, niſi verus in ſe ſe amor, & ex regula rationis compoſita mens ſuaderet, euinceret ſanè perturbata ſemper improborum hominum pugnantibus inter ſe ſententijs, & ciuium funeſtis diuortijs fœdiſſimè diſcerpta Reſpublica. Parui eſt, Auditores, accendiſſe in mutua bella philoſophos: quibus, vt erat commune propoſitum profiteri amorem Sapientiæ; ita communia quoque ſtudia eſſe oportebat, conſentientes labores, vnanimes conatus: vti quod effugeret indignabunda ſingulorum auſum humanis ſenſibus altior Sapientia; conſpirans certè vniuerſorum contentio teneret, inclinata ad nos homunculos Maieſtate Naturæ, exorato fauore, deprehenſis miraculis. Hoc (dico) quamquàm magnum, parui eſt. In humanis nos tandem ſiſtimus, nec niſi Naturæ proterimus ſpatia. Quid, quod Diuinis quoque inſultat hoc monſtrum, & fontem nobis pellucidum æternæ beatitatis turbat? Orat hic vocaliſſima Chriſtianorum Reſpublica cæleſtibus olim fundata placitis, ſancita theorematis citra problema ſtabilibus, & inconcuſſis, quàm ſæpè (heu) furioſorum capitum commen-

tis,

tis ceu fœtibus viperinis torta, in partesque discissa? Ita enim habita res est, Auditores. Contaminatissima omnium culparum Hæresis Philautiam agnoscit parentem. Amore sui concepta libido est, cuius faces incendium prauorum dogmatum ad extinctionem Christiani nominis, si fieri posset, excitarent. Quid autem tàm damnatos inter amplexus, nisi monstrosissimus fœtus existeret? Quid è tam vitiata radice, nisi germina læthifera pullularent? Cauit hoc quidem initio, cauit tempestiue, sed frustrà plena minarum parænesi Doctor gentium Paulus secunda ad Timotheum epistola: *Hoc* (inquit) *scito, quia in nouissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt* (subdit) *ἄνθρωποι, φίλαυτοι, homines se ipsos amantes*. O tedas busto dignas magis, quàm thalamo. En subsecuta mox proles; *Cupidi, Elati, Superbi, Blasphemi*. Sic Paulus. Is enim malorum chiliadem percensurus, præmisit omnium causam: hydræ portentum produxit, vt capitum fertilitatem tristissimam indicaret. Quorum, etsi loco postrema; princeps tamen est veneno blasphemia: nec ea quælibet, sed quæ ex animi pertinacia, & obstinatione sententiæ in hæresim abit. Est planè, est (vt lyricus cecinit) *cæcus amor sui*; atque ita impotens oculis, vt sua sibi duntaxat placeant, suis sibi inuentis theatrum constituat, vnus ipse Roscius, verius vna fabula, nisi quòd & scenæ quandoque submotus eandem fabulæ personam sustinet, nullis concionis susurribus commonefactus, nullis inclamationibus territus, nullis explosionibus reuocatus. Planius igitur. Proximus ad hæresim gradus, Amor sui. Quid Amor dico? Annè odium capitale nomine Amoris censendum? Quid enim humano generi perniciosius, quid exitiosius Amore sui singulari? Hic primi sceleris primus parens, idemque proles primogenita. Inter scelera educatur, inter errores adolescit, inter noxas prouehitur. Pusio hic Amor est consilio, at vitiorum grandæuus genitor. Prudentia nudus, sed mores indutus prauos: recta cæcus ad opera: sed exitio alieno oculatissimus. Aliger ad Tartarum, ad Empyreum claudus. Ratio illi incurua pro arcu, pro telis affectus effrænes: mirum tamen, vt Cælo potiundo inermis visitur. Oscula porrigit, & ipsa sunt vulnera: Illecebras adhibet, & ipsa venena: Abblanditur, & enecat: Amoris vsurpat vocem purus liuor. Dic tu violentum flatum Amorem sui, qui tartareo eruptus antro ædes virtutum firmissimas demolitur. Dic pelagus æstuosum instructiora virorum præstantium nauigia absorbens. Dic insidiosam Sirenem mentes quasque sapientissimas mellitis cantibus blandæ voluptatis

illectas deuorantem. Dic horrendam voraginem, qua miserè demersa prudentia cernitur. Dic fœdam luem, optima quæque corrumpentem facinora. Dic pauendum regulum intuitu ipso molimina præclara venenantem. Dic Hydram tot in capita tortuosa surgentem, quot suscitat insanas libidines. Dic Tigrim truculentam, tot distinctam in cute maculis, quot in pectore ciet affectus. Dic refractarium Equum, cui rectæ rationis frænum auratum neglectui est. Ni fortè meliùs dixeris: Hic Amor Circææ instar virgæ in bruta homines fœda metamorphosi conuertit. Hic in Caucasio veluti iugo adamantinus nexus religatum tenet Prometheum, exedente continenter Aquila cor. Hic blandula quasi Onfale fortissimo mortalium Herculi leoninis exuuijs simul ac dignitate spoliato in honorum fusum cum colo præ manibus constituit. Hic assentatrix altera Dalida suo in gremio prodigiosam Samsoni præcidit comam. Denique hic fons vitiorum est, dissidiorum seminarium, fomes libidinum, virtutum tumulus, omnium faber malorum, Satanæ vicarius, riualis Dei, tyrannus mortalium, fecialis bellorum, vastitatum minister, magister scelerum, flagitiorum patronus, incendijque Tartarei pabulum sempiternum. Sed hactenus pro loco, & tempore in Philautiam inuectum. Restat, vt scatebras hæreseon detestati perquiramus orthodoxæ fidei latices, tantùmdem in Amorem ipsi nostrum intenti, quantùm Amore veritatis, in quo publica felicitas, & salus animorum nititur, inflammati. Id quòd per commodè certè præstabitur, si exprompta per me Theologicas assertiones curiosa ingeniorum vestrorum indagine lustraueritis.

GRATIÆ.

PHilautiam proscripsimus: Philanthropiam substituo; Amorem ego professus cùm in omne mortalium genus, cuius saluti studere honorificum semper ducam: tùm in vos, Humanissimi Auditores, tàm præclarè de me hodierna disputatione meritus; vt memet oderim, nisi vos vnicè semper amem.

THEOLOGIA GENERATIM.

PHilosophiam dictitant multi (nescio quàm scienter dictum) Sacræ Theologiæ indiuiduam administram. Ego istis nec refragabor penitùs, nec penitùs suffragabor. Non enim ea est Philosophica disciplina, cuius fundamentis veritatem Sacræ subniti, aut stabiliri placitis dogmata, aut (quod est maximum) aperi-

aperiri ad eius consecutionem aditum liberè concedamus. Quale verò appellabimus fundamentum, cui subsistentia rei inest nulla? Theologia quidem (nemo negat) apicem tangit omnis sapientiæ: Nata hominibus facultas, sed Numine Doctore, interprete Angelo: Recepta terris, sed in Cælum surgit; petit sidera, ad sedes vsque beatas immortalium Geniorum prouehitur. Vt, si verè affirmant Scholastici; *Intellectum intelligendo fieri omnia*, nostra procul dubio mens, quæ lumine isto Cælitùs collustrante, simul res Diuinas, & ipsum Deum intelligit, non Diuina illa solùm, sed Deus ipse quodammodò effici dicenda sit. Atque ad hunc tantùm Sapientiæ apicem, ad hoc tantùm fastigium, quo non præcelsius aliud, non Diuinius, Philosophia nè gradum præstabit? viam substernet? vestibulum pandet? Humana, dices, sapientia ad Diuinam necesse habet proludere, nè cæco eductos ignorantiæ carcere aperta subitò lux, radijsque densata præstrictos obruat. Perbellè tu quidem. Sed istuc, cedo, humanæ sapientiæ vbinam gentium venditatur? Vnde terrarum effoditur? Ex Philosophia, audio Philosophum, quàm propterea studium Sapientiæ rectè interpretantur Maiores nostri. Itanè est? Tuo tibi nomine occurro, Philosophe; nec quidquam sapientiæ præter nomen, hoc est inanem vmbram, otiosum vestigium tibi concedo. Nam si sapientiæ huic studes, quandiù Philosophum agis: iam nondum tua confessione sapis, sed vt sapere quandoque possis, interim studes. Petas, licebit, ex cæteris artibus præiudicium: quibus si studio impenso imbutus tandem euaseris, iam non artificij studiosus, sed artifex quidem appellaris, rem nomine adæquante. Quid autem facis aliud ex tuo sensu Philosophiam, præterquàm sapientiæ comparandæ artificium? An vbi viam aliquò inueneris, iter hoc ipso confecisse te dices? Vbi ad opificium arma expedieris, ipsum opus absoluisse? Vbi musicum temperaueris organum, iam edidisse concentum? At *amorem* quidem sapientiæ *in nocte* inscitiæ *bibere* facilè potes, sed nuptias illius non ideò assecutus *ûreris infelix Dido*. At enim (suscipis) verecundiæ gratia studiosos se tantùmmodò sapientiæ, non sapientes modestissimi illi mortalium profitebantur, optimè intelligentes, à sapientiæ tramite quàm longissimè illum errare, qui cùm sapientem se curat, tùm palam iactat, sapiens videri, quàm esse malens. Imò verò Pythagoras, qui primus Philosophi nomen inuenit, cùm non de se solùm sciret hoc vnum (vt aiebat) quòd nihil sciret; verùm & de superioribus sapientibus, quòd nihil saperent; nul-

lo quippè humano ſtudio poſſe ad ſapientiam peruenire, contentus ipſe amore ſapientiæ veriorem gloriam ſynceriore profeſſione quæſiuit. Quarè ſcitantibus amicis, quem ſe tandem anxio illo ſtudio faceret; annè ſimilem ſuperiorum ſophorum auram captaret? Philoſophum ſe planè, non ſophum eſſe reſpondit: hoc eſt nihil, ſupra quæſitorem ſapientiæ. Quæſitorem ergo cùm faceret Sapientiæ Philoſophum, iam non ſapientem fecit, neque Philoſophiam ipſam ſapientiam. Quis enim non aliud eſſe, quod quærit, aliud verò, quod quæritur, affirmabit? Atque adeò vt intelligatis, Auditores, paris fuiſſe inſipientiæ, quæſitorem ſe ſapientiæ venditaſſe; atque arrogantiæ venditaſſe ſapientem: neque emendaſſe Pythagoram maiorum ſuorum peccatum, ſed aliud ſubrogaſſe: Quorsùm dabitur homini, aut cui ſeruiet iſta facultas quærendæ ſapientiæ, quà ſemper quæſita ipſa nunquàm acquiritur ſapientia? Nulla ſanè facultas, nulla Ars ad id, quò tendit non aliquando ſaltem perducit cultorem ſuum: quin rectè adhibita propoſito nunquàm fine defraudat, nunquàm ſtudioſi operam ludit: ſed præſcriptas de ſe regulas obſeruanti certò curſu contingendam offeret metam. Quid verò cauſæ eſt, cur tam multis temporibus, tam multis ingenijs in inquiſitione ſapientiæ contritis incomprehenſa adhuc, imperceptaque ipſa ſapientia vota mortalium duriùs fatigat? Nonnè ſit liquidum, Philoſophiam ſapientiæ potiùs deſiderium dici oportere, quàm ſtudium? Deſiderium dico, vbi, quandiù deſit, deſiderium eius, quòd deeſt, ſemper eſt. Hoc ad Philoſophos priſcos dictum volo. Cæterùm habent noſtrates plurimam gratiam tempori, quòd in Euangelium inciderunt, vnde Theologiæ cæleſte lumen Mundus accepit. Ecquis neget non mediocriter conducere ad tuendam, propugnandamque Diuinam Doctrinam, quas ex Logicis depromimus argumentationum formas? Erudiri ingenium Philoſophicis virtutibus ad Theologicas? Expediri ex Metaphyſicis aciem mentis ad arcana omnium maxima, abſtruſiſſimaque Diuinarum relationum, hypoſtaticæ in Chriſto coniunctionis, prodigioſæ illius metamorphoſeos Panis ac Vini, in ipſius nempè Chriſti ſubſtantiam transmutati? Alia infinita ſupprimo, ne vos edocere videar velle, doctiſſimos viros, ac iuuenes homo ipſe iuuenis indoctiſſimus: ſimul vt diſputandi campum liberum faciam ſuper edendis à me Theologicis poſitionibus, quo in campo veſtra Duce Philoſophia Sapientiam Diuinam tutus (non dubito) ipſe quæram, fortunatus inueniam.

GRATIÆ

GRATIÆ.

FElix ego quidem Philosophus, qui Diuinam Sapientiam hodierno congressu theologizans inueni. Ter autem, & quater felix futurus, si detur, quàm simul comprehendi humanitatem in me vestram singularem, non vulgari aliqua animi grati significatione celebrare.

THEOLOGIA.

IVbeo Platonem ad sacra Theoremata mea proludere, vt titulo Diuinitatis, quem siue arrogauerit, siue meruerit, congruentem agat hodierno cœtu personam (Viri in Re literaria proceres). Habuerit hic licèt ex Ethnicis modò Magistros: perceperit à Babylonijs astronomiam, ab Ægyptijs geometriam hauserit; perdidicerit veras, & sanas incantationes à Thracibus; eruditionem variam referat acceptam Assirijs; nihil autem Hebræis debeat, tametsi debeat maxima tam quæ ad leges edidit, quàm quæ de Deo, singularia ea planè, & homine mortali maiora. Dissimulet interim & peregrinationem suam in Ægypto, & diuturnam cum doctissimis Hebræorum consuetudinem, & Mosaicorum voluminum parabilem lectionem, & sacrorum denique mysteriorum non modò auscultatoriam disciplinam, sed præsentem quoque, atque oculatam obseruationem. Horum se omnium ignarum, omninò inscium velit. Nihil fortunæ superiori tribuat, nihil det opportunitati temporis, nihil excellentiæ sacrorum interpretùm, nihil contubernalium religioni, nihil studio coæuorum. Suo se iactet eruditum ingenio per id tempus. se ipso supra se euectum pertigisse ad Deum ipsum, ex homine tandem Diuinum euasisse. Quid porrò? Sed facit præiudicium luculentius nostræ Theologorum causæ aduersus profanos oppugnatores. Adimit homo ethnicus perduellibus orthodoxæ religionis ansam obtrectandi. Obtundit purus Philosophus impurorum Atheorum præsentem audaciam. Infringit sapiens de grege veterum impetum hæreticorum Christianæ Reipublicæ. Ecquisnam Platone sublimiùs ad humanæ mentis intentum, aut sanctiùs ad Euangelica placita de Diuinis rebus differuit? Vultisnè Dei ipsius vnitatem? Expressit satis in Parmenide; sed & rerum omnium idæas continentem ipsum, atque eminentissimè producentem edocuit. Vultis Vniuersi molitionem? Vaticinatus est in Timæo, boni gratia ab architecto Deo productam: primòque

Cælum

Cælum creatum, ac Terram, interſito mox Aëre, cum Aqueo elemento: Atque hæc omnia eum habitura perſeuerantiæ modum, quem ſummi Conditoris præſcriptum habuerit Sapientia? Vultis ipſius Vniuerſi alluuionem Noëmo patre? Recitauit per Critiam, obrutas Diuinitùs Terras aquarum molibus ad extinctionem ferè rationalis naturæ, nec non cunctarum animantium, cùm ſtaret iam in præcipiti omne vitium. Vultis Hominem Conditoris opus maximum? Ipſum in Timæo fecit charagma Dei, cui etiam terrena vniuerſa ſubdantur. Ipſum cum Protagora, Menexeno, Critia ex terræ viſceribus nutu Diuino agitante eruit perquàm mirabili ratione. Ipſum peracto Mundi ambitu etiamnùm reuicturum ex ijs ipſis comprobauit. Ipſi in Philebo innuit, ex Dei aſſimilatione, atque fruitione plenam felicitatem obuenturam. Quid autem magnificentius de Deo immortali, quàm quod in libris legum tradit, Menſuram eſſe rerum omnium? Quid cum Euangelio conſpirantius, quàm illud ibidem, Si Deus quandoque hominem induat? Quid religioſius, quàm obſiſtere Deum ſuperbis, humilibus autem impartiri benignius gratiam? Vultis imperceptum Iudæis myſterium Patris, ac Filij? Ecce in Epiſtolis edidit. Ibi & arcana Diuinorum peruestigari, rationibus quidem neutiquam poſſe: poſſe autem mentis puritate, atque intima cum Deo conformatione; ex qua enimuerò incaleſcit animus, ac velut ignem concipiens, luminis quoque radio ſupra naturam illuſtratur. Vultis abdita Chriſtianorum myſteria partim à philoſophorum pleriſque deriſa, partim & impugnata à noſtratibus hæreticis? An Reſurrectionem carnis? Ecce Decimo de Republica libro, non dico adumbratam, ſed expreſſam in Hero Pamphilo ad vitam reuocato. Ad vitam Sanctorum æternam? Ecce inibi in Elyſijs delicijs peramænè depictam. An purgatorios animarum ardores? Ecce adapertum ibi expiatorium locum animas abſorbentem, eatenùs diſcruciandas, quatenùs.

Concretam exemit labem, purumque reliquit
Æthereum ſenſum, atque aurai ſimplicis ignem.

Ibi nec ſuppreſſam quidem infernam plagam infantibus illotis ad ſempiternum exilium deſtinatam.. Vultis quaſi veſtibulum ad Euangelica conſilia? Ecce per Socratem monet, non flocci pendendum tempus: Vna in immortalitate ſtudium collocandum: Quæ parent Fortunæ, deſpicatui ducere, dum conſectemur perennia: Illatam iniuriam longè videri accepta tetriorem. Ecce (quo non meliùs Concionator Apoſtolicus) per La-

chen

chen admonet, nil esse spontanea peccatorum confessione, ac pœnitentia præstabilius; ipsamque primo quoque tempore omni arripiendam pede, propterea quòd diù concreta inolescere videmus miris modis. Quid plura? Docuit per Charmidem, ex intemperanti affectione animorum vniuersa, & quidem agminatim, mala erumpere. Cui per Critiam insigni dicto clausulam facit: Si temperantia, inquiens, denuò succreuerit, succrescere, & immortalitatis donum incomparabile; quo sanè dono in virenti, amænoque hortulo perfruebantur homines prius, quàm à Diuinis ad fluxam declinarent naturam. Annè hic expressius loquuturus Auditor Mosis? Iam video, Viri Auditores, incredibili mea cum voluptate, ad radios tanti Philosophi hebescere talpas peruicacium ingeniorum; viuiscere studiosorum aquilas. Video ad hoc veluti erumpens crepusculum doctrinæ Platonicæ clarescere iam tenebricosis mentibus, veræ sapientiæ, hoc est Christianæ Theologiæ diurnum lumen. Vt ideò perdifficilè mihi non fiat, meridianos fulgores doctrinæ scholasticæ, cuius gratia dies totos cum noctibus Theologici mei curriculi desudaui, non modò vestris oculis rectissimis, Auditores, proponere contuendos; sed iniquis etiam aliorum, si qui fortè interuenirent, obseruandos, ac toto supercilio contemplandos subijcere. Nec enim ex his, qui mox inita mecum altercatione corripient, quisquàm reperiri potest, cui æquè candidum non sit, atque expolitum ingenium; vt non obscurandæ gratia veritatis obtendere meditetur tenebras obiectorum, sed illam ipso parumper obiectu viuidiùs, atque clariùs explicare.

GRATIÆ.

Opus habui initiò, qui pro me dignè proluderet, Platone Philosophiæ Principe. Nunc autem, qui pro me vobis dignè gratias agat, quo nisi Principe Eloquentiæ opus habeam?

THEOLOGIA GENERATIM.

Vel de Deo vno.

Non miror ego, nec sine plurium admiratione bonorum; quid sit, cur è Christianis Peripateticis non desint multi, quibus, quòd euidentiam suis in principijs Theologia minimè præ se ferat, expungenda iccircò è scientiarum censu videatur. Mirabor ipse potiùs admiratores huiusmodi, quasi eos lateat, & mini-

minimùm esse numerum rectè Philosophantium; &, quos non nisi leuiter scientiæ ipsæ tinxere, inscitiæ insignis vmbram comitem habere superbiam. Quasi verò ignoretur prudentibus viris, eà tantùm exigi principiorum perspicuitatem, quà certò firmiterque nostra postmodum mens adhæreseat deductis indè argumentorum clausulis. Nutat enim illa semper, quandiù vbi nitatur, non assequitur præsens: semperque in caligine latitantes suspicatur decipulas vel ipsa Natura ludibunda sibi dispositas. Itaque ne suomet quidem oculo credit, quod tenet; sed quasi Argus plura lumina exposcit, quibus videre se videat, & quod scit, scire se reflexo ad cautionem intuitu sciat. Atque hoc quis nescit, in re Theologica locum penitùs nullum reperire; tantùmque abesse, vt hæc Disciplinarum maxima euidentiam principiorum patiatur, quòd Maiestatis suæ fulgorem in obscuritate potissimùm explicet, & se isto quasi religioso velo contectam Diuinam probet? Nec enim ideò incerta, quia obscura principia; imò verò quia nata Deo, cuius Numen tam immensa lux est, quàm sincera; æquè est oculis mortalium inaccessum, ac mentibus hospitale. Tota igitur Theologiæ firmitas in sacrosancto Numinis fundatur testimonio: Nec si creatæ vllius mentis laxitas metiri illius immensitatem posset, erroris aut falsi suspicio aliqua in ipsum abesset. Quare indubitata sunt mortalibus, quæ tradit Deus, quia & ipse inaspectabilis eorum oculis; miraculo certè nouo, vt cæcutiendo quis cernat, & incomprehensum tenaciter sistat. Ausit hic nescio quis (irreligiosus, an insipiens?) obiectare nobis anilem superstitionem, quasi plus iusto tribuamus Religioni, quæ fidem erga Numen tuetur opinione contentam? Quid enim? si quæque opinio formidinem habet ad oppositum, nego contineri illà Diuinam fidem, quæ firmiorem ipso sidereo firmamento, quæ stabiliorem mole terrarum immota, quæ inuariatum cum æternitate Dei creat in animis nostris assensum: Cuius radius subobscurus licèt, & penè nocturnus diurnam scientiæ humanæ claritudinem omnem superat. Nisi fortè plus detur sæculo superstitionibus corruptissimo quàm castigato Christianis placitis. Nam quid sibi volebant Pythagorici solemni illo effugio inter disputandum, cùm ad obiecta passim attoniti molem se se putabant insanam obstruere, auctoritatem vnius Pythagoræ Αὐτὸς ἔφα, vsurpantes; *Ipse dixit*? Insanam profectò, quæ in homine, cuius testimonium fallacia nititur, basim veritatis collocat. Est inquit Lyricus coronatus, *Omnis homo mendax*; hoc est ipsa hominum confessione testimonium

hominis

hominis infirmum, auctoritas suspecta, fides ambigua. Ergo quia Pythagoras dixerat, id ratum habebatur: quia Deus dixit, habebitur irritum? Philosophantur ij rectè, qui auctoritatem Doctoris magis, quàm rationum momenta pensabant: Nos, qui omnium rerum causam supremam, æternamque producimus, non philosophari, sed ineptire putabimur? Denique scientiam illam proscribimus, quæ fide Numinis certissima, eò quia perspicua non est, fulcitur: legitimam illam probabimus, quàm fallax simul, & obscura fides hominis miserum velut abortum facit? Scio nonnullos à Pythagora exponere meliorem in sensum lemma αὐτὸς ἔφα; quòd nequaquam de Pythagora vsurparent Discipuli, sed Pythagoras ipse de Deo: quasi quæ ille proferret, non à se commenta, sed à Deo dictata atque accepta ipse fideliter redderet. Figuram quippè istam *Ipse dixit* fuisset Diuinis vatibus perquàm familiarem, ac tritam *Ait Dominus; Hæc dicit Dominus, Audite verbum Domini*, atque id genus aliàs formulas in Sacris voluminibus passim obuias: Nec dubitandum esse, quin vt reliqua sapientum scripta; sic & sacrorum vatum Pythagoras studiosissimè euoluerit, optimum quodque decerpens, quòd doctrinæ sibi aliquid, & auctoritatis posset afferre. Ita ambitiosus famæ venditaret quasi non Hominis sed Numinis dicta sua, subiecto per singula *Ipse dixit*. Vt, vt fuerit, Auditores; hoc certè fiebat, vt Pythagoricæ doctrinæ nihil non modò detraheretur fidei; verùm etiam (inexplorato, quis Deus clam illi aspiraret: bonus nè an malus assisteret Dæmon lateri; oraculanè forent illa vaticinantis, an somnia delirantis) haberetur in tanta ambiguitatis caligine certa fides; probaretur citra euidentiæ vestigium vllum scientia, & solida Philosophia. O tempora, O mores inuersi. Quidni saltem momenti paris fuerit apud homines hoc, quòd nostrates allegant Theologi de Deo reuelante, & quòd olim Pythagoras? Nostrates numero plures, testimonio concordes, experimentis fidei veræ frequentibus ac mirandis probatissimi? Doleo hoc loco, Auditores, & iure conqueror; humanis rebus nihil non deferri, audientiam, fidem, venerationem, obsequia omnia prompta esse. At vbi Diuina prodeunt, mouere protinus quibusdam fastidium, ciere quæstiones, diffidia ferere: Nihil hic tam certùm, cui non suspicio falsi obtendatur; nihil tam pium, quòd non ludibrio exponatur; nihil tam religiosum, quòd non Atheorum dicteria, profanique vulgi censuram subeat: Cariosi id sæculi exemplo damnatissimo. Vos ergo, viri Auditores, qui scientiam de Deo ex-

Dei ipsius, non ex hominum fontibus hausistis, tam firmi ad assensum, quàm ad obscuritatem venerabundi: excipite beneuolis animis quas profero in aspectum Theses, ac mihi disputanti augete repugnando firmitatem, obiectando certitudinem.

GRATIÆ.

THeologum vidimus scientem Diuina, nec tamen videntem. Illud facit Diuini firmitas oraculi, hoc Maiestas. Ego & gratum me vobis etiam atque etiam profiteor, & gratias tamen nullas profero. Illud vestra in me facit singularis humanitas, hoc mea infirmitas.

THEOLOGIA GENERATIM.

Vel de Deo Vno.

MIrari solent omnes, ac dignam philosopho iudicant vocem illam Anaxagoræ: qui, cuius rei causa natus esset, sciscitanti, Solis ac Cæli spectandi, respondit. Ego verò bona cum venia retractabo hosce plausus, non quidem vt tantùm alioquí Philosophum temeraria commentatione vellicem, sed vt hoc eius dictum inscientis hominis simul, & prudentis fuisse probem. Videte, qua ego laude donem Anaxagoram. Inscientem facio, sed in ipsa tamen inscientia prudentem: Cæcum agnosco, sed cautum: Ingenio mancum, non iudicio. Quomodo enim de summo hominis bono definiat vnus, quòd frustra cæteri omnes contenderunt? Aut quo iure in tam multiplici, ac obstinata causa summorum reipublicæ literariæ capitum sedeat ipse Iudex dicturus sententiam? Ita planè fuit. Nequaquam licuit ei rem assequi ingenio: Ergo, quid responderet, non habens promptum, effutiebat (credo) id ipsum pàssim, ne tacens, opinionem inscitiæ, quà maximè in hac parte laborabat, ingereret. Itaque speciosa ineptia occupandas mentes audientium putauit homo catus. Ineptiam enimuerò appellaui ipse responsum Philosophi, ac indignam philosopho vocem, quæ tribus numero verbis errata complura, & ea pinguia comprehendit. Nascimur, inquit, Solis ac Cæli contuendi gratia. Quid autem? Tu ergo omne hominis officium in oculis colloceas? Ad mentem tu nihil, ad corpus omnia refers? Quid si cæcus, aut nascatur, aut natus euaserit, officiumnè hominis amittit, quòd certè fieri sine animæ occasu non potest? Quid porrò cæteræ corporis partes? an iubebis

bebis ſuis priuatas officijs feriari? Quid, quòd plus eſt in auribus, quàm in oculis ſitum? Conſtat enim doctrinam & ſapientiam percipi ſolis auribus poſſe, oculis ſolis non poſſe. Sed compellare te parumper libet, Anaxagora, vt reſponſo reſponſum aut firmes, aut diluas. Cæli, Soliſque ſpectandi cauſa natus es? Quis te (cedo) in hecce ſpectaculum induxit? aut quid Cælo, ac rerum naturæ confert tua viſio? Certè, vt immenſum hoc, & admirandum opus teſtis oculatus laudares, non niſi conditor ipſius Deus huc induxit. Neque hic te conſiſtere voluit, vt opus, non opificem magis laudares, admirareris: Imò verò amplius, vt eius virtutem, prouidentiam, poteſtatem tanto ex opere reputares animo: vt bonitatem deamares: vt Maieſtatem coleres, & ſummum tuum bonum, vnde & tu, & tam multa bona tecum prodiſſent, ſtupente animo ſimul, & anhelante intenderes. Hanc tantam cenſuram, Viri Auditores, hanc adeò iuſtam abiurgationem in Philoſophi dictum celebratiſſimum quid niſi ſacra Theologia faceret, quæ veterum errorum deterſa caligine puriſſimam lucem veritatis inuexit, vnumquemque mortalium edocens, eò naſci, vt Cæli Empyrei amœnitate aliquando potiatur, vt Solis increati fulgorem inacceſſum beatus aſpiciat, felicitatis tractu nullis ſæculorum ſpatijs metiendo? O digniorem Hominis, quàm ex Anaxagoræ ſenſu, conditionem. O meliùs ex oraculo Theologico auſpicatam noſtro generi ſortem? Eius ego dum profero Theſes (de Deo Theologiæ obiecto) agitandas, fauete vos, quà voce, quà ſilentio, vt ſoletis: arguendo, audiendo: gratiſſimo vtrinque, ac digno vobis officio.

GRATIÆ.

PAucis in ſyllabis quàm multa peccarit Anaxagoras, ipſi audiſtis. Ego debitas vobis acturus gratias, in ſyllabis paucis nihil profectò peccauero: multò plures mente, quàm voce gratias in vos profeſſus.

THEOLOGIA GENERATIM.

Item de Deo Vno, & Trino.

SEnſus fuit ingenij in vtraque literatura non ignobilis (Nobiliſſimi Auditores) Mundum hunc noſtris ſpectabilem oculis, traditum Diuinitùs eſſe ex oraculo, diſputationi mortalium, nequaquàm in ipſorum perniciem, aut in probrum corruptiſſimi

ſenſus; vt eo quaſi Dædaleo labyrintho concluſa humana dementia ferretur per errorum brutas ambages in Minotauri tartarei lanienam: Verùm vt hi potiùs ex Mundi obiectu prædiuitem diſputandi ſegetem ciente genio nanciſcentes, ab operis ſanctitudine ſanctiſſimum venarentur opificem, venerarentur Numen. Ita illorum, qui cunabula Mundi in Caſum, ac Fortem referunt, notauiſſe inſipientiam, minimùm id quidem puto: Inſaniam, parùm: Temeritatem, parùm adhuc: Audaciam intolerandam, nondum ſatis: Vix ſatis dicam furentem impietatem, brutis ipſis, ac defectis ſenſu, motuque rebus damnatiſſimam. Cito hic teſtes in re phyſica tyrunculos, cito populares aſtrologos, cito Medius fidiùs Agyrtas, ac Circulatores ad iſthanc diluendam philoſophiam. Eſtnè fœtus in Mundo parenti ſuo ſimilior, quàm caſui monſtrum? Profer tu mihi conquiſita licèt ex omnibus terris, collecta ex omnibus ſæculis monſtroſiora, oculo ad nouitatem ſtupente? ad varietatem attonito. Meliùs loquar, fruente erudito oculo, atque animo ſe paſcente ad ſpectaculum. Neges tu ſanctum opificio, quòd eſt forma per numeros omnes pulcherrimum? Neges autem pulcherrimum, quod eſt in primis, iucundiſſimum? Cuius iccircò expetitur, pretio emitur à concurrentibus turbis aſpectus? Quid? Turbas, credo; ſolum tenet id ſtudium, pinguiorem, atque hebetiorem vulgum, nec Principes quoque viros, & Coronata non auro magis, quàm lauro Capita. Etenim vix quemquàm vnum è Dynaſtis reperias, cui non ſint iſta in delicijs, coëmpta inſanis ſumptibus; aut etiam in caulis enutrita brutorum aliqua monſtra; vel ſeruata in gazis ad pompam abortiua Naturæ diſtorta in lignis, in lapidibus, in ſiliquis, in metallis: tanti habita apud ipſos, quanti nec rari ex Oriente vniones, nec cælata ære Corynthio vaſa, nec Indicis gemmis onuſti torques, nec aurea, criſtallinaque ſigna, nec ſi quod aliud id notæ pretioſiſſimum ad Regalem magnificentiam luxumque oſtentant. Vt enim de Monſtris vſurpauit non ſine lepore Diuus Auguſtinus, ipſa ad pulchritudinem Vniuerſi ſua conferrè deformitate: Ita & Regiæ Aulæ ex rebus genere obſcuris, & ipſa infelici abortione deformibus non parùm ſanè ſplendoris accedit. Erigite iam ſurſum lumina, conſpecturi in Cælo; quòd neque iucundam exhibet vllam ſpeciem; rerum quippè omnium ſpecies ſubmouet; neque niſi vitium Naturæ degeneris credi poſſit; creditur quippè Terris malum portendere: Defectionem intelligo præcipuorum luminum inter planetas, monſtra cæleſtia quis dicet, nobis

mortà-

mortalibus execranda. Tu nè verò (arguet is) hac saltem in parte sanctitudinem Vniuersi sustinebis, vbi quotannis semel atque iterum sic peccatur? Erit tibi Moles ista perfecta, quæ tam sæpè in præcipuis membris luxatur? Erit temperatissima ad concentum, quæ de facili discordat in motu? Erit numeris omnibus absoluta, quàm dissolui tam crebrò contingit? Erit Natura ad bonum comparata, quæ in perniciem animantium cum melioribus coniurat Planetis? Tetra enimuerò Monstra sunt ista, fatalia prorsùm, deprecanda tàm pro incolumitate hominum nostra, quàm pro ipsius dignitate Naturæ. O Philosophantium inscitiam verè monstrosam. Quàm ego si confutari pretium putarem operæ, contentus mehercle forem aduocare in istorum conspectum, quem nuper offendi in triuio, homunculum circumforaneum, mucidum conciliatorem plebeculæ, venatorem sordidum stipis. Sistat se se istis parumper, & repetat, quæ me audiente iactauit, solitus (puto) millies de pegmate alibi atque alibi venditare, ambitiosus recitatione rei astrologicæ, tumidus comprehensione vnius latinæ sententiæ, cui præmisit iteratò, proiectas quasi ampullas, appellationem Aphorismi. Quis porrò Aphorismus? Optimus certè, & grauissimus, nisi per ora huiusmodi circumlatus putesceret. *Cum* (inquit) *ad vitam animalium conseruandam temperato calore indigeamus, & Saturnus inter stellas frigidus sit creatus: is verò solus tot calidis planetis nequeat resistere: Deum Ecclypses ita molitum esse, vt certis temporum internallis recurrentes Mundum totum refrigerarent. Omnes enim Ecclypses refrigerant.* Sic per Agyrtam istum Aphorismus. An verò meliùs aut dilui Aduersariorum insulsa sapientia potuit, aut sanctitudo Vniuersi defendi, quando, quæ maximè tetra reputantur ostenta, ea cùm primis vitæ animalium conseruandæ necessaria, ac Numinis consilio singulari decreta esse intelligimus? Pudeat nos igitur, quòd is malè audiat qui benè sanctèque Naturas omnium rerum architectatus est Deus. Nec enim ad insaniendum, sed ad sapiendum commissus est nobis Mundus. Vt si perspicua occurrunt plurima, occulta nonnulla, veneremur casto silentio, quæ laudatione aperta non licèt persequi. Quamquàm audendum est aliquid in disputando, vt abdita in obscuro veritas, disputatione ipsa quasi venatorum strepitu exturbata, è latibulis in aspectum prosiliat. Itaque è re nostra est, Studiosissimi Iuuenes, vt placita quædam Theologica (* vt placita, de Deo Vno, & Trino) consilio, ac iussu Moderatoris (* Institutoris) mei Viri sapientissimi è florentioribus Patrum

trum

trum areolis decerpta, breui disputatione, intento scilicet parumper mentis oculo contemplemur.

GRATIÆ.

MOnstra nuper probauimus, quippè quibus Mundus ornatur. Non hic tamen probatum volo monstrum ingrati hominis, quòd nemo hominum non execratur. Sed quia gratum esse velle sine gratijs, monstrum id quoque est, vestra cum venia tam cogor istud probare, quàm vetor illas agere; meritò scilicet vestro pares, Humanissimi, Benignissimique Auscultatores.

THEOLOGIA GENERATIM.

Vel speciatim de Deo Homine.

INfelicitatis ille meritò luit pœnas, qui se, vndè felix euadat, aut stolidus nescit, aut perditus nescire non curat, Viri Religione, ac literatura clarissimi. Quomodo se hominem sciat, qui sui exemplar esse Deum, seque Dei exemplum nesciat? Quare ad exemplar vt spiret, si ope tota nitatur, tùm demum propositæ sibi fruendæ felicitatis compos fiet. Iam prima felicitatis humanæ linea, atque adeò vena ditissima ipsius cognitio Numinis dicenda est, cùm ad ignotum conformare se quisquam non possit; nec cuius faciem deuelatam atque apertam non contuetur, lineamenta penicillo transferre. Iactauerint se ergo beati prisci Philosophi, Hoc qualis, qualis cognitio Diuinitatis effecit, vt Paulo Apostolo teste inaspectabilia Dei per species creatarum rerum conspicerent. Iactauerit se iustitia Abramus; Cognitioni eiusdem Dei perfectæ (quàm haberi in terris fas est) id ipsum attribuit Philo. Iactauerit se Moses iustissime omnium mortalium: Hunc certè ad τοῦ ὄντος non cognitionem modò, sed consuetudinem, imò & contubernium peruenisse testis est Magnus Basilius. Cæterùm vnus Moses cùm extiterit, nec alterum Mundus viderit (vna Virgine Deipara exempta) accommodatissimus profectò est humano captui, tenendus idcircò nauiter, modus iste immortalis Dei cognoscendi. Nam si Solem nemo acie luminum directa intueri valet; sed is aut vim eius, atque potentiam, aut effectum aliquem vtputa lumen, caloremuè in alijs corporibus cernit, vel sensu experitur: quò minus fas erit consequi sensibus æternum Solis ipsius opificem, Numen beatissimum, omnis fontem lucis, patrem luminum? Et quemadmo-

admodum suam ipsius mentem, ac spiritum peruidere nemo vnus nostrum valet; ita nec peruidere licuerit mentem illam immensam, spiritum illum inspirantem omnibus vitæ spiritum; quippè qui se ipso felix lucem inhabitat inaccessam. Quorsùm verò tendebat ex Mose oraculum Dominicum: *Non me videbit homo & viuet?* Quorsùm ex Ioanne: *Deum nemo vidit vnquàm?* Quorsùm iterum ex Mose: *Posteriora mea videbis?* Non est (sibi volebat) non est hominis ista fæce mortalitatis infecti purissimum eum fontem beatitatis luridis admotis labris haurire. Non est Naturæ virium attingere propiùs Auctoris Naturæ οὐσίαν hoc est essentiam apprehendere maiestatem, detegere gloriam. Commisit hic rebus creatis id ministerium, vt Creatorem commendarent homini: vt eæ quasi tergum coniectandam offerrent Diuini oris speciem: vt posteriora cùm sint, hoc est effecta, & ea maximè demiranda, Causæ primæ cognitionem suggererent. Constituit eas quasi gradus, per quos ad ipsum pernoscendum scanderent: Instar speculi iussit esse, in quo reflexum vsurparent eius lumen, quòd nefas erat vsurpare directum. Non me præterit quidem testimonium è sacris paginis, quòd Deum viderint quidam, & hi sanè mortales. Sed hanc reuelationem extitisse, non sensuum comprehensionem: rei visendæ suppositum, non Diuinæ exhibitionem substantiæ satis elucidant communi sententia Mystagògi. Mirificè id demùm successit viso in terris, atque inter homines versante Christo Deo. O sæculum illud beatum, & citra fabulas aureum; quo *rediijt & Virgo, redierunt Saturnia regna.* An debuit aliud efficere reuelatus ex Virgine Deus, elucens Numen humanis in moribus in verbis, in gestis trans humanæ consuetudinis fines, quàm vt disiecto ex hominibus horrore scelerum, assertis bonis artibus, restituto vitæ candore stabiliret in terris sæculum sola cum æternitate cælestis beatitudinis commutandum? Nihil enim peperit minùs consuetudo Christi mortalis, quàm vt ipso cognito cognitus fieret in aperto Deus: ex Deo autem sic cognito suos componeret mores homo mortalis; in ipsa demum mortalitate immortalis felicitatis arrham haberet oblatam. Quòd ita cùm sit, Viri prudentissimi, è re nostra maximè fore video; si, quòd in disciplinis honestis desudauimus, eius pretium à Theologicis (vbi potissimè de Deo humanitate tecto differitur) exigamus. Neque enim aut mihi propugnatori, aut vobis impugnatoribus ingeniorum conatus ad exitum feliciùs, ad votum iucundiùs intendi posse videbuntur.

GRATIÆ

GRATIÆ.

FElices effici homines ex cognitione Dei, nuper habuistis; Ego immortali vestro beneficio (Humanissimi Auditores) ex gratiarum in vos si minùs actione; cognitione certè videri gratus debuero.

THEOLOGIA GENERATIM.

Item de Deo vno, aut Trino, deque Actibus humanis.

DEum Optimum Maximum, vnum idemque summum hominis esse bonum, quò ille vt in album studia sua omnia, & vota collineat cuius in sinu suorum reperit amorum centrum, cuius inter amplexus absorptus delicijs felicissimè conquiescit; scite, religiosèque monet Theologia (Viri religione ac sapientia præstantissimi). Miror hic ego veterum Philosophorum lites tam rabidè Philosophiam ipsam discerpentium in varias, repugnantesque sententias super omnium grauissima quæstione. Siue enim audiatur Epicurus in voluptate animi summum bonum reponens; siue probetur Aristippus, in corporis voluptate; siue præferatur Diodorus in doloris priuatione, siue Zeno præualeat, in vita ad Naturæ normam composita; siue quis alius euincat, in re alia: Quid istuc ineptiæ est (dico) attribuisse homini proprium, quòd cum mutis animantibus sit commune? In his autem, quæ memorata sunt ex Philosophis, nihil inter hominem & pecudem interfore nemo non videt. Homini verò animantium Principi summum id bonum adscribi oportere, in quòd solus feratur, à conditione sua, & origine nihil dissonum; in Deum (inquam) feratur Religionis officio. Quàm multis enim in rebus æmulari cernimus, quàm multis etiam congredi cum homine bruta? Nam cùm materno vtero vix effusa papillas studiosè quærunt, auidè præhendunt, ac sugunt: Cùm sinu matrum abstracta gemunt, restituta remittunt: nobiscum certè infantibus omninò preludunt. Cùm autem demulsis auribus, diductoque rictu, & oculis lasciuientibus alludunt homini, nonnè ridere quodammodò illa dices? Nonnè & colloqui suo more, cùm suas voces dignoscunt, & varios inter se discernunt sensus, quibus intimè afficiuntur? Quid, cùm cibos quæque congruos sibi conquirunt, cùm aggestos reponunt in tempus famis: Cùm infesta deuitant, vtilia sectantur, medicamenta

morbis

morbis præsentia captant? consilij certè vestigium in ijs agnoscis. Sed & amorem mutuum & caritatem hominis egregiè imitantur, cùm coniugibus suis & filijs necessaria in escam, ac tutelam prospiciunt; cùm imbecillitatem officijs, teneritudinem blanditijs prosequendo educationem iuuant. Cùm verò vel prædæ inhiant, vel ipsa se prædam verentur, præsidium quoddam intelligentiæ vtique præferunt; adeò ingeniosè insidias siue struunt, siue declinant; Imò & rationem ostentare videntur nobis, cùm nos ratione præditos, arte pollentes sæpè deludant. Siquidem arte ita valent brutorum aliqua, iure vt dubites, vtrùm homo illa potiùs æmuletur, quàm illa hominem. Hominem certè plerasque artes edocuere. Ex multis placet subijcere vnum Araneum. Quo quid vilius aspectu? Quid tamen opificio mirabilius? Stamina suo ipse ære comparat, suo ingenio componit. Æquè industrius insistit prætexendæ in capturam telæ, ac promptus, & valens incidenti prædæ captandæ. Ad summam vno Aranei facto doceri hominem vides Textoriam simul, & venatoriam, Mœcanicum studium, & Equestre: lucrosum, & ludicrum. Si Prudentiæ Ciuilis documenta exquiris, quàm in Philosophia potissimùm niti monebat Plato, nescio, quo in lyceo tradatur luculentiùs, quàm in alueo mellario. Ibi Apis magistra exemplo docet suo sedes assignatas incolere, castra munire, domicilia condere, familiam alere, publicam rem curare, Regi inseruire, præmia ac supplicia inuiolato iure distribuere. Ecquis tantàm in tantula volucre Philosophiam non stupeat? Certè quidem stupebit quisquis eam Religiosæ quoque Prudentiæ, ac Cœnobiticæ Oeconomiæ magistram cognouerit Philosophatus cum erudito æquè, ac pio Scriptore CHRISTOPHORO GIARDA Nouariense. Quem virum, nisi recene memoria sanctitudinis immortalem fecisset cùm in Clericatu Regulari à Diuo Barnaba nuncupato, tùm in Episcopatu Castrensi, vbi tandem profuso fortiter sanguine obsequium ac reuerentiam Sanctæ Sedis Apostolicæ diù præstitam gloriosè obsignauit: celebraret per se satis eius APIS RELIGIOSA, quàm VRBANI VIII. Pontifex Maximi gentilitijs Apibus dedicauerat, tanti equidem Pontificis tutela, & tanti Scriptoris ingenio dignum volumen. Quorsùm hæc Auditores? Nisi quia nullo non cernimus in officio associatum homini brutum, vna excepta Religione, & cultu Numinis Immortalis. Grauis est super hac re Ciceronis auctoritas, hòc magis, quod Ethnici hominis. *Ex tot (inquit) generibus nullum est animal præter hominem, quòd habeat notitiam ali-*

quam Dei ipsisque In hominibus nulla gens est neque tam immansueta, neque tam fera, quæ non, etiamsi ignoret, qualem Deum haberi deceat, tamen habendum sciat. Ex quo efficitur, vt is agnoscat Deum, qui, vnde ortus sit quodammodò recordetur. Erit igitur summum hominis bonum, si rectè arguendum sit, quòd omnis, & solius est hominis nimirùm quòd brutorum præterit conditionem, supergreditur ordinem, cultus (inquam) Dei Optimi Maximi, cognitio Conditoris, reuerentia Numinis. Cur enim pronis in terram pecudibus ipse homo erectos in Cælum vultus accepit, nisi vt raptis oculis scena illa luminibus ac gemmis picturata præteruolaret solicitus ad Empyreas vsque sedes animus, penetraret in adyta Deitatis secretiora, repeteret quasi citatus fluuius vnde primùm effluxerat, vitæ omnis ac boni immensum oceanum. Sed hæc nos Philosophando satis. Theologizandum nunc restat; si tamen (quod spero) per vos, sapientissimi, ijdemque Humanissimi Auditores, in grauissima omnium prouincia imbecillitas ingenij mei subleuabitur.

GRATIÆ.

HOminis summum bonum, & solius & omnis esse, principio ex me accepistis, Auditores. Quod verò me disputantem tam patienter hodie pertulistis & solius id vestræ humanitatis, & omnis loco beneficij mihi fuit.

THEOLOGIA SPECIATIM.

De Sacrosancta Eucharistia.

SI fœdum auditu est, ne dum ausu, quòd de Gigantibus fabulatur antiquitas, intentatum per illos bellum in Cæli regnum, multò certè fœdius habendum, quòd multa post sæcula machinati dicuntur fuisse è Christiano lyceo perditissimi homines contra Sacrosanctæ Eucharistiæ Mysterium. Gigantes ij planè, hoc est ex græca interpretatione, filij terræ, Orci meliùs, qui ad cælestem lucem tartarea caligine cæcutientes, dogmatibus impijs corrumpere Catholicam veritatem pertentauere, & Sacramentorum augustissimum, panem illum de Cælo præstitum, qui fontem cælestis beatitatis obsignatum continet, furiali dente discerpere. Quòd quidem facinus multò indignius redditur, quòd post annos ab ortu Christiano mille, & quadraginta vix reperit Authorem; quasi supra tot montes superbissimorum hæreti-

hæreticorum, qui per tot ante secula impugnauerant fidei Christianæ veritatem, aggestum ad apicis omnis consummationem insanissimum iugum. Operæ verò pretium puto indicare hic breuiter factum, vt sit, quo magis detestemini Authorem. Berengarius is fuit Turonensis ciuis, Ecclesiæ Andegauensis Diaconus, ex eo autem gradu in Gigantis excelsitatem surrecturum se se ratus: sed terram nihilominùs redplens; quippè quàm inops eruditionis, tam emendicator gloriæ, quàm reptantis ingenij, tam elati supercilij, ingemuit nullius esse existimationis apud homines, hominibus alijs eruditionis nomine posthaberi. Itaque venenatis consilijs tentare famam decreuit, & nouo cœpto expugnationem Cæli Eucharistici machinari, excogitauit ergo frigidas nonnullas ratiunculas, collegit paucos locos sacrorum Bibliorum perperam ab se perceptos, sed neque per se decerptos; vsus est quippè Scholasticis quibusdam egenis, quorum operam facillimè habuit pretium stipis ab se corrogatæ, & victus suppeditati; quosque blandis antè sermonibus haud ægrè corruperat. Hos itaque per omnes Gallias sparsos adhibuit erroris sui atque infidelitatis fidelissimos satores. Atque hoc erat huiusce miserrimi Doctoris impijssimum placitum; *Sacramentum Eucharistiæ non esse verè, ac secundùm substantiam Christi corpus & sanguinem: sed voce dumtaxat ita efferri, cùm figura tantùm sit, & vmbra, velut signo repræsentans ipsum Christi corpus, & sanguinem.* Berengarius ergo primus omnium Cælo bellum indixit, Montem superbissimæ ignorantiæ primus admouit. Quàm multos contraxit ad coniurationem Gigantes, qui suos & ipsi Montes doctrinæ, seu potiùs deliramenti coëgerunt, vt culmine aggeris superlato, impressionem (si possent) facerent, ac expugnarent? Ecce post Berengarium insurgere sui similes, Zuuinglius, Oecolampadius, Caluinus cum reliqua illa Sacramentariorum sentina. Nimirum admirabilia, quæ Deus in hocce Sacramentorum maximo supra humanum captum efficit, humanis rationibus dimetiri conatus, & tarditate ingenij sui nulli non inferioris assequi, temeritatis Icariæ pœnas luit. Qui si vel tralatitiè versasset sacros codices, de facili offendisset territus consilium illud Sapientis, qui nos à Diuinis operibus excutiendis auocat: *Altiora te*, inquiens, *ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed, quæ præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus: non enim est tibi necessarium ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis.* Et rursus: *In pluribus operibus eius ne fueris curiosus: Plurima enim supra sensum hominum ostensa*

sunt tibi: Multos enim supplantauit suspitio illorum, & in vanitate detinuit sensus eorum. Atque vtinam Berengarius curiosior solùm fuisset in perscrutando Diuinorum operum maximo, non & simul audax, non & temerarius, non & impius, atque gigantea insania sacrilegus: non latentem veritatem inuestigare solùm importunior, sed & furiosior impugnare. An verò huiusmodi monstra inulta, impunita abire patiatur Regnator Cælorum Deus? Minimè. Fulminibus vtique impetet ad exitium, ad probrum sempiternum. Non iudicio solùm ad pœnas inferorum, vbi tandiù iacebunt, quandiù stabit Cælum natura incorruptum, quandiù Altitonans dominationis in Cælo solium tenebit; Verùm etiam confutatione acerrima eiusdem impietatis, fulminibus argumentorum validissimis simul & acutissimis è sacra Theologia exertis, tandiù stridentibus, quandiù Dei lumen inocciduum in Ecclesia Catholica, quandiù fulgor veræ fidei ad metam vsque seculi ex præsentia Numinis indesinenter nobis promissa illucebit. Quòd me hodie vehementiùs inflammat ad imaginariam pugnam inter Capita Catholica ineundam, vt veram cum nefarijs perduellibus Religionis aliquando expeditus suscipiam.

GRATIÆ.

QVantum solertia Gigantum infelix, in aggerandis aduersùs Dominatorem Cæli Montibus; tantumdem felix mea, si daretur posse, in aggerandis gratijs vestræ debitis humanitati, pro adhibita mihi disputanti & patientissima attentione, & eruditissima opera.

THEOLOGIA GENERATIM.

Et speciatim de Fide.

QVoties mecum ipse reputo nostram Christianorum inuidendam omninò sortem, quòd caligine Ethnicismi altè demersis, sempiterni luminis fulgor illuxerit: toties occurrit stupenti animo memorabile illud dictum Mercurij, etsi nec dum salutantis crepusculum Euangelij, de Deo tamen minimè caligantis; vbi Tatium filium in suo Pimandro instituens, *Quùm* (inquit) *per Deum cuncta clarescant, per omnia rursus, atque in omnibus fulget:* Deindè ipsum adhortans: *Tu igitur ò fili mi* (subdit) *in primis pijs precibus obsecra Dominum Patrem vnicum, vnum, & à quo vnus, vt sis illius misericordia dignus. Sic tandem Deum*

tantùm

tantùm percipere poteris, si vèl vnus dumtaxat illius radius intelligentiæ tuæ benignè refulserit. Quo quidem Mercurij vèl hinc Ter Maximi oraculo quid magnificentius, ac Diuinius ad sacræ Theologiæ Maiestatem & præcellentiam supra humanas omnes disciplinas explicandam? E Cælo illa, è solio ipso Dei circumfuso luce inaccessa deuocatur; vt minimè propterea miremur, quòd subtracta vulgi oculis rerum Diuinarum Sacramenta vèl vnus è Cælo radius sit potens nostrarum mentium obtutibus, & ijs nequaquàm nutantibus exhibere deuelata. Quare turbam in suis ciere quidem potest Philosophia, atque in diuersas pertrahere partes ingenia studiosorum, alium alia iurantia in magistrum; quippè ignota cùm sit Sapientia mortalibus, Naturæ lumine tantùm adiutis, illam sibi quisque sponte amplectitur disciplinam, illique arctè adhæreſcit, qua tutius ac faciliùs iter ad eius assecutionem patere sibi persuadet. Hinc illæ tam multæ ac diuersæ philosophantium sectæ, quas ætate sua Diuus Epiphanius ad octoginta percenset, quas Marcus Varro in octoginta tres supra ducentas ex dogmatum varietate distribuit. Hinc Hæresis appellatio Græcis, nostris Electio perbellè ijs attributa; propterea quòd meliorem habitam quisque opinionem vltrò sectaretur. Ac ne quis nostram in nos posse conuerti orationem putet; quasi non minùs in Theologicam disciplinam quadrare videatur nomen hæreseos, quando plurimi hominum aliarum sectarum errores execrati hanc ipsam sibi deligunt, veriorem arbitrati. Ne quæso vos fugiat, quòd modò prælibauimus, longè plurimùm interesse humanum inter, & Diuinum lumen. Illud (quis neget?) ambiguum, obscurum, fallax; hoc autem certùm, sincerum, perspicuum. Itaque in illo militantes lumine cogitationes, & sensus hominum, varias passim captiones incurrunt, vti erudiens olim Doctor Gentium Colossenses, *Videte*, inquit, *ne quis vos seducat per Philosophiam, & inanem fallaciam*. Porrò hæc fallacia seductrix quid nisi hæresis appellata? Multò fit seciùs in lumine Diuino Theologiæ, in quo planè offendicula occurrunt nulla, nullæ ambiguitates. Esto quantumcumque humanis sensibus abditum, & abstrusum, atque adeò repugnans dogma, per id lumen illico detegitur, hauritur, tenetur, multòque veriùs vsurpare fas est illud de reuelante Deo, quàm de philosophante olim Socrate. *Ipse dixit*, nam eà nos traditis per Ecclesiam assentimur, quà reuelantem Deum intelligimus, Ecclesiæ ipsius Præsidem, Rectorem, Doctorem, quàm nec ille fallere potest, nec falli nos ab illa posse formidamus.

damus. Ergo ſicut ab hæreſis nuncupatione dicam, an nota? eximitur Theologia, quæ traditione nititur Dei, non hominis; Ita illam è contrario ſibi per ſummam aſciſcunt infamiam, qui proprij Martis ſententiam expoſito per ſacras literas, per Apoſtolicas definitiones, per Conciliaria ſcita, per Eccleſiæ commune, conſtanſque ſuffragium, Diuino dictato peruicaces anteferunt. O vocem hæreſeos, non vt olim in Philoſophis promiſcuam, ac dignam venia; ſed improbam, ſed execrandam, ſed in Mundi fæce, in homunculis, præ Luciferiana arrogantia, tumore, proteruitate monſtroſiſſimam. Quæ cùm ita ſint, adoremus nos proni emicantem de Cælo lucem Sacroſanctam, atque ad eius fulgores nonnulla placita de Principe Theologicarum virtutum FIDE per Theſes mox proponendas diſputando verſemus.

GRATIÆ.

Nihil in Mundo tam varium, quàm hominum opinatio. Quot capita, tot ſententiæ. Date ergo mihi hanc veniam, Auditores, vt & ego variem à vobis: ſcilicet pro eo, quòd ex humanitate contenditis deriuaſſe à me in vos meritum, reponi potiùs meritum in me veſtrum patiamini.

THEOLOGIA GENERATIM.

Vel de Fide, Spe, & Charitate.

Quò ſe nobiliùs atque ſplendidiùs in oculis Sapientum Chriſtiana explicat Theologia, quàm olim Ethnica, hòc reliquas omnes diſciplinas atque ſcientias longiore poſt illa relinqui interuallo, nemo iure mirabitur, Auditores. Mirari certè plerique non deſinent, quemadmodùm in inſaniſſima veterum ſuperſtitione ita antiquum eſſet commendare etiam atque etiam populis, ac perſuaſum facere ſtudium religionis, & cultum Numinis (quodquod illud tandem pro Numine ſibi ſtatuerent). Quaſi non priùs admonendos rudes illorum hominum eſſe exiſtimarent, ſe vitam viuere, quàm quo ritu, ipſius vitæ Authorem, Conſeruatoremque demererentur. Quòd vt arctiùs infigerent illorum animis, ſeruatæ quidem religionis pretium faciebant tùm priuata commoda, tùm publica, valetudinem, prolem, opes, gloriam, felicitatem denique & robur Imperij: Violatæ autem ipſius religionis, neglectæuè ſupplicium, Morbos, ærumnas, orbitates, Reique publicæ calamitates, & excidium. Hinc Tullius

lius Romanæ magnitudinis auſpicium indicans. *Romanos*, inquit, *non calliditate aut robore; ſed pietate, ac religione omnes gentes, nationeſque ſuperaſſe*. Cui verò, niſi neglectæ religioni, & apud inclytum illum tot victorijs populum opinio communis teſte Valerio attribuit Cannenſis prælij exitum infeliciſſimum? Quæ profectò opinio elicere potuit Patauino hiſtorico memorabile illud dicterium (Liu. lib. 5. Dec. 1.). *Omnia proſpere venire ſequentibus Deos, aduerſa autem ſpernentibus*. Atque hunc veterum ſenſum quis neget inter caliginem ethnicam tenuiſſimum quendam eſſe radium Cæleſtis illius luminis vultus Diuini, Quòd, vt ait Rex Vates, ſignatum à Conditore fuit ſuper hominem? Quid loquar, vbi pòſt omni diſcuſſa caligine effudit ſe ſe puriſſima de Cælo lux? Quàm altè putamus inſediſſe animis Chriſtiano ritu conſecratis, in exorſu præſertim Eccleſiæ, cultum veri ac immortalis Dei? Perſonat etiam nùm, perſonat fama Theodoſij inclyti Cæſaris; nec enim conticeſcere ſinit longior millenario tractus annorum, quòd in memoriæ æternitate conſecratum eſt. Refert quippè, illum moriturum, nil aliud liberis ſuis Honorio atque Arcadio impenſiùs commendauiſſe, quàm vt integram religionem conſeruatam vellent, pollicitum indè quietem, & pacem, certoſque illos reddentem, non præmia vnquam defutura, non victorias, non denique Cæleſte patrocinium. Quantus autem in eo Principe (vt ab illo minimè diſcedamus) eſſet in Deum cultus religionis, conſulite ſacros Annales, relegite memorias Ambroſij Mediolanenſis Antiſtitis, ac Doctoris eximij, tùm vix credetis fieri potuiſſe, qua eſſet Cæſar obſeruantia in Diuorum Baſilicas, in Præſules Eccleſiæ, in ſacrificulos, in ordinis Clericalis quòdcunque genus miniſtros: cognoſcetis patrata per tantùm Monarcham in oculis omnium ea Chriſtianæ humilitatis, atque demiſſionis exempla, quæ in priuatis de plebe hominibus deſideretis. Iure id ac merito, Auditores. Tanta ſcilicet Maieſtas eſt Numinis, vt quidquid ad eius cultum quoquo pertinet modò, venerationem à nobis depoſcat quantam maximam. Quanta porrò fuerit diſciplinæ illius dignitas, quæ tanti Numinis deuelat gloriam? Quæ de ipſo à nobis credenda, quæ propter ipſum gerenda, quæ ſperanda ab ipſo, nobis diſertè aperit, & omni procul erroris ſuſpicione manifeſtat; De hac igitur dum capita quædam (vel dum capita illa de Fide, Spe, Charitate) diſcutienda, intelligentiæ gratia vobis propono, exhibete Vos diſputaturi patientiam, audituri ſilentium, vniuerſi fauorem.

GRATIÆ

GRATIÆ.

QVemadmodùm diſciplinis quibuſcunque præripit ſua dignitate principatum Theologia: ita gratias quaſcunque vobis agendi præripit mihi ſpem incomparanda iſta, qua diſputanti fauiſtis, humanitas.

THEOLOGIA MORALIS.

Vel Philoſophia.

PYthagoræ multùm debet Antiquitas, quòd caſtigata Sapientum ſuorum arrogantia, Philoſophi nomen, id eſt Sapientiæ ſtudioſi, ſapientiore conſilio primus inuenit. Quamquàm id non tam modeſtiæ genio feciſſe, quàm conſcientia motum prudens quiſque facilè iudicet, cùm illorum præcepta, meliùs anilia deliramenta, & impudentiæ nobilis ſtultiſſima placita puderet aduertere. Socrates ille ſapientiſſimus mortalium publicatus oraculo, qui Naturalem Philoſophiam primus ad Moralem traduxit, quàm malè de ſuàmet Ethice meruerit, ſatis probauit eo dicto: *Quæ ſupra nos, nihil ad nos*. Quo ſanè dicto contemplationem Numinis, atque eius cultum ſacroſanctum, vnde omnis humanæ vitæ ratio, vnde morum caſtimonia, vnde norma virtutis primùm petitur, ablegandum ab hominum genere exiſtimauit. Et, quòd habet monſtri ſpeciem, aucupans ipſe obliquo tramite, quo inſipientiam profitetur, ſingularis famam ſapientiæ, *hoc vnum* dictitabat, *ſe ſcire, quòd nihil ſciret*. Satiùs (credo) dicturus, ſe nihil ſcire, quòd vnum id, à quo noſtra pendent omnia, neſciret. Quare vt Scientiſſimus haberetur, ſcientiam omnem è Mundo callidus ſubmouit; ignarum ſe rerum omnium venditans, vt ignaros præ ſe reliquos omnes oſtenderet Socrati Epicurus antithetos, intolerandæ nimirùm, Stultitiæ dicam, an calliditatis? Calliditatis ſtultiſſimæ dicam, vt qui omnium planè ingeniorum: & venditat ſe conſultiſſimum, & præcepta moribus ſingulorum adulantia contrahendæ ad ſe multitudini præclarè concinnat. Hebeſcit alicui ingenium? feriato (iubet Epicurus) à literario ſtudio. Cruciat hunc fames auri? Ieiunato (inquit) à populari largitione. Alium ignauia deprimit? Procul eſto à Republica. Tardat alium pigritia? & hic procul ab exercitio. Timiditas tenet? A militia procul. Eſt, qui religionem auerſetur? Scito, nil Deos

curare.

curare? Qui suis innumanus deseruiat commodis? Nil tribuat cuiquam: Sapientem quippè omnia facere sua causa. Cui turba inuisa sit? solitudinem rectà petito. Cui vxor? habet cælibatus innumera commoda. Cui mali liberi? Nihil scito orbitate tranquillius. Cui parentes impij? At naturæ nullum est vinculum. Tu quoque si claritatem, & potentiam curas, præciperis Regem colere. Si molestiam non sustines, Regiam fuge. Si delicatum & impatiens corpus habes, næ omnium malorum est dolor, maximus. Si fortem animum? etiam in tormentis beatus est Sapiens. Si gula irritaris: habes vtique in voluptate beatitatem. Si parsimoniam victus probas, quidni aqua & polenta vitam toleres? Ita homo insanè astutus Epicurus efficitur Protheus, vt omnibus assumptis formis omnes decipiat homunculos, obtentu Sapientiæ singulis gratæ. Cuius porrò Sapientiæ, Deus Immortalis? quæ metam votorum nostrorum constituit Voluptatem honestate neglecta: quæ in explenda libidine felicitatem instar brutorum collocat: quæ pronos in scelera solicitat, labentes vrget, ruentes præcipitat. Atque istos tu Sapientes credas? Hos vitæ magistros? hos ciuitatum moderatores? oracula humani generis? miracula ingenij? arcanorum interpretes? arbitros Mundi? Sat multum, inquit Pythagoras, si studiosum modò, si cupidum, si cultorem atque obseruatorem religiosum tanti nominis præ me feram. Contentus appellari Philosophus, suspicioni subtrahar arrogantiæ: moderationis titulo effugiam ambitionis notam, inscientiam compensabo ipso sapientiæ studio. Quò nos iustiùs, Auditores, inaugurat vindicata ab ineptijs, & artibus priscorum Philosophia? Vt exprobrari jam nequeat nobis, quemadmodum ijs, quòd nostrum, non Sapientiæ studium sit, sed stadium insaniæ; quòd Philosophia nostra dictio theatralis, & scænica, quòd decipula speciosa imperitorum, quòd eruditionis mendax pompa, inflatæ buccæ sonitus, phaleratæ ambitionis vox, amentium crepitaculum. Hanc verò gratiam, Auditores, habemus Sacræ Theologiæ: Quam vt ego aliqua in parte probatam faciam, exposito palam libello prodibo alacer in arenam, vires quantascunque ingenij mei pro illius dignitate libenter pacturus.

GRATIÆ.

QVòd solo Sapientiæ prætento studio satis se probari Sapientes putarent prisci Philosophi; persuadet me quoque in vos, Humanissimi Auditores, satis gratum fore videndum; si

tuas agere pares gratias non possum, agere me tamen exoptare affirmem.

THEOLOGIA GENERATIM.

Vel de Virtutibus ex 2. 2. Sancti Thomæ.

PVdet Religiosum hominem ad profanos Iudices prouocare. Sed ea est, non dico temporum corruptela, vt quæritantur plerique, sed Religionis nostræ sanctitudo, vt lucem ex tenebris hauriat, atque ethnicæ superstitionis opposita velut vmbrarum, sui lumina candoris exprimat viuidiùs synceris oculis. Vultis, expingam vno tractu momentum veræ Religionis in Republica? Consulite Samnites ethnicos; tum ipsi respondebunt exemplo, quanti esse debeant Christianis hominibus, quem ipsi verò Numine doctore profitentur, rerum sacrarum cultum. Plures à Romanis illatas clades habuerant Samnites. Ad extremum fusæ in Tuscia, deletæque eorum copiæ cum Ducibus ipsis atque Tribunis. Ad hæc socijs deuictis Tuscis, Gallis, Vmbris (dicam ex Historico) *nec suis, nec externis viribus iam stare poterant; tamen bello non abstinebant, adeò nec infeliciter quidem defensæ libertatis tædebat, & vinci, quàm non tentare victoriam malebant.* Mens igitur fuit extremum periculum facere. Sed quando non latebat, obstinato militi desponsam fore victoriam; id verò non aliter meliùs, quàm per Religionem præstari; quid illi? Repetere sacrificium vetus constituunt per Ouium Paccium Sacerdotem, ita ferè: Vt peracto solemniter Sacro, atque inter cæsas victimas, incensasque Aras præfectis armorum vniuersis ad sacramentum coactis, nequaquàm se prælio abdicaturos. Tùm milites singulos vocarent, ijsque inter Aras plurimo Centurione stipatis iusiurandum primò districtis ensibus extorquerent, nihil se, quòd vidissent, audissentuè, cuiquam mortalium relaturos. Hinc diris, & formidolosis carminibus altero in Deos iureiurando adstringerent, ad iussa Imperatorum præsto se fore, nunquam deserturos pugnam, fugitiuum quemque necaturos: Earum rerum si quàm violassent, in suum ipsorum caput, in familiæ, in stirpis versum iri. Si Religione quis territus sacramentum respueret, illicò Centurionum ferro multaretur. Ita fracti qui post succedebant, ferocitate spectaculi admisere omnes sacramentum. Atque hanc sibi aciem quò magnificentiùs instruerent (fuere quippè millia virorum quadraginta)

indue-

induerè ad dimidium candidis sagis, cristatisque superbè galeis. Sic itaque instructi ad Aquiloniam consedere. Sed mouens ex aduerso Papirius inter adhortandum milites; *Non enim*, ait, *cristas vulnera facere, & picta auratáque scuta transire Romanum pilum*. Vtque conceptam suis opinionem de hoste eleuaret propter iusiurandum admissum, *hoc*, inquit, *ad formidinem istorum esse, non ad virtutem*, quòd vno ijs tempore & Ciues, & Deos, & Hostem metuendum simul esset. Congressis itaque cessere Samnites, annuente virtuti Romanæ Fortuna, ne vana illorum religio fidem emeret. Tametsi, dicam ego, quod conuicti superioribus cladibus Samnites, perorante pro Romanis Victoria constantissimo successu consilium Religionis in extremum armorum perfugium ineunt, quasi fatalem hostibus machinam opponentes, vt Dijs ipsis oppugnatoribus frustrà se colluctari intelligant: quis non planè, & apertè conijcet, & qualis fuisset futurus exitus syncerae religionis, si mentibus obcæcatis affulsisset: & quantùm ad animos mortalium vrgendos valeat illius studium, quòd populis frequenti attritione consternatis restituere valuerit animos, atque ferocissimam triumphis gentem inuadendam armare? Quod ergo negatur ciuilibus legibus, hoc sacris conceditur. Quod iura propriæ libertatis non obtinent, hoc Diuinorum metus extorquet. Deploratæ bello res hoc vno in spem eriguntur: Et quos discrimen capitis inter amicos intento mucrone coëgerat vilia timoris mancipia, egit Sacramentum spontaneos, vt pectus, vt caput inter hostiles acies hostiæ liberales deuotarent. Habetis ergo præsidium Reipublicæ in Religione, quantùm potest esse maximum vèl ex eorum sensu, quibus vt sacra humanis, non vt humana sacris inseruiant, cura præcipua est. Nam quòd scrupulus est hominibus profanis Religio, hoc ipso acerbiore præmunt sensu, & quàm calce proterunt impiè fastidiosi, sæuiorem pectore tortorem probant. Quid reliquum est, Auditores, nisi vt sacram Theologiam veræ Religionis vindicem, ac tutelam, Samnitum præiudicatam exemplo (à minori ad maius dicam, an à falso ad verum?) discussis positionibus, quæ mox per me producentur, omni conatu ingenij, omnibus intelligentiæ neruis tamquàm præcipuum felicitatis publicæ fundamentum propugnemus?

GRATIÆ.

PRo Religione dimicaui, Theologiam propugnans. Sed instar Samnitum recedo victus, non hostili, sed amica virtute; huma-

manitate dico vestra (Ornatissimi Viri) à qua iuuat me vinci, dum vestra mihi victoria gloriosiorem adornat triumphum.

ECCLESIASTICA.

Ante solemnem pedum ablutionem in Cœna Domini, dicta à Discipulo Mediolani.

PErsuasum Christiano cuique homini placitum, sed insuaue: perceptum satis, sed minùs acceptum: intellectum, sed neglectum reuocat in mentem nobis hodierna luce recurrens Apostolicorum pedum ablutio. Illam innuo ego virtutem, cui Abiectio, atque Humilitas nomen est: re tamen ipsà Elatio probatur, ac Dignitas. De cuius singulari præcellentia tametsi absurdum videatur, quod ego inter homines pusio, inter disertos infantulus dicere ingrediar; ansam nihilominùs dicendi præbet hæc ipsa ingenioli mei consentiens partim cum argumenti significatione humilitas. Ita verò se res habet, Religiosissima Concio. Totum Dominicæ vitæ in terris curriculum stadium fuit, in quo superbientem hominem lacessiuit Deus ad humilitatis generosæ congressum. In, quo non Olympicum puluerem, sed terrenum studiosæ moderationis colligere nos docuit: In quo cælestis Alcides exegit nos Antheos ex voluntario in terram casu altiùs resilientes. Quid namque sibi voluit sublimis ea Maiestas è Cæli solio ad hæc ima terrarum se se demittens? Quid increata Sapientia infantilibus in membris balbutiens? Empyrei gloria terrenis fœculenta miserijs? Felicitas immortalium Cælitum ærumnis absorpta mortalium? Omnipotentis dextera nostram sciens infirmitatem? Superorum beatitas obiecta iniurijs temporis? Angelicarum mentium saturitas inediæ languores experta? Vno verbo: Quid Mundus in homine Deum intuens agnouit; nisi summam cum summa celsitudine conspirantem humilitatem ad nostræ probrum elationis, ad arrogantiæ compressionem, ad deiectionem superbiæ? Et miremur nouum velut exemplum. Orbi exhibitum hodierna luce, eandem ipsam Maiestatem Christi Dei ad plantas Discipulorum abiectam obsequium ijs, ac ministerium ablutionis impendere? Miremur inclinari illam ad animos hominum terrenis sordibus perpurgandos, quæ in semetipsa humanitatis nostræ sordes suscepit? Miremur lauacrum ex vndis ad munditiem prospexisse, quibus sanguinea balnea ad salutem suo de corpore meditabatur? Miranda nihilo-

nihilominus hæc esse quis neget, atque omni æstimatione maiora? Verumtamen in hac ipsa humilitate multò profundius quiddam dispicimus, quòd miremur, dignum illud Deo, hoc est intelligentiæ humanæ sensum excedens, ne dum sermonis facultatem. Quid verò? Video hic arrectas in me aures vestrum omnium, attentos animos. An quòd in stuporem egit Discipulorum Principem Petrum, quùm cælestem Magistrum genibus ante se flexis prouolutum cernens; Tu, inquit, Tu mihi lauas pedes? Vtinam res hic stetisset, Auditores: Vtinam simili Petri discipulo intentum id officium fuisset. Etiamnè Iudæ Iscariotæ intenditur? O rem expauendam, exhorrendamque. Te nè (IESV bone) abluere Iscariotæ pedes voluisse? Te nè Deum homunculo, sanctum impio, innocentem nocenti, integrum corrupto, pientissimum parentem degeneri filio, Magistrum optimum discipulo perfido, Amicum beneuolentissimum sceleſtissimo proditori, beneficentissimum sodalem ingratissimo, Angelorum delicium cacodæmoni, sanctimoniæ florem fœci teterrimæ humani generis? Te, dico, amicum suauissimum, & supra vota munificum ad pedes nefarij inimici procumbentem, amore odia lacessere, ingratum gratia prouocare? O nos quàm longè hinc aberramus, Auditores: quàm longè ab isto resilimus exemplo! Nam vbi nos vtpotè doctrinæ à Christo traditæ obseruatores, maleficia beneficijs rependere oporteret, atque ijs hominibus nosmet religiosè submittere, à quibus negligi, ac pessùm premi videamus, quàm diuersam, heu, viam ingredimur? Maleficijs maleficia, iniurijs iniurias, probris probra compensanda per nos esse putamus: atque protrito fasto inimicorum, calcatis ceruicibus, tùm demum sustolli in præaltum dignitatis gradum arbitramur. Non ita Christi asseclæ, non ita edocemur à Christo; qui parùm duxit, quod Petro submitteretur homini integro, scilicet amico syncerissimo, studiosissimoque, Quin Iudæ perdito, atque vel tetriori illo (si res poposcisset) dignam siderea coronà ceruicem subigere non renuit, architectas Orbis manus obsequiosas porrigere, osculabunda labia admouere, & ea labia, vndè hauriunt perennem felices Animæ succum beatitatis, sempiterni mella delicij. Quapropter exesto hinc procul, Religiosissimi Auditores, exesto omnis sensus tumoris: Detergite cum isto ablutionis ritu sacrosancto omnes ex animo sordes superbiæ, adornamini Christiani humilitate, qua tantumdem similes Christo demùm reddamini, quantùm corrupto Mundi dissimiles. Dixi.

ECCLE-

ECCLESIASTICA ALTERA:

Ante solemnem pedum ablutionem in Cœna Domini.

Reformidarem (religiosissimi Auditores) notam temeritatis insignem, ingressus hodierna celebritate publicè proloquendi prouinciam; nisi è tanto mysterio oblata sponte materies tametsi humana facultate superior, & quoduis epidicticum dicendi genus eludens, animos mihi ac spiritus, quos conscientia negaret, ex meamet conditione suggereret. Alibi magnitudo argumenti sæpenumero (vt ex historijs accepimus) deterruit valentissimos Oratorum, omni spe deiectos exæquandi dictione, quòd pertractandum susceperant, eam ob legem apud Artis magistros receptam, Vt selectis verbis, vt bonis sententijs, vt styli genere pretium rei, si minùs exaggeres; sustentes certè, non deprimas. Hic autem longè aliter intelligo mihi esse præceptum, vbi & argumento nihil sublimius datur, & omnis tamen sublimitas orationis, quia de Maiestatis supremæ voluntaria humilitate agitur, ne ab re proposita discordet Orator, voluntariè foret negligenda, quando id necessitas indisertissimi per se hominis non iuberet. Verumtamen in sacrosancto huius festi mysterio est operæ Auditores, intelligere, quæ tanta fuerit causa, cur Diuina celsitudo Christi IESV Seruatoris ad suorum pedes discipulorum, hominum certè rudium, atque ex ignobiliore numero se se abiecerit, & sacrosanctas illas manus Cæli, ac siderum architectas limosis, ac lutulentis eorum plantis abluendis fatigauerit. Quid, nisi vt animos ipsorum impolitos, ac fæculentos ad futuri mysterij religionem decentiùs compararet? Iam cognoscitis (credo) quid sibi mea velit oratio, quò tendat, quid commendatum iubeat hodierno cœtu. Meditabatur Christus IESVS beneficium omnium multò maximum, & incomparandum erga Humanum genus. Moliebatur experimentum charitatis incompertum adhuc Mundo, ac inauditum, Cælestibus ipsis Intelligentijs imperceptum; Augustissimam dico Eucharistiam tot quidem vaticinijs, tot symbolis, tot prænuntijs adumbratam, suam verò in mente ab æternitate tota, penicillo sapientiæ, lineis omnipotentiæ, coloribus pietatis expressam, cursu tandem sæculorum peracto, ac suspiratissima meta iam tacta, in lucem proferre ad Mundi consecrationem parabat. An decuit tantum epulum ignaris mortalibus tanquàm brutis apponi? Minimè

verò: Excitandi igitur fuerant promisso, erudiendi præcepto, expiandi lauacro, & quanti id beneficium esset, instituta per largitorem ipsum Deum ablutionis cæremonia, præmonendi. Quid enim res Diuinas tractantem decet aliud, quàm mundities? Moles hæc rerum admirabilis, ac specimen primùm Diuinæ pulchritudinis sese diffundentis non reperit, quo appellaretur congruentius Mundi nomine. In hac ipsa sedem sibi superiorem delegit perfusam luce, radiatam planetis, distinctam sideribus, procul à fæce corruptibilis Mundi, à cœno telluris, à sordibus sublunaribus: Et merito. Non Mundum quis dixerit, ac primùm Deum; sed munditiem ipsam, sed fontem puritatis, cuius in oculis mundissima quæque parent immunda, purissima impura; cuius vèl in Angelis (ait Diuinus Iobus) hoc est in spiritibus labes nescientibus corporales, aut situm carnis, reperitur nihilominùs prauitas, extant maculæ. Quid porrò in nobis mortalibus? quid in homunculis origine atque vsu terrenis? Quid in hoc luto versantibus, ac se se volutantibus, non magis corpore, quàm sensibus animi? Fuit ergo, fuit quàm maximè necessaria Discipulis Christi huiusmodi expiatio, quò Diuinum munus, præsentiam dico Dei gloriosam hospitio pectoris mundiore reciperent. O nostros animos beatissimos, Auditores; in hisce inquam ipsis miserijs mortalitatis, & vitæ præsentis ærumnis beatissimos, si labibus criminum per lauacrum Pœnitentiæ sacrosanctum perpurgati, ad augustissimum hoc Sacramentum accedamus. Videlicet Regem Cæli nostro pectore, animato quasi Cælo excipimus, fruituri in Terris Cælesti Beatorum Ciuium nectare, Cælesti ambrosia: Si tamen, quo par est, nitimur studio, æmuli Apostolorum, vt Diuina operante manu, quæ nunquàm non adest religioso cuiuis mortalium, pedes animi, nempè partes vèl extremas conscientiæ, leuioresque labes, & maculas, post expiata læthalia crimina, & grauiores detersas fœditates, nequid ad munditiem erga tantùm mysterium consummatam nobis desit, abluamus. Dixi.

ECCLESIASTICA.

In sacro sodalitio ad instaurandos Magistratus, Calendis Ianuarij.

PRimùm in humanis votis non solùm ad rectè administrandam Rempublicam, sed etiam ad priuatam cuiusque vitam

cum

cum laude traducendam, primus hic & Anni, & Mensis dies profectò nobis insinuat; Illustrissimi magistratus, Ornatissimi Auditores. Hodierna enim luce, quæ Seruatoris nostri Circumcisi simul, & IESV nomine augustissimo insigniti memoriam renouat; moderatio animi nostri, ac sensuum quantum habeat momenti, quantumque in ea præsidij felicitas nostra repositum sentiat, haud obscurè admonemur. Siquidem nemo dixerit, concurrere perperàm hodie, sanguinem sacrosanctum è vulnere Diuini infantis Circumcisi defluentem, cum ipsiusmet nomine, auspice salutis felicissimo. Itaque culter ille lapideus ex ritu Mosaico præcidens carnis præputium, vtique nobis præcidenda esse docet immodica cupiditatum: Sed & consonans subindè salus in appellatione noui nominis, haud obscurè indicat, nostræ originem salutis ex ipsamet virtutis disciplina confectariam fore. Sic enim se res habet, Auditores. Condiderat Cælæstis architectus ex tot animantium generibus vnum Diuinitatis capacem Hominem, animum inspirans immortalem, immortalesque illas facultates Mentem, ac Voluntatem sola immensitate complendas. Ipsum etsi Principem Terrarum constituerit, subiectis eius imperio cùm Animantibus cæteris, tùm rebus omnibus, quas Orbis terrarum suo sinu complectitur, vltra fines illius nihilominùs protendit iura pomærij sui, intra Cælum admisit dominantem; eiusdemmet secum competitorem, & quasi ex asse hæredem beatitatis. Delicijs ergo sempiternis natus homo, quid mirum, si semper fluxas istas consectatur? Immensis natus, facilè in breuibus istis incontinens erit: Cælestibus natus, nequaquàm in terrenis conquiescit. Itaque promptum habet diffluere in oblatas à casu, ab arte sensibus corporis voluptates; atque lutosis in riuulis pronum mergi, ac volutari, quousque purissimum fontem, quem à natura sitit, assequatur. Hoc etiam ampliùs, Auditores, quando Nos Adami Principis nostri intemperantia propaginem vitiatam ex felicissimo in infelicissimum solùm translatum effecit. O damnatam memoriam, atque ad vltimum vsque Mundi seculum execrandam. Degebat ille (an ne egebat?) delicijs vndecunque cinctus, melius dicam, stipatus, obsessus; vt nihil iam oculus concupisceret, quòd non teneret; nihil quæreret manus, quòd non apprehenderet; nihil auris optaret, quòd non perciperet; nihil palatum appeteret, quòd non hauriret; nihil mens, nihil sensus, nihil animus inhiaret, quòd non illico obuium haberet, & multò paratissimum. Vndique oblectamenti seges, vndique voluptatis materies,

ries, vndique, messis vberrima felicitatis. Neque hæc omnia tantùm, sed & sponsio certa accesserat longè melioris vitæ, & cum Cælesti ipsa Terrenæ gloriæ proximè commutandæ. His tot, tantisque conferto, ac circumuallato bonis, sicut facillimum videri poterat ab vno sibi temperare, & eo fluxo, atque breuissimo pomi oblectamento; ita pernecessarium iudicare debuerat, ne ab illo gradu deiectus miseram bonorum omnium, atque iuris ad Cæleste Regnum iacturam experiretur. Vtinam non in vno puncto omnia lusisset: Vtinam cùm in tanto honore esset positus, intellexisset; neque comparatus iumentis insipientibus, ac similis illis esset factus, sed quòd est rationis proprium, habenas sensuum contraxisset, frænum cupiditati brutæ atque libidini validum iniecisset; non eam certè Nos misera miserrimi Parentis prosapia tyrannidem pateremur effrænæ libidinis, cuius causa dies vitæ nostræ nigris calculis omnes penè numeramus, hoc est vnam vix dieculam transigimus fortunatam, ac dignam homine. Quis enim est, qui, si mentis aciem in hanc rem parumper intenderit, non facilè aduertat, sua quemque mortalium intemperantia miserum reddi? Quàm latus hic mihi campus dicendi patescit? quàm locuples vena orationis? Nam cùm historiarum omnium memoria nihil, nisi res hominum prosperas felicesque comprehendat; facinora cum virtute, cum vitio patrata recitans; cùm omnium Philosophorum monumenta plura sint de optima morum disciplina; cùm Poëtarum lusus vtilitatem bonæ institutionis cum dulci fabulosæ commentationis permisceant; cùm sacri ipsi Vatum codices nunc integerrimam quorundam virorum vitam ad imitandum, nunc perditam aliorum ad execrandum proponant, atque illis quæ præmia reposita sint, quæque istis supplicia ab æquissimo vindice Deo reseruata; Ecquis iam dubitabit, totam salutis nostræ summam in studio temperantiæ, qua pullulantes immodicè, luxuriantesque cupiditates ipsi compescimus, & sensum rationi, rationem Deo subdi iubemus, contineri? Hoc enimuerò docere quis neget Christum Deum hodierna sui corpusculi circumcisione, quàm & nomine salutis pleno obsignauit vti maximum, & præcipuum monitum? Hoc præcepto non verbali, sed actiuo confutatum esse voluit, quòd exemplo suo tradiderat initio Parens nostri generis, ad scopulum intemperantiæ turpissimè naufragatus. Decuit autem omninò, vt Adami huius prioris amentiam damnaret Adamus posterior, vt luctum illius pœnitentis suo hic non modò luctu, sed etiam sanguine vindicaret. O Christe Præceptorum optime,

 O Do-

O Doctor pijſſime humani generis. Siccine eruditionem noſtram lacrymis tibi ac ſanguine conſtitiſſe? En Auditores, vti puer infans amentiam noſtram ſapientiſſimè arguit: vti noſtras cupiditates ſuis pœnis, noſtras libidines ſuis ſupplicijs, noſtram ſalutem ſua iactura puellus bellulus, blandulus, formoſulus per ſummam in ſe ipſum ſeueritatem, in nos facilitatem ſtudet compeſcere. Erudiamur aliquando, Auditores tanto, ac tali magiſtro correpti: Diſcamuſque non alia nos via ad felicitatem, quàm temperantia; non alia ad interitum, quàm intemperantia deducendos. Dixi.

ECCLESIASTICA.

Ante ſolemnem pompam Imaginis Chriſti Domini Crucifixi in nocte Paraſceues.

PRÆFATIO PRIOR.

ME tam funeſtæ, tam impiæ, tam crudelis, tam execrandæ noctis attonitum ſpectaculis, obſtupefactum impietate, perturbatum ſæuitie vix mentis comporem à vobis video intenta oculorum acie obſeruari. Video in me veſtra omnium admirantium tacita ora, & vix nutantes oculos eſſe conuerſos. Video nec ſine admiratione mea admirari vos, quòd tanto dolore præmar, tantaque tenear perturbatione, vt fruſtra repreſſa erumpant flumina vndantium lacrymarum, fruſtra ſimulatus palleſcat vultus, fruſtra exſiccati geminis fontibus oculi ſcateant, ac redundent. Verùm id vobis immeritò mirum atque intempeſtiuum videri debet (Religioſiſſimi Auditores). Verſor quippè in hac triſti, ac tenebricoſa nocte, in qua quo me cunque conuertam, nil præter denſam tenebrarum caliginem, nil præter immanes cruciatus, nil præter rerum omnium pertubationem ſpectare poſſim. Hæc eſt illa nox, Auditores, cui non turbida Vrbis Troiæ, fatalis, atque infauſta nox, proditione, ac latrocinio infamis, quamuis in ea tantùm Imperium, atque orbis caput Ilium dirutum, ac penitùs ſit deuaſtatum; quamuis Rex, Regum Maximus Priamus, terrarum orbi formidoloſus, inuicta illa quinquaginta filiorum caterua ſpoliatus infanda morte contrucidatus occubuerit; quamuis vniuerſæ illius gentis potentiſſimæ non vires modò contuſæ, & refractæ, ſed extincta etiam gloria fortunæ ludibrio conciderit, nec luctu, nec dolore, nec acerbi-

acerbitate potest comparari. Hæc est illa nox, cui non consuetus albentis Lunæ fulgor, non stellarum micantium ignes, non serena Cæli facies, non proprij fulgores illuxerint, sed quàm atræ nubes, ac tempestates, ventorum fragor, rerum omnium perturbatio inter cæteras omnes maximè funestarint. Hæc est illa nox tam horribilis, tam tetra, tam immanis, vt cum ea prisca illa, & prima omnium (sic enim appellare iuuat rerum omnium chaos) minimè æquanda videatur; in qua neque Sol fulgore incomparabili Cælum Terramque illustrabat; neque quiescentis fratris vice Luna tenebris præerat; nec aër terræ circumfusus; nec terra aqua circumsepta considebat. Sed permixtus grauissimæ Terræ tenuissimus aër, atque in eo ipso loco vbi aër erat, & terra, & ignis, & aqua ipsa consistebat, vt, quæ modò grauissima est terra, mobilis esset, &, quæ mobilis aqua, immota sederet: non calore, frigore, humore, siccitate temperata corpora; sed natura iners, & infœcunda inutile pondus ac immensum iacebat. Sed quid aio, hæc vt illi nox par esse possit, vt æquè sit admiranda, vt æquè terribilis, vt æquè formidabilis? In hac, truci atque immani spectaculo summa imis, ima summis, media vtrisque permixta raptim, & confusa fuerunt: In illa verò non tenuissima elementa crassioribus permixta, ac indigno contactu vitiata; non lux à tenebris, tenebræ à luce oppressæ, non denique procreata omnia, auerso, & præpostero ordine sunt iactura; sed rerum omnium procreator, Orbis terrarum, ac Cæli conditor, Naturæ principium, Solis Lunæ ac Stellarum circumactor, ventorum, tempestatumque arbiter, cuius ad nomen terribile vniuersa quæ in rerum natura sunt, contremiscunt, quem Inferorum agmina reformidant, Cælestium chori venerantur, cuius nutui Fatum ac Natura obtemperant: hic ipse rebus ab se procreatis, hic humano generi, hic vilissimis homunculis se subijciens, immanibus tormentorum generibus crudeliter, & barbarè dilaniatur. Felices sanè Cæli, felicia siderum & inuiolata lumina, quibus datum fuit tantæ rei indignitate, tanti sceleris aspectu non temerari. Felices sanè Orbes, qui nubium fascia densissimarum redimiti oculos tam luctuosæ noctis lugubrem faciem non tolerastis. Felicia Scorpionúm, Vrsarum, Serpentum, Canum, Centaurorum monstra, quibus datum fuit in hac infelici nocte intra consuetos Cælestium syluarum limites contineri, neque fulgores vestros in tanta Naturæ perturbatione perturbari. Sed quid ego? Cur non potius vos miros, cur non inertes, cur non terra ipsa humiliores appel-

lem, qui vestrum illud lumen, qui vestrum decus, qui vestrum motorem, qui conditorem in terris humano indutum corpore morantem pro terrarum orbe exquisitissimis supplicijs affectum, ad Iudices pertractum, infami satellitum turba circumseptum, extrema omnia tolerantem, pro Animorum libertate concertantem, vel non potuistis spectare, vel certè recusastis. Illum vidit terra, vèl densissimis oppressa tenebris, vehementissimis contumelijs à latronibus, à satellitibus vexatum, illum, tantùm Numen tantamque Maiestatem purpurea ad ludibrium veste indutum hùc, illùc trahi, mundi Mundi conditoribus brachijs ad terga nodo arctissimo religatis; illum minacibus verbis, illum impurissimarum manuum ac pedum ictibus, illum illum fœdissimis sputis indignè dehonestatum; Vos eius Patria, vos eius domicilium, vos eius opera nobiliora non spectastis. Sed quis obsecro nubes illas excitauit? quis densissimą cæcitate Cælestes siderum oculos velauit? Annè Cælum, ne tam tetram atque infamem noctem illustraret, suos ipsius oculos terræ denegauit? aut ne tam atroci spectaculo læderetur, oculos sibi ipsum nubium velaminibus obcœcauit? At quis libentiùs Conditorem suum pugnantem, quis triumphantem spectauisset? Annè igitur aëris ipsius elementum, timens, ne immanibus Iudæorum blasphemijs totum corrumperetur? At, quantùm aërem insana verba perturbabant, tantùm Christi præsentia mitigabat. Quid igitur nubium velamine Cælum obduxit? Certe insignis Dei obduxit prouidentia. Quo enim pacto tam horrendo spectaculo, tanta perturbatione commotum Cælum, quo pacto sidera, quo pacto superna omnia à ruina, à casu, à præpostero cursu desistere potuissent? Sed quis illud non credat potiùs, Cælum ipsum cernens captum, ac reuinctum Christum conditorem, ne acerbiora multò intueretur, luctu ac mœrore deuictum, siderum oculos clausisse: At fortasse Cælum ipsum obductis à Christo ipsius oculis obstupefactum, atque attonitum; aut quod Christum nusquàm videret, cùm iam tot deformatum ictibus non agnosceret, ingenti angore fuisse consternatum. O turbidam, O horrendam, O tristem, O insidiosam, O infamem noctem: Et ita turbidam, atque horrendam, vt huic comparata, Chaos illius confusio ac perturbatio lucis omninò, & nusquàm æquanda esse videatur: Vt nequiuerit Cælum intueri; Vt noluerit ipse Christus à Cælo spectari; Vt quasi indignam, sideribus vniuersis spoliauerit: Tam luctuosam, Auditores, vt à nobis non nigro lapillo, quemadmodùm veteres solebant infelices dies; sed nostro omnium

luctu,

luctu, mœrore, lacrymis sit notanda: Tam infamem vt à nobis execrationibus, ac diris imprecationibus sit prosequenda: In qua nimirum innocens homo, Rex Regum, Dei Optimi Maximi vnigenitus, Christianorum parens, totius Orbis Regnator, Vniuersitatis Conditor ab infamibus proditoribus, ab ignobilibus homuncionibus, à perfidis Iudicibus, à perdito, ingrato, atque æternis supplicijs destinato flagitiosissimorum hominum grege vinculis, verberibus, sputis in latronis morem sit immanissimè excruciatus. Iam quid cunctamini, Viri Religiosi? Quid hæretis? Producite, Heu, Producite in publicum aspectum cruentos artus, extincta lumina, laniatum corpus innocentissimi, ac beneficentissimi Seruatoris. Circumducite per vias, per fora, per compita in testimonium mortalibus tantæ rei clamosum, in execrationem tanti flagitij sempiternam.

ECCLESIASTICA.

Ante solemnem supplicationem cum Imagine Christi Crucifixi in nocte Parasceues.

PRÆFATIO ALTERA.

SI quid in nobis Christianæ pietatis inest, quæ certè inesse debet plurima: aut si quid in recta vitæ ratione laboramus, vt meritò laboramus plurimùm: aut si quid in pijs, atque illustribus operibus perpetrandis nitimur, vt quidem summoperè niti par est, id profectò non nostræ virtuti, atque prudentiæ referre acceptum debemus; sed Christi potiùs cruciatibus, quorum memoriam luctuosissimam, ac longè acerbissimam pari lacrymarum in brevi ac luctu penè inconsolabili repetamus. Cùm enim durissima illa, quibus Christus Dominus est affectus tormenta, cùm immanes cruciatus, cùm turpissimum, atque indignum supplicium, quæ latroni potiùs immanissimo, quàm innocentissimo Viro deberentur, cùm denique ignominiosam mortem mente complectimur, ita statim perturbamur, ita præ nimio dolore obstupescimus, ita contabescimus, nihil vt in tanta perturbatione, luctu, lacrymis, mœrore solari nos possit. Sed vt in tanto dolore lux aliqua solatij saltem affulgeat, aio, neque despero me demonstraturum, gloriosissimam atque clarissimam turpissimæ, ignominiosissimæque mortis tolerantiam extitisse. Nam quemadmodùm genitore in pugna obtruncato superstites filij

tantam

tantam calamitatem, ac tam altè infixum vulnus, sola parentis fortiter in bello occumbentis gloria, sola gloriæ commemoratione temperare possunt; ita, si Christi mortem gloriosam fuisse ipsi nobis proponamus, si acerbitatem, ac turpitudinem gloria compensemus, fluentes Christi desiderio lacrymas, & rorantes oculos à fletu, & gemitu iubebimus aliquandiu cessare. Quamuis enim nos parentis Christi nece ad lacrymas profundendas excitemur; tamen si parentis gloriam, si victoriam pereuntis animo complectamur; si ipsum in vniuersi Orbis theatro, atque in totius Mundi agone pro nobis potissimùm concertantem, extrema omnia tolerasse, suaque morte atque interitu superbissimum illum triumphatorem, ac victoriam exclamantem hostem deleuisse penitùs ac profligasse contemplemur; tantæ equidem gloriæ, ac tantæ victoriæ solatio videbimur à pertinaci dolore paululùm reuelati. Quòd si tanto argumento, ac tantæ rei benignas aures præbueritis, Auditores, sentietis profectò non defecisse modò luctum vestrum ac lacrymas, sed illas etiam in gaudium, ac lætitiam demigrasse. At enim quid loquor? Vt publico consilio capi; vt spectante Iudæa vniuersa, ad Regum, Iudicumque tribunalia quasi scelestissimum mortalium raptari; vt infamibus manuum ac pedum ictibus violari; vt sputis fœdari; vt ab impuris satellitibus derideri in Regum aulis; vt virgis ad necem cædi; vt ad ignominiam spinea corona grauari; vt calami sceptro donari, sit gloriosum; Vt illa ad gloriam tendant, Ad infame supplicium agminibus satellitum stipatum, indigno Cruci pondere oppressum trahi; innumeris à comitante milite verberibus ad terram trudi; demùm inter latrones quasi latronum principem, inter flagitiosos quasi flagitiosorum hominum ducem in montis vertice, vndè vniuerso populo conspicuus foret, acerbissima Crucis, atque immanissima morte multari? Quid enim illi ad summam contumeliam, atque ignominiam defuit? An lictorum genus? An Iudicum modestia? An Regum iudicia? At ipse ab infimo ac sæuissimo hominum genere, ab impio proditore, ab integra cohorte, vt nimirum seditiosissimum hominum capi intelligeres, manibus ad terga religatis, magnis clamoribus est pertractus. At ipse coram Iudicibus insultantium militum contumelijs, sputis frequentissimis, & grauissimis ictibus est percussus. At ipse à Regibus derisus, & quasi demens alba indutus veste; tùm verò nocte tota flagellis ad immanem sæuitiam penè confectus, atque ad extremam ignominiam, non auro, sed spinis coronatus, & leuis calami

sceptro,

sceptro, sordentique purpura multitudini ingruenti ad summum dedecus ostentatus. An mortis genus? At ipse eo mortis genere, quo scelestissimus quisquàm multari consuesceret, altissimæ trabi clauis suffixus, ac barbara duritie iam extinctus, ictu lanceæ confossus. Num hæc videntur illustria? Num magnifica? Num gloriosa nuncupanda? Illustria enimuerò, & magnifica: Gloriosa omninò fuere Christo vincula; gloriosa inflicta palmis, & virgis assiduis vulnera; gloriosa aspera illa dumorum coronatio, & furentis populi aspectus; gloriosum ad mortem iter; ipsa verò mors, Crux ipsa, adstantis populi theatrum, latronum comitatus longè gloriosissima extiterunt. Ac quemadmodùm egregia atque adeò beata dicitur sapientia, quòd eos omnes, qui ipsam possident, illustres ac planè beatos possit efficere; sic ea gloriosa dicuntur, quæ perpetua gloria apud exteras gentes, atque apud Orbem terrarum vniuersum, quæ æterno incorruptæ laudis monumento illustrare homines possint. An igitur gloriosa Christo supplicia, ac teterrimam mortem esse non dicemus, quæ tantam illi laudem, famam, gloriam apud omnes comparauit? Quanto enim in honore vbique gentium habetur Crux illa, quæ morientis membra sustentauit? quanta in veneratione spinea illa, & aspera æquè, ac contumeliosa corona, quæ ipsius Cæleste caput ad irridentis populi spectaculum coronauit? Quæ porrò spectacula in Theatris, quæ gladiatorum concertationes, quæ Olympica certamina, quinam horum ludorum victores, qui pugiles egregij, qui domitores equorum tantis laudibus, ac tanta gloria sunt condecorati, quot laudum præconijs horrenda Christi proditi, & vniuerso populo ostentati spectacula per omnes ætates, & sunt diffusissimè celebrata, & in posterum celebrabuntur? Quæ vnquam iudicia Reorum, aut Iudicum potentià, quæ inquam vel apud Populum Romanum Reo Deiotaro, ac Cicerone tutante, vel apud Atheniensem Rempublicam in Philippum Macedonem Demosthene actore præclara, tam insignia & decantata tantorum virorum præsentia fuere, quàm aperta illa & illustria, quibus Christus Seruator infimorum hominum sputis infamibus dehonestatus, alapis cæsus, vniuersis ludibrio, & contemptui habitus, noctem illam amaram agitauit? Num hæc omnia non gloriosa dicemus, quæ tot admiranda naturæ portenta ad perpetuum monumentum Orbi terrarum indicarint? Qui vnquam terræmotus, quæ concussiones, qui hiatus tam vasti, tam immanes, ac memorabiles extiterunt, quàm hi, qui hunc gloriosum Christi interitum comitati sunt,

quorum

quorum etiamnùm apertiſſima veſtigia, & ingentia apparent argumenta. Nam vt in terris vniuerſis id intelligas eueniſſe, Caietæ Mons, qui iſthmum efficit, totus ex duriſſimo, ac ferreo ſaxo (vt incolæ regionis traditione maiorum teſtantur) Chriſto moriente à ſummo ad imum medius crepuit, & in tanta ruina forte cadens rotundum ſaxum, vt poſteris rei memoriam illuſtraret, hiantes Montis maxilla, & fruſtra reluctantes, ne iterum coaleſcant, vtrinque preſſus prohibet, ac repugnat. Qui curſus cœleſtium ſiderum tam nouus ante illum diem, tam inauditus, tam incredibilis, quàm is, qui præpoſtero ordine Cælos rapiens Terram vniuerſam perturbauit; vt profectò non ab re celeberrimus ille ampliſſimi Senatus Athenienſium Princeps Dionyſius dixerit, Aut totius Molis Creatorem, & Numen Maximum Numen pati, aut Mundo extremum fatum vel inſtare iam planè, vel certè appropinquare. Quæ quidem & alia innumera quis ab vlla vnquàm Annalium memoria tanta ac tam incredibilia fuiſſe reminiſcatur? Cecinerunt hæc tam Cæleſtes illi tibicines, & futurum terræmotum ingentem prænuntiauerunt, cùm in Monte Deus Legislatoris munere fungeretur. Cecinit ipſe horrendo tonitru, ac terræmotu longe formidoloſiſſimo, cùm vniuerſo populo Hebræo leges ſtatueret. Hic verò eadem planè ratio fuit; longè maximus rerum omnium motus, longè maxima perturbatio. Leges Deus in Sinai Monte, leges in Caluario dedit. Non reus (mihi credite) Crucem, ſed Iudex tribunal aſcendit: vniuerſum Orbem terrarum ad iudicium ingenti tuba Terræmotus, Lunæ, Stellarum, Solis, Mortuorum excitauit, Deum ſe ſe ipſis hoſtibus, tremendum in modùm demonſtrauit; Maieſtatem ſuam, potentiam, Diuinitatem tunc maximè explicauit, cùm non modò Terram, ſed Montes; non modò lacus, ſed Maria horrendo motu concuſſit, ac penitus tremefecit, cùm non modò fluminum curſus præpoſteros, ſed Cælorum moles, ac ſidera vniuerſa Principem vitæ ac mortis hominum Solem, firmamentum denique, ac Mundum totum luxatum, nutantemque, ruptis polis, perturbatis axibus, curſu intercepto iam ruentem exhibens, genus mortalium tantis caſibus coëgit perhorreſcere. Quonam pacto melius ſe Iudicem, ſe Principem. ſe Deum tota Natura inſpectante, & formidante demonſtrauiſſet? Quonam tempore tanta ſe maieſtate Deum, & Iudicem oſtendit vel maximè iratus, ac iniuriarum vltor, humanoque generi terrorem, & exitium incuſſurus? An cùm immenſis imbribus Adami ſtirpem extinxit, atque ad internecionem

nem

nem deuastauit? At tunc relicto gentium propagatore Noémo iracundiam mitigauit suam: Hic verò nullus in hac Mundi mole relictus est locus, qui eius in morte concussus non fuerit. Annè has tenebras cum illis conferemus, quæ Ægypto vniuersæ incubuere? At verò in illis vnicum miraculum emicuit, cùm Soli tenebræ sint offusæ: hic autem cùm inaudito portento vniuersi Cælestium orbium, & siderum cursus perturbati à solito itinere deflexerint, triplici muraculo Luna retrò cucurrit, superioris Cæli impetum eludens; Sol ipse radijs destitutus nullo certò motu incitatus à consueta eclypticæ semita, atque adeò à vetusta Zodiaci fascia est deturbatus. Verùm quòd est magis admirandum, vtorque post tot insuetos labores ad propria loca, & sedes est reuocatus. Quid quod illi Crucis tribunal (nec enim patibulum decet appellare) tam gloriosum fuit, vt obstupefacta tanta gloriæ maiestate mortuorum corpora quasi classico à sopore expergefacta resurrexerint: quæ quidem cùm in ipsius morte vitam assumpserint, atque ab æterno somno ad lucem sint excitata, illud fateamur, oportet, non vtique vt morienti occurrisse, sed potiùs vt sedenti Iudici, ac trimphanti Imperatori, gloriæ ac triumphi comites adstitisse. Deuicit igitur Christus, triumphauit gloriosissime, atque in excelso Crucis curru longè maiore cum gloria, quàm quisquàm mortalium laurea corona est redimitus. Sed cùm triumphi, ac coronationis pompa ex belli magnitudine, ac victoriæ claritate sit petenda, Videte; quàm insignem triumphum duxerit, quantum bellum confecerit, quanta cum laude, fama, gloria dimicauerit. Bellum gessit ante hanc diem inauditum, incredibili celeritate, ac sua virtute protritis hostibus captiuum genus humanum arctissima oppressum seruitute, ex ferreis vinculis & compedibus liberauit. Soluit laboranti iam, & labefactato Orbi terrarum immanissimam obsidionem, qua semper durissima, & acerbissima fuerat circumseptus. Atque hac tanta victoria tam latè hostes deuastauit, tanto periculo mortalium genus extinctum fere ac deletum vindicauit, vt hostes ex illa pugna non modò non aggrederentur rursus bellum, & corroboraientur, sed debellarentur penitùs, atque reuincti in triumphum ducerentur. Gloriosam profectò victoriam, Gloriosissimum partum sua morte triumphum, longè gloriosissimam mortem triumphantem. Nec mihi quisquàm rem aliam insignem à Deo factam, vel admiratione, vel gloria, vel magnitudine audeat comparare. Quòd si à nemine non suspicitur opus illud omnium primum; cùm Deus Diuinitatis suæ signum

 gnum

gnum primum ac monumentum ſtatuens vniuerſos hoſce Cælos, alterum ab altero circumſeptum, ſuo peculiari ac certò curſu vagantem fabricauit; eorum alios nullo igne, alios vno tantùm, alios verò pluribus exornauit: Cùm Terram rerum omnium vmbilicum ab omnibus elementis oppugnatam ſua in ſede locauit immobilem, atque homine condito cum tot animantium generibus locupletauit: Quanti denique eſſe debet cum hominis ipſius afferta ſalute, Orbis vniuerſi reparatio? Egregia fateor, ac Dei propria illa fuere, cùm poſt cætera omnia hominem ipſum rebus cæteris longè admirabiliorem, Diuinæque ſimiliorem naturæ condidit, in eum pulchra omnia, & præclara ingeſſit, illi vni cætera cuncta fabricauit, illi in res omnes imperium tradidit: Glorioſa hæc fateor, & à nobis, quorum eſt cauſa communis, innumeris laudibus celebranda. At verò ipſum hominem è faucibus Tartari ereptum ſeruare; hoſtes ſuos iiſdem vinculis, quibus ille tenebatur, religare; ex captiuo liberum; ex homine Dei filium facere; æternis deſtinatum ſupplicijs ad æternam beatitatem extollere, quanta hæc tandem eſſe, quàm magnifica, quàm glorioſa, quàm Diuina exiſtimanda ſunt? quantis hæc laudum, lætitiæ, feſtiuitatis vocibus ſunt nobis proſequenda? Nam tantò nobis iucundior illius diei memoria eſſe debet, quo conſeruamur, quàm quo naſcimur; quanto iucundius nobis eſt ab immenſo ærumnarum labyrintho liberari, quàm dubio vitæ curſu edi in lucem, & procreari. Cùm enim conſeruamur, certò ſalutis acquiſitæ perfruimur gaudio, & ob adeptam libertatem non dubia lætitia geſtimus: cum verò ad hunc vitæ ſpiritum hauriendum à Natura generamur, incerta vitæ conditione, incertòque curſu iactamur. Quàm inſigne igitur Chriſto Deo, quàm glorioſum fuit ex tantis nos miſeriarum voraginibus vindicare! Quàm igitur honorificum ex hoſte fremente tulit triumphum! Quantò maiores idcircò habendæ illi gratiæ, quòd nos liberarit, quàm quòd condiderit? Quantò maius à liberante, quàm à procreante Deo beneficium acceptum referendum? Quantò maiorem in nos beneuolentiam, charitatem, pietatem perſpectam fecit, cùm ab intolerabili ſeruitute redimeret, quàm cùm crearet? Quàm ſanè charitatem cùm mihi ante oculos mentis propono, tantàm eam eſſe, tam incomparabilem, tam incredibilem conſtituo, vt tantàm Deus ipſe nuſquàm nobis demonſtrarit. Non cùm per immenſa terrarum ſpatia, per inuias ſolitudines Hebræorum gentem toto quadraginta annorum decurſu pauit è Cælo, ac ſuſtentauit. Non cùm inuictas robore, armis, multi-

multitudine gentes, atque innumeras copiarum congeries Israëlitarum populo vndique ingruenti infestissimas, aut obsistentes Vrbes munitissimas, ac Gigantum gentem longè formidolosissimam nullo illorum incommodo, paucisque illorum copijs deleuit, ac trucidauit. Non cùm furentem Ægyptium Regem, Hebræis extrema omnia minitantem, vniuersoque cum exercitu insectantem varijs afflixit cladibus, atque ad extremùm apertum Iudaicæ genti Rubrum pelagus intrantem, aquarum ruina repente oppressit. Charitatem igitur verè incredibilem, Charitatem incomparabilem. Quapropter quis non lætitia potiùs efferatur? quis non gestiat, cùm tot cruciatus, ac tormenta, cùm mortem ipsam Seruatori nostro gloriosam extitisse animaduertat? cùm ea omnia, quibus ille fuit acerbissimè tortus, summo sint in honore apud Orbem terrarum, summa in veneratione? cùm ea insigni classico non modò vniuersi Vates ante ipsum, sed saxa ipsa, & moles montium cecinerint, ac mirandum in modùm decantarint? cùm ipsi mortui tanquàm ad præpotentem Iudicem se contulerint rediuiui, vt de Mortalium impietate conquererentur? Quis verò non demiretur tantam pugnam, tantùmque triumphum? Quis non obstupescat, atque vnius ingenij Diuini fateatur inuentum, quòd hac potissimùm via censuerit Æternus Opifex Humani generis instaurationem esse peragendam? Quis non huic actioni comparatam paruipendat ipsius creationem Hominis, ac totius Mundi portentosam collocationem? Quis dignè memoret charitatem illam Seruatoris qua sibi mortales sempiterno obstrinxit beneficio, cùm, vt ipsos seruaret, se ipsum seruare recusauit? O gloriosam Christo, quamuis ignominiosam mortem, O acerbam gloriam, O gloriosam acerbitatem. Atque vt nos in morte Christi victoris viuere, ac triumphare publica significatione testemur, efferamus vnanimes in morem triumphi sacrosanctam illius in Crucis curru imaginem: deducamus quà possumus pompa maxima; prosequamur quibus possumus, pijssimis acclamationibus; Illudque etiam atque etiam curemus, vt tantùm dilectionis, beneficentiæ, pietatis exemplum ante oculos nostros propositum studio imitationis pro virili nostra parte prosequamur. Dixi.

ECCLESIASTICA.

Ad Beatissimum P. Alexandrum VII. Pont. Max. In cœtu Præsulum deliberantium super Consecratione (vulgo Canonizatione) B. Francisci de Sales suffragium affirmatiuum.

POst ostensum Orbi Christiano illud Hispanicum * B. Thomam à Villa noua; æquum erat ostendi & Gallicum, B. Franciscum de Sales, Vnum & alterum quidem per Sanctitatem Tuam, Beatissime Pater. Ego verò Herois huiusce Galli vix audiui nomen proferri, cùm recurrit in mentem oraculum admirabundi Iobi: *Quis dedit Gallo intelligentiam*? Scilicet auem domesticam (quæ ex Patrum sententia Præconem designat Diuini Verbi) Author Naturæ non modò fecit vigilem, omnibus de nocte somno deditis; sed etiam vocalem, atque adeò stridulam, vt obdormientes per certa excitet interualla. Iam quis non miretur opus Diuini Numinis? Cùm in nocte tam multarum hæresum superiore seculo toti offusa Galliæ prospexit Beatum Franciscum Salesium, natione Gallum, & facultate, præ cæteris heroicis virtutibus Episcopo dignis, ita vigilem inuisendo singulas ditionis suæ domos, & familias; ita concionibus Euangelicis intentum, atque irrequietum, vt non domestici tantum, hoc est ex Gebenensi sua Diœcesi homines, sed exteri quoque, propinqui atque remoti ex vniuersis Gallijs, eius voce audita, excitati, experrecti, commoti, somnum hæresum excusserint, noctem impietatis fugauerint, lucem veritatis catholicæ aspexerint, adorauerint, & ij quidem (Proh mirum successum) ad millia hominum septuaginta duo: Quis inquam hæc intelligens non obstupefactus sciscitetur cum Iobo Sanctissimo: *Quis dedit huic Gallo intelligentiam tantam*? Deus vtique prouidentissimus dedit. Tu, Beatissime Pater, Dei ipsius Vicarius, par est, declares: ac tantoperè de Christiana Re meritum Antistitem, iam Terris ereptum, ac Cælo receptum, honores Diuorum meruisse, ritè pronunties, Ita sentio N. N.

* NOTA.

DVos è numero Beatorum Virorum ritu solemni retulit inter Sanctos Alexander VII. Pontifex Maximi Priore loco B. Thomam à Villanoua, posteriore B. Franciscum de Sales.

ECCLE-

ECCLESIASTICA.

Pro nocturnis vigilijs ante feriam VI. in Parasceue. In sacra pompa triplicis ferculi, tres Actus piæ Christi tragœdiæ repræsentantis.

I. IN *Primo Ferculo Christus Dominus in horto Gethsemani sudore diffluens*: Expergiscimini, heus, quotquot adestis, Pij spectatores: Colligite dissipatos animi sensus. En Magistrum cœlestem nostra causa vigilem: Quid ego? Imò verò procumbentem, singultantem, semianimem. Et quidem vulgò ipsa mortis expectatio mors est, vel potiùs morte peior. At herclè qui frigidis detinentur sudoribus, ex medicorum decreto morti proximi sunt. Christus igitur cùm in mortis contemplatione sudore diffluat, iam in media morte versatur, iam æstimat ànimo grauissimos cruciatus; &, quos sigillatim dolores laturus est, altissima cogitatione omnes colligit. Natura sanguinem expellit, quem profusura est, & non minùs vehementer animus mortis cogitatione penè mortuus, corpus vulnerat, quàm si in ipsa versetur morte. Cùm externus timor ingruit, pallent membra, sanguis vitæ sedem, ideſt cor ipsum petit; Nunc verò vulneratur anima, transfigitur ipsum vitæ domicilium; quare fugiat indè sanguis; necesse est, atque in exteriora impetum faciat. Vibices sanguinem ad cutem deducunt, vulnera etiam extrahunt: Quæ vulnera igitur sanctissimum Virum & Deum transfixere, quæ toto ex corpore sanguinem extraxerunt? aut quæ pars vacauit à vehementissima plaga, si totum corpus sanguine maduit? Alexander cùm sudore maderet, se se in frigidissimum amnem coniecit; indè pene spiritu destitutus à satellitibus extractus, vix saluti redditus est. Christus Seruator dum manantem sudorem retinere conatur, sanguine destituitur: Quæ verò Animæ lucta? qui labor corporis? Nescias, vtrùm morbus grauior, an medicina.

II. In altero Ferculo Christus Dominus per proditionem comprehensus. Heu vices infandas. Intuemini, Vos, execramini. Quid enim acerbius, quàm malè collocare beneficium? Quid porrò grauius, quàm perdere? Sed quid magis intolerandum, quàm perdi ab eo, cui benè feceris? Capitur Christus IESVS, non à Prætoria cohorte, sed ab eo, quem ipse in sinu aluerat. Quàm ille scelestus, à conuiuio ad carnificinam, à cælestibus epulis

epulis ad latrocinium: Sed quis dubitet hoc Redemptori optimo ipsa morte grauius extitisse? Moriebatur ipse immortalis vltro, vti animas mortalium à morte liberaret; nunc pergit ad mortem, videns frustra esse consilium suum, & mortem suam irritam esse; nam amicissimos suorum, vt se interimerent, æterna morte tumulari conspicit: Paulò antè se ipsum Sacramento suis totum tradiderat, nunc se tradit hostibus à dulcissimis amplexibus ad arctissima vincula transitu facto. Non emisit Cæsar voces, dum Caschæ, & Cassij scelesta in ipsum arma stringerent: Quid enim formidaret mortem, quàm per tot arma & cædes quæsitum ierat? Sed vbi Brutum vidit, tunc qui mortem contempserat, cruciatum morte acerbiorem animo hausit, sustulit vocem, non pertulit tantùm dolorem. Sic IESVS ad omnia constans, vbi amicum vidit, in ipsum perfidiæ, ac proditionis tela stringentem, non tenuit vocem *Amice ad quid venisti?* quia dolor mortis ad mortem properanti non erat grauis: hoc scelus, hoc spectaculum si vocem excussit, quàm in morte tenuerat, quanto violentiùs credendum est animum concussisse?

III. In Tertio Ferculo Christus IESVS flagellis cæsus. Papæ, quid hic cernimus! hoccine verò siccis oculis? hoccine torpenti animo? Perpendite rem mecum pij homines. Nuditas siue ad honorem vergat, siue ad ignominiam, nunquàm non mediocritatem excedit. Nudi descendebant in campum: decorum hoc erat. Sic Alexander nataturus, se coram exercitu nudauit: hoc luctæ signum est. Luctaturus igitur cum morte Christus, se ipse nudauit. Sed quid magis miserum nuditate paupertatis filia, alumna ignominiæ? Quid augustius virgis? Illæ Consulum maiestatem armabant, signa potentiæ, argumenta imperij: Sed quid iisdem acerbius? Mortem præcedebant supplicia, & quasi feralis quædam vox illarum fragor æstimabatur. Ergo vtrumque passus est Christus, nuditatem ignominiæ, virgas sæuitiæ plenas, vt plures carnifices vnius mortis artifices essent, & multarum mortium instar vna mors censeretur. Qui natus non habuit, quo inuolueretur, voluit pari nuditate moriens testari, se eundem illum esse, qui natus fuerat, natus inter bestias, moriens inter feras. Veritatem nudam prisci pingebant: Atqui Veritas Deus est: debuit igitur nudare se Deus, vt se & Deum, & Veritatem esse fateretur. Priscis temporibus cùm Græcia scalpendis marmoribus æternitatem ingenij commendaret, Choi cum Praxitele de Veneris simulachro conuenere; duas

duas ille ſculpſerat, alteram velatam, ſpecie alteram nudam. Illi inepti ſanè iudices velatam accepere; illam verò nudam repudiatam emere Nidij immenſa differentia famæ: nam propter eam Nidos viſebatur. Sic immenſa differentia eſt inter Chriſtum velatum & nudum. Nicomedes Rex, ſi Venus nuda ſibi traderetur, æs alienum Ciuitatis diſſoluturum ſe promiſit; Chriſtus nudus, æs alienum Orbis terrarum, & generis humani omne diſſoluit.

IVS CANONICVM.

SAcros Canonas, nuncupationis apprimè venerabilis in Orbe Chriſtiano, Regulam eſſe, qua vitæ humanæ ad felicitatis centrum lineæ diriguntur: lydium lapidem eſſe, quo ſanctitas veræ religionis, & ſincerus rerum ſacrarum cultus exploratò probatur: Achatem eſſe, in huius curriculo vitæ mille caſibus obnoxiæ perquàm fidiſſimum: Vallum eſſe, quo mentibus, ac moribus obuerſantia purgamenta incernuntur: Filum eſſe, cuius ductu labyrintheos humanitatis flexus, erroreſque inextricabiles euadit ſuo quiſque ſtatu incolumis: Pixidem eſſe nauiculatoriam in hoc mortalitatis æſtu iactatis, cuius diligenti obſeruatione declinantur criminum Scyllæ, illecebrarum Syrtes, libidinum charybdes: Denique lucem eſſe, ac ducem, qua illi caligantem rationem noſtram cæcos inter horrores cupiditatum colluſtrant, qua callem ad Cælum indicatis offendiculis, quæſitis compendijs expeditum, tutumque præbent calcandum; vna vos mecum ſic afferturos eſſe non dubito, Viri ſapientiſſimi. Ex quo quidem affirmare fas erit nobis, deſertores ſacrorum Canonum, eoſdem ſimul eſſe deſertores Chriſti, vſurpatores idcircò petulantiſſimos eius, quòd inaniter iactitant, nominis Chriſtiani. Hic video arenam pandi ad illam quæſtionem, quàm, licèt olim Theologantium quorundam graui cenſura diremptam, non inutile tamen fuerit (credo) aduerſus hæreticorum, ſiue inſulſitatem, ſiue impudentiam hoc loco ſuſcitari. Ea verò in deliberatione eſt poſita; Aduerſus quoſnàm ſacrum bellum potiùs mouendum, Turcas, an Hæreticos? Cuius quidem diſputationis cardo in eo nititur, Vtri iſtorum peregrini magis habendi ſint nobis, ſeu (remoto illo modeſtiæ titulo, ſiue magis lenimento ſignificatus de vſu veterum latinorum) Vter hoſtis infenſior, vter perduellis atrocior Reipublicæ Chriſtianæ cenſendus, Hæreticus, an Turca? Hunccinè mihi quiſquàm indigitet? Quidni

potius

potiùs illum? Adimite Vos arma Turcis, tradite Hæreticis: Concedite quidem certè pares vtrisque vires: Cedo, vtri hostes perniciosiores istorum Catholico nomini? vtri formidolosiores? Ij planè, nec immeritò, qui magis infensi, atque odio acerbiore in Romanam Apostolicam Sedem accensi. Nam quòd ita latè amplificatum hodiè, atque firmatum videmus Imperium Othomanicum, Naturæ id quidem tribuendam duco insulsissimæ superstitionis, quàm miraculis factitijs, quàm imposturis, maximèque viuendi licentia impius Mahometes inuexit. Quòd verò non ita serpserint vires hæreticorum, quòd certis definitæ regionibus, prouidentiæ omninò dandum cælestis Numinis. Quis enim Populus, quæ gens in Orbe terrarum, ita sanctè Christianis placitis instituta, ita dogmatibus orthodoxis salubriter imbuta, atque obfirmata, qnàm non de facili, atque adeò præsentissimè inficiat, atque enecet tartareum virus hæreseos? Est quippè minùs multò metuendus apertus hostis, quàm occultus. Ac Turca quidem hostis, cum palam feratur Christiani nominis, haud ægrè per nos collectis viribus præuertitur expeditionem meditans, ac propulsatur; nomenque ipsum, si modò insonet, ad machinas illico, non solùm præsidia nos ciet. Quid hæreticus? Christianum hic vsurpans nomen, Christiana explicans suis in castris vexilla quàm bellè his artibus incautos e Catholicis circumuenit? Quamobrem armis dolos adiungens, quas (bone Deus!) ediderit strages, quæ funera sparserit in nostrates? Diuino itaque consilio cautum dicamus, oportet, vt conceptum exitiale odium inter sese, discissi in sectas varias hæretici exerceant, quo minùs ijs suppetat, vndè Catholicos intestinis distracti contentionibus diuexent. Atque quò planior adhuc nostra fiat oratio, quid quæso, obiectant Scythis hæretici? Quòd Christum nesciunt, Mahumetem colunt? At hi contrà iactent se scire Christum; certè Mahumete deterius monstrum, hoc est sui ipsorum ingenij chymæras colunt; peruersum sensum Diuinarum rerum, Numinis habent loco, abiurata Ecclesiæ vetere disciplina, conculcatisque Canonibus sacrosanctis. Scire autem Christum, Christi sponsam negantes Ecclesiam? Christi Vicarium in terris conculcantes? Christi præcepta violantes, consilia euertentes, ritus proscribentes, Sacramenta pessundantes? Proh Deum immortalem? Ecqua alia in terris tetrior pestis? Ecqua Hydra truculentior? Ecqua detestabilior, atque hominum memoriæ horribilior appellatio? Huic tanto, ac tam exitiali malo obiectos habemus miseratione Numinis singulari sacros

Canonas,

Canonas, quorum obseruantia religiosum hominem, despicientia profanum prodit. Verùm procul hinc este profani, adeste modò religiosi, atque hodierno consessu materiem hanc dignam Christianis auribus, per exponenda mox capita mecum vnà discutite.

GRATIÆ.

DIsceptauimus super sacris Canonibus, non tamen disceptantes: altercati sumus, sed consentientes. Vt enim hæreticis nota fœdissima, in suo sensu contra rectum, contra verùm pertinaces hærere; ita decus eximium Sapientis, Veritati sacra facere, sensu proprio ablegato. Ego tamen in hoc, nec citra laudem hærebo pertinax, vt humanitati vestræ gratias pro adhibita præsentia pares per me agi nullas posse contendam. Dixi.

IVS CANONICVM.

RVit initio rerum humanus Mundus; & vt Regia tecta cùm ruerint, ita ex collisione fœdantur vniuersa, vt ex ruderibus vix membrum aliquod incolume, aut certè insignis particula ædificij ab exitio seruata postmodùm eruatur. Haud secus vsurpare nobis fas est, Viri ornatissimi, de lapsu illo nunquàm non mortalibus complorando Principis hominum Adami, quo in lapsu tametsi cum reliquis inæstimabilis pretij ornamentis, quæ splendidè in eum ad filios posterosque transmittenda congesserat Cælestis Conditor, ipsa quoque notitia Diuinarum rerum perierit; tamen inter errata Philosophiæ veteris quasi rudera consepultæ sapientiæ extant, fortè fortuna, placita de Deo nonnulla, veluti fragmenta, tanti illa ponderis, atque æstimationis, vt & admirationem nobis ipsis Doctore Deo è Cælis lapso eruditis ingerant maximam, & auctoritatis plurimum irreligiosis quibusque, & in impietatis caligine demersis afferre debeant. Ita quemadmodùm inter tot veneranda lipsana Romæ veteris vix pauca quædam è ruinis effossa cernuntur integra membris, atque intacta, cuiusmodi visitur in Capitolio signum Herculis superstes Templi ipsius excidio: Plura è contrario membris discerptis effracta, quæ studio, atque opificio nostratium concinnata, & restituta videmus, quo de genere sunt obelisci duo eximiæ speciei, ac proceritatis è Circo Maximo defossi superiore seculo per Sixtum V. animo planè Regio, ac priscis Cæsaribus æquando; alter in Celio Monte, alter ad

Portam Flaminiam erecti. Tandem nonnulla ita confracta, & comminuta, vt quæ olim ſigna hominum forent ſpirantiſſima, poſt ad probrum artis, & contumeliam antiquitatis, vel caſu miſerando, vel iniuria barbarorum impudentiſſima nudos truncos humanorum corporum veriùs dixeris, quàm ſigna hominum imminuta. Eius ſanè conditionis celeberrimum illud oſtentat Roma recens ad hortos Vaticanos in Villa vulgò Beluedère, vulgari idcircò appellatione Truncum Beluedèris, tanti apud artis magiſtros habitum, vt in eo vno contuendo, obſeruandoque Michaël Angelus Bonarota, ille antiquitatis æmulator, ac poſteritatis miraculum, ſtudium ſe ſuum potiſſimum ſiue picturæ artis, ſiue ſculpturæ ad humanas exprimendas imagines inſumpſiſſe dictitaret. Cui quidem trunco admirabilitate operis proximè accedit ſignum alterum ad Ædes Orſinas expoſitum, quàm laſciuia vulgi petulantiſſima nomine diffamatum Paſquini, tam peritiſſimi cuiuſque iudicio vindice maius habitum omni æmulatione. Similia quædam, Auditores, antiquis philoſophantium ferè conueniunt; quorum placita de Deo, ſana quidem nonnulla perſpicietis, & ſanæ conſona Theologorum doctrinæ; illa verò oppidò pauca, veluti cùm Deum cauſam cauſarum aliqui appellant; cùm Deum beatum, ac felicem aſſerit Stagirites, non propter aliquod aduentitium adiumentum, ſed per ſe ipſum, & quòd natura ſit bonus; cùm prædicat Plato, charitatem Dei, cauſam fuiſſe factionis Mundi, & originis omnium rerum; Cùm Tatium Triſmegiſtus docet, Deum latère ſimul & patère; id eſt ſenſibus humani corporis latère, patère autem oculis mentis, & per ſingulas Mundi particulas vbique ſplendere, reſque omnes, quæ ſe nobis obijciunt, eius eſſe imagines. Quædam porrò manca, atque corrupta quemadmodùm idem Triſmegiſtus ſcitè in parte docet Æſculapium, In ſolo Deo bonum eſſe, alibi verò nequaquàm: & hanc quidem diſruptam ſententiam facilè eſt concinnari, & quòd hic] deeſſe membrum videmus; è proximo quaſi inter ruinas inuentum, ſeruatumque reſtitui. Quoniam ex ijs, quæ Tatio ille tradiderat, promptum eſt fragmentum illud, vbi Deum alloquens, ait, *Es quidem intelligens Pater, fabricans Deus, efficiens bonum, bona faciens omnia:* Hæc ibi Triſmegiſtus conſentiens vtique, cum Sacroſancto Moſis oraculo, vbi de Mundi fabrica ſic habet: *Et vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona.* Ita demum extabit inſtar refectæ ſtatuæ mirandi opificij placitum Theologicum, Quòd in ſolo Deo bonum

eſt

est per essentiam, in creatis verò bonum dumtaxat per participationem. Denique mutila quædam, & monstrosè trunca apud veteres illos insulsè sapientes occurrunt; in queis tamen nescio quid elucet mirificum ad nostram Christianorum eruditionem. Tale quiddam videtur mihi, quòd docet Seneca, Deos immortales nec obesse velle, nec posse; naturam enim illis mitem, & placidam esse, tam longè remotam ab aliena iniuria, quàm à sua. Quo quidem vbi Deorum pluralitas confingitur ab eo, qui Vnitatem alibi statuerat, quid monstrosius? quid autem diuinius ad referendam nobis inuictæ Dei erga nos patientiæ, ac benignitatis notitiam? Quamobrem si, Roma quanta fuerit, ipsa eius ruina nos docet; quæque in dies extrahunt fossores in lucem viuentium ad spectaculum, & admirationem, satis deprædicant Vrbis antiquæ faciem magnificentissimam, ac detestandam partim esse tantam iniuriam, partim quoque æmulis operibus, ac molibus pro virili reparandam. Eundem ferè in modum, Auditores, in casu luctuoso humani generis agere nos oportet; Vt, quando cognitionem Diuinorum tenebris obrutam ignorantiæ animaduertimus, exquiramus lucem in rerum ortu nobis exortam, exquiramus ex philosophia Christiana faces (abundè enim ibi suppetent) quæ cæcas mentes nostras fulgore suo illustrent, infirmas roborent, vacillantes confirment. Verùmtamen post lustrata è Catholicis placitis sublimia de Deo mysteria, quibus tandem gressibus ad ipsum Deum, beatitatis suspirandum fontem assequendum accedamus, quibus summum illud bonum nostram in potestatem detur redigere (id quòd planè beatos nos fecerit) non hæ quidem sunt partes philosophiæ, sed sacrorum Canonum, quibus ratio Christianæ disciplinæ perstringitur, mores perficiuntur, vita Cælum versus instituitur: Siquidem ex Paulo Doctore gentium, non auditores legis iusti sunt apud Deum, sed factores; neque linguæ confitenti cæleste pollicetur præmium Iustissimus Iudex; sed vitæ simul per omnia concordanti. Ergo super materie sacrorum Canonum præ cæteris multò grauissima, ne sit vobis, Auditores, ingratum, pauca quædam capita in medium proferri, ad pleniorem ipsorum intelligentiam disquirenda.

GRATIÆ.

DEtestati initio sumus (si meministis, Auditores) ignorantiam de Deo humanam ex lapsu Principis hominum nobis obortam. Ego quantum debeam vobis, non ignoro equidem:

dem : ſed quibus exprimam verbis, quia planè ignoro, non hoc, quæſo, tam ignorantiæ tribuatis meæ, quàm veſtrorum magnitudini meritorum.

IVS CANONICVM.

EVoluenti mihi pridem Eccleſiæ priſcos Annales, & labores ſanctiſſimorum illorum Pontificum pro Re Chriſtiana ſudatos curioſiùs repetenti occurrit, caſu herclè non cæco, memoria celeberrima Diui Leonis Primi, quæ multiplices inter quæſtiones in ſacros Canones verſanti, argumentum proludendi hodiernæ diſputationi quàm grauiſſimum indicauit. Ecquis veſtrum (Eruditiſſimi Viri) non meminit eius ſæculi, quòd etſi abhinc iam decimum numeretur; in hac tamen ſupra millena annorum fugiente antiquitate habet, quàm ſuſpiciat præſentiſſimam non tam virtutem Diuinam eiuſce Pontificis, quàm temporum illorum miſerandam conditionem. Duæ res in primis feruntur id ſæculum inſigniſſe, inuaſio Athilæ in Italiam, & eruptio Neſtorianæ hæreſis in Eccleſia. Vtra verò calamitas perniciosior fuerit Reipublicæ, conijciatis licèt ex ipſa morbi natura, cui curando opus fuit non niſi Leonis noſtra opera, digna omninò, vndè is cognomentum Magni apud poſteros inueniret. Magnum enimuerò auſum (vt hinc ordiamur) occurrere Leonem Athilæ in medio curſu conuolantis victoriæ; obijcere ſe inermem armato, religioſum barbaro, Pontificem Tyranno, quo maximè tempore hic non tam ſubiugatis retrò populis, ac potentiſſimis Principibus inſolens, quàm cunctatione inſperata Aquileienſis expugnationis immaniter irritatus, cùm mole infinita barbararum copiarum, in ipſo Padi traiectu ſpirans minarum, ac funerum ad Vrbem Orbis dominam, cui potiſſimùm inhiabat, vaſtabundus raperetur. Quæ autem vis in humanis, aut quæ armata potentia pugnantem illum ſiſteret, ferocientem reprimeret, currentem reuocaret? Sed ſtitit Leo noſter, ſtitit, repreſſit, reuocauit; vi certè ſuperna, potentia munitus Numinis, Diuina inquam eloquentia, atque oris Cæleſti maieſtate, excuſſo quaſi imbre denſiſſimo, tantùm illico extinxit incendium. Atque hunc forte quis dixerit apicem gloriæ, ſupra quem non liceat Leoni Magno conſcendere. Sed hic tamen conſcendere ſe altiùs poſſe intellexit, cùm ſibi obiectum vidit monſtrum tetrius, ac truculentius, Neſtorianæ nimirùm veſaniæ, inuicta ſua virtute opprimendum.

An

An quisquàm sanæ mentis commiserit belli incommoda cùm hæresum peste? Hanc enim nuncupationem hæreticis passim attribui comperimus. In Cathedra pestilentiæ (vt è Psalmo primo) sedere hæreticos affirmat Diuus Remigius: Arianos cæterasque huiusmodi pestes detestatur palam Innocentius Papa: Marcion, & Basilides, ac cæteræ hæreticorum pestes audiunt à Diuo Hieronymo. Cuius equidem mali sæuitiam generi mortalium delendo natam nemo negauerit; tantoque id atrociùs, atque funestiùs Martiali qualibet calamitate, ac ruina; vt scitissimè Philibertus Marchinus è Clericis à Diuo Barnaba nuncupatis, doctissimum opus suum de morbo Epidimiæ, Belli Diuini titulo inscriptum voluerit; Quasi non meliùs exponi ratus posse naturam pestis, quàm si per eam non viribus horum imbecillis, sed Numinis ipsius omnipotentia geri id bellum ad humanæ internecionem stirpis diceretur. Porrò armatur vterque (quis neget?) in hominum perniciem, Tyrannus, atque Hæreticus; sed alijs armis, & arte alia. Ille siquidem ferro munitus incedit, hic calamo: Ille instructus telis, hic falsis dogmatibus: detonat ille, hic susurrat: Ille campo aperto, hic clandestinis congressibus: Ille machinis, hic cuniculis rem gerit. Sed ille agris humanum cruorem, hic animis tartarei erroris venenum affundit. Et ille quidem corpora impetens, fortunis inhians, munitiones expugnans execrabilem se minùs reddit, quàm hic feriendis animis, corrumpendis moribus, prædandis virtutibus, principeque virtutum Fide extinguenda, atque indè Christi Dei cultu funditùs euertendo. O monstrum Hæreseos teterrimum. O pestis excita Erebo, quid non diruis in Ecclesia Christiana? quid sanctum non infectum, non pollutum, non violatum relinquis? Vsque eò funestior, quàm bellum, est hæresis, Auditores, vt non dubitet Diuus Augustinus luculento sermone in Psalmum XXXIX. Tyrannis Idololatris in Christianos apertè sæuientibus, atque horrenda quæque suppliciorum genera Cacodæmone auctore exercentibus, perniciem hæreticorum, immanitatem, truculentiam anteferre. Quid? Assecutus hoc fuit astu tartareo Iulianus Augustus desertor Christiani cultus, idemque hostium Christi infensissimus. Hic post exercitam omne genus crudelitatem in nostros, post innumeros cruciatibus inauditis Martyres Christo transmissos, post deletas cum familijs totis Ciuitates frequentissimas, perditam demùm aduertens operam suam, mutato protinus consilio, à vi ad dolos, à supplicijs ad hæreses tanquàm ad validiores

conuer-

conuerſus machinas, atque Donatiſtarum effectus fautor, quas illis Baſilicas Conſtantinus Magnus in Chriſtianos, nomine iam dato abſtulerat, ipſe ab ijs deficiens reſtituit: effecitque (inquit Diuus Auguſtinus) vt cum adapertis Hæreticæ factioni Baſilicis, ſuis etiam Dæmones Templis adapertis exultarent; Ea ſcilicet ratione perſuadens ſibi impijſſimus deſertor, Chriſtianum nomen ſibi tantoperè exoſum poſſe perire, ac tolli de terris, ſi vnitati Eccleſiæ, de qua lapſus fuerat, aduerſatus, ſacrilegas diſſenſiones liberas eſſe permitteret. Huius igitur tanti laboris obiecti per Neſtorianos Leoni noſtro quis non exhorreſcat aſpectu? quem verò non recreet illius animus, interritus quidem, non tamen inconſultus; quippè difficultatem rei conſpicatus, non ſuis tantùm fretus opibus, nec via ſingularis congreſſus, vt olim aduersùs Athilam; at contrahendas vndique eſſe vires putauit, atque aduersùs formidandum maximè perduellem Neſtorium eſſe cogendum Concilium in Vrbe Chalcedonia ex flore totius Orbis Chriſtiani, quo in Concilio ſexcentorum, & triginta Antiſtitum couſpirantibus ſuffragijs Catholica veritas, proſcriptis Neſtorij erroribus triumphauit. Sacri itaque Canones extremis Eccleſiæ malis, extrema extitere remedia, quos, etſi Pontifex Maximus, quà pollet è Cælo auctoritate, condere ipſe per ſe poſſit, Numine ſibi certò præſente, nec falli vnquàm, ſiue vbi de vera fide agitur, ſiue vbi de morum diſciplina: Conſuli tamen par eſt Eccleſiam vniuerſam, quæ ſponſum amantiſſimum Chriſtum IESVM à ſe nunquàm receſſurum non dubitat. Sacrorum verò Canonum intelligentia, quàm ſit hominibus Eccleſiæ addictis proficua, atque adeò neceſſaria, cùm ex ijs, quæ hactenus ſum præfatus, tùm plurimùm ex diſputandis mox vobiſcum, ſi tamen non dedignabimini cognoſcetur.

GRATIÆ.

DVplici telo (vt audiſtis) expugnauit perduelles Eccleſiæ Leo Magnus, oratione, & Concilio; Voce, & ſcripto. En vincti hinc Athila, indè Neſtorius in triumpho; Ego hinc documentum peto aduersùs hoſtem immaniſſimum, Animi ingrati vitium: Et quando, vt gratus prober erga humanitatem veſtram, Auditores, nulla mihi ſuppetit oratio, aut digna vox, beneficium certè hodiernum in animi mei ſacrario ſempiternis notis ſcriptum fore polliceor.

IVS

IVS CANONICVM.

EAm esse intelligo (Viri Auditores) creatarum rerum conditionem, vt, quando ex placito philosophorum. Vnumquodque resoluitur in sua principia, & ex oraculo cælesti luculentiùs, *Ad locum, vndè exeunt flumina, reuertuntur*; mirandum idcircò sit nemini; cur, sicut ex nihilo omnia processere, in nihilum quoque ea tendere obseruemus, si minùs reuerti. Ac quemadmodùm vnus est sempiternus ac immortalis Deus, omnium origo rerum, & auctor in tempore; cui, quòd à se ipso est, bonum esse, inexhaustum, infinitum, immensum; ita à bonitate indeclinabile, incommutabile, imperturbabile: consequens illud est profectò, vt emanantia quæquæ ex ipso, & in modulo dumtaxat bonitatem participantia, velut quidam è fonte diducti riuuli processu, ac tractu decrescant, sensimque absorbeantur, ni nouus continenter ex primo ipso capite succurrat humor, ac nouæ quasi scatebræ bonitatis deriuentur. Non absimili ratione intelligimus vsuuenire in re literaria, in artibus, in scientijs, quæ quidem opes sunt animi, & è quibus multò solidius, multòque felicius, quàm auro, gemmis, caducisuè è cænoso isto elemento prouentibus homo derescit, id est bonus efficitur, atque vtilis Reipublicæ. Quàm sæpè verò fieri videmus, vt tantis opibus comparatis peruersò studio quis abutens, deterior in bono reddatur, & inopia ipsas inter opes miseranda deiectus iaceat, Nisi è fonte illo bonitatis inexhausto Deo subsidium petat? Non temere itaque, imò præclarè ad nostrum exemplum Ethnici quondam Scriptores, qui de scientijs, & disciplinis præceperunt, bonitatem vitæ, ac morum cum studio, & cultu disciplinarum committi ita seuerè iusserunt, vt potiorem à natura, non parem, aut comitem bonitatem ipsam constituerent: *Non eo tamen* (ait instituens oratorem Quintilianus) *quòd si vis illa dicendi malitiam instruxerit, nihil sit publicis, priuatisque rebus perniciosius eloquentia; sed nos quoque ipsi, qui pro virili parte conferre aliquid ad facultatem dicendi conati sumus; pessimè mereamur de rebus humanis, si latroni comparemus hæc arma, non militi. Quid de nobis loquar?* (subsequitur) *rerum ipsa Natura in eo, quòd præcipuè indulsisse homini videtur, quoque nos à cæteris animalibus separasse, non parens, sed nouerca fuerit, si facultatem dicendi sociam scelerum, aduersam innocentiæ, hostem veritatis inuenit. Multos enim nasci, & egere omni ratione satius fuisset,*

fuiſſet, quàm prouidentiæ munera in mutuam perniciem conuertere. Hæc hæc Fabius, & id genus præceptum tradiderint de alijs alij diſciplinis Magiſtri, peruerſum earundem vſum execrantes. Reſpicite autem ſuperius ſæculum, Auditores, (vt remotiora taceamus) repetite Chriſtianæ Rei calamitates nullo ſæculo auditas, quæ Gallias Belgium, Angliam, Germaniam, Italiam ſub Tridentinæ Synodi celebrationem miſerè diuexarunt. Heu ſæculum ferale, non ferreum, & tantæ ſtragis Animarum damnata memoria memorandum. Vndenàm, creditis, tanta illa diſſidia in Eccleſia, tam diras altercationes, tam fœda rebellia eſſe parta? nonnè ex eruditis quibuſdam, ſed malè ſanis capitibus? quorum quidem literatura quoniam in ingenijs malis prauiſque conſedit, & ipſos perdidit nouatores impiorum dogmatum, & portionem Chriſtiani gregis maximam ac nobiliſſimam propè deleuit ad nihilumque perduxit. I nunc, & fide opibus ingenij, fide ſcientiarum præſidijs, vitæ integritatè neglecta. Quare cùm à Deo perenni fonte petenda ſit bonitas, Vbi caput eiuſce ſit fontis, quà ſit deducendus riuus, quo aggere muniendus, vt pleno decurrat alueo, vti nunquàm deficiat, indicat hæc omnia lex Canonica, cuius cæleſtis diſciplina ita mentem imbuit, vt ſimul affectum cieat; nec vti pleræque humanarum diſcipiinarum, quòd paſcit ingenium, non eo pectus ieiunum relinquit. Hoc ſi experiri vos mecum diſcupitis, Auditores, expedite parumper ingenia veſtra ad legis Catholicæ capita nonnulla diſcutienda, quæ per me proferuntur.

GRATIÆ.

SI, vt ſumus præfati, Ad locum, vndè exeunt, flumina reuertuntur: A veſtra proceſſit humanitate diſputationis meæ fluuius (Viri ornatiſſimi). Ad ipſam igitur peracto curſu reuertitur, gratijs per me quàm maximis collectis alueo redundante.

IVS CANONICVM.

PRæmaturum illorum ſtudium, imò verò præpoſterum videri cuiquàm poteſt (N. N.) qui Platonicum illud à Cicerone cùm primis obſeruatum oraculum; Quòd tota philoſophorum vita commentatio ſit mortis, intelligendum eſſe putet omni ſemoto Oedipode; atque vt obuio ſenſu verborum, ſic futili & abſurdo. Hic homo ſcilicet contentus non erit cauere cùm Seneca, & ipſo perperàm expoſito, Antè ad mortem nos, quàm ad vi-

ad vitam præparari oportere: Verùm quasi talpas in Solem, proiectos esse mortales volet, perpetuæ nocti mancipatos. Proh miserum (ex istius sensu) Philosophiæ negocium. Qualem enim (putatis) hominem exigit, & qualia ei subijcit ad virtutem calcaria? Ecce quemadmodùm assignat illi claustrum sepulchri pro theatro rerum agendarum. Iubet vnà cum vitæ spiritu tabem haurire. Solicitat præpropero busto tristissimos Manes. Tumulat ante diem funestis meditationibus Genium. Igniculos illos gloriæ à Natura tenello adhuc è pectore fulgurantes, præfocat infausto cinere. Ecquid atrata meta proposita nisi segnem vitæ cursum præfiniet? Heu facinus. Nonne quòd excelsum in nobis spirituum est, corrumpit? quòd generosum, depravat? quòd magnificum, perdit? Denique immitior, quàm ipsæmet Parcæ, vnam ex Præfectis mercedem famæ pro rebus gestis immortalibus pollicetur. Videte, quæso, male sanum interpretem oraculorum; quemadmodùm humana omnia peruertens officia cogit consenescere, qui nondum pubem attigit, & natum ad vitæ dignitatem iacere præcipit in situ voluntario mortis inhonorum, viuentem in horrore tumuli, spirantem in cadauere. Verùm siquis paululùm intento oculo velit Platonicum scitum rimari, atque adeò ex Platone per Platonem percipere; is profectò, & quæ istiusmodi sit mors, inoffensus intelliget; & quo illa genere commentationis per Philosophos, vt ritè partes suas obeant, assequenda. Nam cùm is in Phædone scriptum reliquit, debere philosophum mortem expetere, quisnam sapiens ausit de dissolutione animi à corpore dictum interpretari; quàm dissolutionem alibi ipse Plato nefarium esse prædicat ante expetere, quàm præstitutum à Deo tempus aduenerit? Illud ergo volebat monitum, non à corpore animum, sed à corporis affectu, dissoluto quodammodò fœdere cum sensibus, abducendum. Sic idemmet sibi constans, & veluti Glossarius, teste Augustino de vera Religione, docere solitus erat Auditores suos, & grauibus monitis pulsare, A Venereis voluptatibus, vt sibi temperarent: persuasissimum, vt haberent, Veritatem non corporeis certè oculis, aut sensu aliquo, sed sola mentis puritate cerni, ad quàm perspiciendam nihil magis impedimento esse, quàm vitam libidinibus deditam, falsasque imagines rerum sensibilium, quæ nobis per corpus imprimuntur. Itaque sanandum in primis esse animum ad perspiciendam incommutabilem rerum formam, atque eodem modò se habentem, omnique ex parte sibi similem pulchritudi-

tudinem. Egregiam verò Philosophiam, Auditores, dignam plane, vndè homo mortalis, cognomentum Diuini, omnium consensione mortalium reportaret. Meritò apud cultissimas nationum sanctum, & augustum semper est habitum nomen Philosophi, apud nonnullas etiam additamento Regni, ac Sacerdotij dignum adiudicatum. Nihil quippè Diuinius, quàm quòd spirantem Dei imaginem animum nostrum ab omni vindicat corporis inquinamento. Nihil sanctius, quàm quòd corruptelis euulsis integritatem conserit vitæ: Nihil Regalius, quàm in seruitio sensum, in imperio rationem tenere. Denique nihil sacrificulo congruentius, quàm mentem terrenis expiatam sordibus, Victimam Virtuti voluntariam immolare. O verò sortem meam, Viri Auditores, etsi ex mea miserandam tenuitate, ex honestate tamen rei maximè inuidendam: Cùm ex omnibus, ijsque grauissimis Disciplinis vna potissimùm LEX CANONICA mihi etiam num Tyroni, ac nondum discipuli numeros absoluenti, ex hac ornatissima sede, in tanta Collegarum gloria, in hoc flore Audientium lectissimo, propositis Thesibus defendenda præscribitur. Nam si philosophiæ cultores tantam, vt audistis, fortunam iactare possunt, quid mihi tandem dicere fas erit Legis Canonicæ professori? Quanto hæc interuallo illam post se habet? quanto vincit sanctitudine? supergreditur maiestate? Enimuerò vbi legem exaudimus, quid nisi Magisterium honestæ vitæ, atque optimæ disciplinæ nobis offertur? Vbi verò obseruamus additamentum Canonicæ, maius quiddam ad vitæ cultum, felicitatemque animo concipiamus, necesse est. Siquidem Græcis Canon, Latinis Regula est: quasi non qualiscumque generis Lex dici ista debeat, persimilis cæteris; scilicet vel experimento manca, vel vitio latoris obliqua, vel ingenio humano infra fines Ciuilitatis contenta. Hæc autem nos non modo philosophari docet, sed verè sapere. Hæc homines non appellatione sola Diuinos reddit, sed magis similitudine Numinis, atque vsu. Hæc non solùm ad vitam priùs, quàm ad mortem præparat, defœcatis animi affectibus, verùm etiam post mortem ad vitam aliam beatam informat. Itaque cùm æternitatis ratio tota pendeat ex genere mortis, atque conditione, iure ad mortem nos antè præparat Lex Canonica, quàm ad vitam: Iure totam hanc vitam præcipit esse mortis commentationem, Vt & bonæ vitæ clausulam bona mors faciat, & bonæ mortis pretium beata vita. Hic mihi audire videor aliquem ex barbaris philosophis

superci-

supercilio grandi obijcientem, esse suum quasi patrimonium vitæ beatæ studium: nec enim aliò tendere tam multas illas de moribus formandis præceptiones, quibus olim Croto, quibus Metapontum, quibus Magna Græcia personabat: quibus postmodùm Orbis totus per consequentes ætates summis passim florentes ingenijs completus fuit: vsque adeò vt Diuo Augustino teste non defuerint Philosophi de virtutibus, & vitijs subtilia multa tractantes, diuidentes, definientes, ratiocinationes acutissimas concludentes, libros implentes, suam doctrinam buccis concrepantibus ventilantes: qui etiam dicere auderent hominibus: Nos sequimini: sectam nostram tenete, si vultis beate viuere. Hæc quidem Augustinus. Quo planiùs dictauerat Plato pollicitus beatitudinem Rebus publicis, vbi Reges ipsi philosopharentur. Quamquàm, Viri Auditores, deprecandam potiùs esse, quàm precandam huiusmodi philosophiam, satis edocuit complurium Rerumpublicarum status infelix, crudelitate sanguinaria regnantium Philosophorum, seu meliùs debacchantium tyrannorum conflatus: satis damnat memoria priscorum temporum in Aristone Epicureorum alumno, in Critia, suisque in Lyceo sodalibus, in Pythagora, in Athenione, in Lysia Tarsensi, in Alcio, in Philisco, philosophis singulis magni nominis; denique in ipsis septem oraculis humani generis, quos sapientes nomine communi, tamquàm proprio ex admirabilis sapientiæ opinione consecrauit antiquitas, sed execrata ipsorum ætas est. Verùm vndè id factum putemus, nisi quia ad hominem beandum, mirum, quantum sterilescit vulgaris philosophia; & si quòd præsidium eò confert, ne illud quidem vltra metas mortalitatis transferre valet. O Legis Canonicæ sanctitudinem, Auditores: O diuitias hominis immortales. Nam quò tendunt Sacri Canones? quò spectant, cùm à malefactis mortales auocant, ad benefacta conuertunt, quàm vt præreptos Tartaro ad sempiternam illam in Cælis potiundam felicitatem per tutum iustitiæ callem traducant? Huc scilicet Apostolicæ Constitutiones, hùc Oecumenicorum Conciliorum scita, hùc placita Sanctorum Patrum, hùc Sacrorum Bibliorum oracula, hùc Ecclesiasticæ consuetudines, & si quid aliud iuri Pontificio fontem aperit, Diuino vtrique iuri consonum, referuntur. Neque verò fallacijs patet Lex Canonica, quæ non vt Philosophia suum ducit ortum ab homine, qui per Diuinum Vatem, quisquis ille est, mendax diuenditur: sed ab Numine ipso immortali originem repetit, atque ex illius

Mente agnoſcitur emanaſſe, quæ tam Lex vera eſt, quàm lux vera illuminans omnem hominem venientem in huius Mundi caliginem, eundemque per ambages dirigens, vt arduum iter mortalitatis inoffenſus peragat, indèque ſuſpiratum immortalitatis limen obtineat. Quare quanta ſit hodierna, quàm ſubeo prouincia, & qualibus nata humeris, cùm ego intelligo, Viri Auditores, tùm maximè ſentio argumentum mihi timoris non modici; vobis commiſerationis potiùs, quàm inuidiæ ſubminiſtrari; ne vèl in ipſo limine obrutus ſuccumbam turpem in modùm tanto oneri. Subite vos ergo moli, Alcidæ ipſi meliores, quàm ego Athlas: atque per obiecta rationum, digna veſtris ingenijs ſuſtinere, quàm ego haſtenùs dicendo non valui, Legis Canonicæ dignitatem.

GRATIÆ.

GRatias me vobis de more acturum prohibet cùm meamet imbecillitas, tùm veſtræ magnitudo gratiæ, quæ meam erga vos viciſſim prouocat. Quas enim agam gratias, ſi ex regula Iuris noſtri, *Gratia, quæ non gratis datur, vel accipitur, Gratia non eſt?*

IVS CANONICVM.

TAm propriè Deo competit lucis appellatio, quàm propè accedit ad Deum, qui rectè de ſua ſentit fide; quàm recedens inuoluitur tenebris, qui prauè de ipſa fide dogmatizat. Meritò qui Diuina arcana acutiùs penetrauit, qui Dei lucem inacceſſam intentiùs eſt contemplatus Ioannes Apoſtolus, Aquilæ ſibi ſymbolum aſciuit. Quos verò contrà niſi talpas appellem, quorum ingenium terrenis implicitum curis, nil cogitat de cæleſti felicitate, nil de ijs, quæ pernoſci, quæ præſtari debent, vt ad illius conſecutionem pertingat, ſibi eſſe curandum putat? At verò deploranda conditio illorum eſt, quos tolerabilius foret Diuinis in rebus talpeſcere, & per ſupinam inertiam neglectum æternæ ſalutis habere negotium, niſi etiam ſtudio prauo exoculati lucem refugerent veritatis, caliginem errorum, horrorem hæreſum, quo ſe penitus demergerent, quæritarent. Horum enimuerò tartarea conditio eſt, & cacodæmonum ſequax, qui lucem oderunt, tenebras amant, nati ad ludibrium naturæ, ad vltionis cæleſtis oſtentum. Videte paululùm (Auditores) dignam Orco improbitatem noſtratium Hæretico-

rum.

rum. Dogmata sacra nequaquàm vti noua, aut proprio illorum hominum Marte excogitata venditari sibi pateretur quisquàm, vèl insanus è vulgo: Ergo vti accepta, & per manus tradita Ecclesiæ. Hæc autem ita esse, quî sciam, nisi fontem ipsum petiero Sacrorum Bibliorum, nisi deriuatos indè à Sanctis Patribus obseruauero purissimos latices? Iam intelligatis, licebit, vtrùm hi homines sincerum afferant oculum ad hunc fontem, ad hosce riuos hauriendæ studio veritatis, quàm sitire tantùm debet mens nostra, quantùm se noscit illius haustu beari: an potiùs Camelorum in morem turbare per summam malitiam instituant, antequàm perspicuam veritatem, vt lurida indè dogmata, & crassis lutulenta mendacijs propinent incautæ plebeculæ. Nam vt de Sacris Biblijs primo loco dicamus, quis non osores lucis, tenebrionesque vaferrimos agnoscat hæreticos? mitto nunc antiquos, nouissimos mihi volo, qui cùm particulas penè innumeras è sacris codicibus expungere, tùm octo ipsos libros de veteri Testamento, Epistolas sex de nouo præcidere non sunt veriti, vbi iam indè à Diui Augustini temporibus, idest vndecim ante sæcula eundem omninò Canonem sacrorum librorum Apostolico oraculo declaratum obseruabat Ecclesia, quem hodie hæretici recentiores excindunt, Catholici sartum tectumque conseruant. Itanè? Quòd olim Sedes Apostolica præsenti afflata Deo, quòd Oecumenica Concilia è flore summorum Præsulum collecta, quòd Doctores Ecclesiæ sanctissimi iuxtà, & sapientissimi, quòd Respublica Christianorum vniuersa, quòd denique totius Orbis Christiani consensus, per centena, perque millena annorum constantissimus illibatum semper inuiolatumque tenuit, hoc ausit infringere, hoc temerare temporibus nostris nescio quis tertius Cato è Cælo accersitus, ex Orco meliùs, nescio quis magisterculus genio nouitatis, ductu perfidiæ, ausu tartareo? Scilicet quia mendaciorum suorum caliginem dissipandam cauent in meridie sacrorum codicum, miramini hosce lucifugas in ipsos armari codices, illos corrumpere, proscribere, perdere, ex quibus veritatis Catholicæ fulgor supernus explicatur? quia Epistolam Diui Iacobi Apostoli repugnantem omninò videbat Lutherus nouo suo placito, per quòd in sola fide Iustitiam constituebat, abesto (inquit) hæc Epistola à Canone bibliorum. Quia libris Tobiæ, Ecclesiastici, Machabæorum mirum, quàm disertè statuitur Patrocinium Angelorum, libertas arbitrij, preces, & sacrificia pro Defunctis, Diuorum hominum intercessio; Dispungantur è censu sacrorum hi codices,

dices, edicit Lutheranorum factio. His ijdem vestigijs hærentes postmodùm Caluiniani delumbarunt vetus Testamentum, ijsdem pòst Geneuenses, præcidentes librum Estheris, mutilantes tribus penè capitibus Danielem. Ne miremini; ars ista peruetus Hæreticorum est: Acceperant olim ab Ebionijs, qui omnes Diui Pauli Epistolas abiurarunt, vt reuocata per eos circumcisio staret, per Paulum antiquata: Acceperant à Manichæis Euangelium Matthæi, Actaque Apostolica proscribentibus, quòd illud conuinceret, Christum prognatum ex Virgine; hoc verò Spiritum Sanctum Christianis multò antè, è Cælis illapsum, quàm Paracletus ipsorum, Persa nequissimus erupisset. Hoc igitur nè miremini Auditores: Miramini potiùs mecum, imò verò stomachamini, quòd secundo loco proposueram, calliditatem hæreticorum fraudulentissimam in tractandis scriptis Sanctorum Patrum. Non enim nesciunt, quantùm pondus auctoritatis habeant Patres in Ecclesia, quantùm illorum sensus ad arcana bibliorum detegenda, ad Fidei stabilienda capita, ad euellenda Nouatorum consilia, & machinas euertendas. Itaque non mediocris huic negotio sudata horum industria est. Stomachamini, inquam, mecum, quoties obseruare contingit, vti homines isti nequissimi auctoritatem Sanctorum Patrum in suarum hæresum præsidium prætendentes, non suis illos verbis, sed alienis loquentes proferunt; & si qua sint verba illorum, ita loco motis, ac nonnunquàm etiam expunctis, vt sententiam efficiant ab Auctorum mentibus alienam; atque ita obtorto collo reclamantes ad suos errores confirmandos sacrilegè pertrahunt: mutilant sententias, præcidunt præcedentia, resecant quæ sequuntur, vndè Mens auctoris deprehendi possit; verbum aliquod interdum eradunt, vndè sententie tota pendet: quæ cohærere debuissent, disiungunt, perperam distinguunt, studiosè Græca, & Hæbraica malè vertunt, aut etiam corrumpunt. Tales autem impostores (si Deo placet) tam mala, imò nulla fide, se fidem nobis instaurare iactitant, quasi veritas mendaciorum ope indigeret. O genus hominum procul ab hominum finibus amandandum; O pestem, ò virus religionis in infimam Tartari oram relegandum. O caliginem, O tenebras plusquàm Cimmerias, & vno dignas Doctore Cacodæmone. Eas vt euitemus cautiùs, Auditores, ne pigeat in lucem Sacrorum Canonum intendere parumper oculos, dum aliquas de ijs Theses disputandas vobis propono.

GRATIÆ

GRATIÆ.

IN hoc vmbraculo Sapientum (quis credat?) luce fumus fruiti Sacrorum Canonum: & mirati, hæreticos in meridie ipso Catholicæ veritatis cæcultare. Credite hinc Auditores humanissimi, in medio ipso silentio excipere vos posse præconium gratiarum, quas in vos habere profiteor, vocalissimum.

IVS CANONICVM.

QVàm sit grauis secundùm Diuinos Codices, quàm stabilis, & inconcussa Oecumenicorum Conciliorum auctoritas fundandis Ecclesiæ Sacrosanctis placitis, illo satis luculento, nondum satis celebrato dicto Gręgorij, vèl indè Magni Doctoris, Magnique Pontificis, testatum habemus (N.N.). Cùm is Concilijs quatuor, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, Chalcedonensi nihil se minùs fidei, nihil minùs venerationis deferre profitetur, quàm sacris Euangelij quatuor voluminibus. Quo equidem tanto, tantique sapientis oraculo Auctores quoque Hæreseon quantiscumque artibus, & armis instructi aduersùs Catholica dogmata (quis neget?) fatali hoc quasi telo confossi, turbine reuulsi, fulmine icti sternuntur? Ita planè, Auditores, Euangelij cognata Concilia sunt, alterum altera concorditer referunt, vni, & eidem æternæ veritati reuelandæ ambo conspirant. Est tamen (dabitis veniam) est caput vnum, quòd proferamus in medium, non quasi ad censuram; sed ad intelligentiam altiùs acuendam, dignum propterea hoc loco, dignum corona ista Eruditorum. Quid sit, cur è quatuor memoratis Concilijs, Nicænum & tempore, & celebritate princeps, de Filio Dei aduersùs insaniam furialem Arrij, caput fidei maturè discussum proponens, Gentium ipsum esse, non factum decernat: Ioannes autem Baptista, altero Ioanne teste in Euangelio, index ipsius Filij Dei in Humanis visi, & præco æternæ veritatis, factum illum affirmet perspicuis verbis: Qui post me, aiens, venturus est, ante me factus est: Neque multò pòst ijs repetitis, Ipse est, qui post me venturus est, qui ante me factus est. Tunè ergo discordare, atque adeò repugnare dixeris Euangelio Concilium in grauissimo Diuinorum dogmatum, quo nutante, omnis illico Trinitatis augustæ maiestas, omnis Christi Seruatoris gloria, omnis Ecclesiæ suæ nitor, & firmitas ruit? Neque te putes quæstionem diremisse, temporariam

ab

ab æterna Christi Domini dispescendo natiuitatem: quasi hunc vti hominem factum velis ante Ioannem, quandoquidem Ioannes ipse sexto, antequàm Christus, mense conceptus esse fertur testimonio cælestis internuntij Gabrielis: Ecce (inquit ad Virginem nondum Deo fœtam). Ecce Elisabeth cognata tua: & ipsa concepit Filium in senectute sua, & hic mensis sextus est illi. Æternam hic igitur subaudire natiuitatem cogerere, vt Christum, quà Deus est, esse factum admitteres, applaudente ita Arrio, ingemiscente Concilio. Ac mihi quidem implicatissimo huic nodo soluendo intelligo opus esse glossa, non gladio, lingua dico Historici alterius Euangelici. Est enim permirum, reliquos tres ab Ioanne Euangelistas illam interpretari sententiam vna omnes, & eadem locutionis formula, quæ ortum Christi æternum facilè suggerat. Ait enim ex Diuo Matthæo Ioannes Baptista, *Qui autem post me venturus est, fortior me est*; Ex Diuo autem Marco, *Venit fortior me post me*. Tandem ex Diuo Luca, *Veniet autem fortior me*. Iam committite si placet cùm primo postrema oracula: Neque enim fortiorem Christum prædicaret Ioannes, si illum admitteret factum non secus, ac ipse cùm reliquo gregè mortalium factus dicitur à conditore omnium rerum: Vt, vbi opus habuit Ioannes fieri, imbecillus ipse per se, & in se nihil, tametsi Diuinis pòst virtutibus decoratus supra natos mulierum vniuersos, Christus illo fortior infinitis partibus, atque immenso potentior minimè indiguerit fieri, per quem maximè facta sunt vniuersa. Atque vt scrupulum iniectum tollatis ex illa voce Euangelica, consulite Ioannis sermonem ex originario codice, nimirùm Græco, vbi non magis factum legitis, quàm natum, siue genitum: sic enim habetis ἐμπροσθέν μου γέγονεν, ὅτι πρῶτός μου ἦν. Audistisnè τὸ γέγονεν à themate anomalo γίνομαι, præterito medio tanquàm à γένω, particulari quidem significatu Latinis *Fio*, *sum*, communi autem *Nascor*, *Orior*? Et certè res omnes præter Deum conditorem quis neget fieri hoc ipso, quòd eæ nascuntur, quòd esse incipiunt? πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο inquit Ioannes Euangelista. *Omnia per ipsum* (Verbum scilicet Diuinum) *facta sunt*: ipsum autem contrà Verbum quia minimè potuit fieri, quid nisi nasci debuit? Natum propterea, atque genitum, non factum perhiberi. Quæ cùm ita sint, deprehendatis licebit Nicæni Concilij, cùm Euangelio Ioannis Diuinum, mirandumque concentum. Γέγονεν de Filio Dei æterno vsurpat Euangelium;

lium; γεννηθέντα repetit Concilium, voce eodem ex themate anomalo inclinata: Nequis autem præter communem significatum interpretetur τὸ γέγονεν, cauet Concilium, adiecta quasi glossa οὐ ποιηθέντα, quæ postera vox sensu communi factum, conditum, creatum esse Dei Filium, vti res cæteras, inficiatur. Repetit in Symbolo, quòd in Concilio tulerat suffragium Diuus Athanasius, vtique Græcè scriptum ὁ υἱὸς ἀπὸ τοῦ πατρὸς μόνου ἐστὶν, οὐ ποιητὸς, οὐ κτιστὸς, ἀλλὰ γεννητός. Quid? ergone errati arcessetur vulgàta Lectio Bibliorum, quæ Latinam vocem per Nicænos Patres proscriptam retinet? Quidni Hieronymus sacrorum repurgator Librorum illam *nati* adulterinam expungeret, germanam reponeret? Apagite hinc, Scioli; adeste scrutatores curiosi rerum sacrarum; non est sistendum in limine; introspiciendum est prorsùs, si auetis thesauros deprehendere cælestis veritatis. Euoluite, quæso, curiosiùs locum eundem Euangelij, decurrite subtextum indè sermonem Baptistæ. Ait enim eodem primo capite, numero 30. indigitans confluentibus ad baptismum turbis Deum Seruatorem in humanis ibi præsentem: *Hic est* (inquiens) *de quo dixi* (en interpres ipse fui) *post me venit Vir, qui ante me factus est* (*quia prior me erat; & ego nesciebam eum*) Græce ità adamussim, ὀπίσω μου ἔρχεται ἀνὴρ, ὃς ἔμπροσθέν μου γέγονεν. (ὅτι πρῶτός μου ἦν, κἀγὼ οὐκ ᾔδειν αὐτόν,) Virum cùm exprimat, Christum, vt hominem non indubiè hic vsurpat; minimè vt Deum, (en indè omnis de concordia Concilij cum Euangelio restincta lis) Virum, inquam, Ioanne superiorem ætate, sin minùs natu; neque enim Ioannes nisi præsentia Christi vtero conclusi Virgineo, in vtero ipse vetulæ sterilis Elisabetæ sextum post mensem, & expiatus originali labe, & vsum humanæ rationis adeptus, appellationem Viri promeruit; Christus autem homo iam indè à sui conceptus articulo, ad Diuinæ personæ coniunctionem omnibus cùm naturæ tùm gratiæ donis consequente honorario cumulatus, prior vtique Ioanne Vir antè ipsum factus, indè fortior, hoc est quouis simplici viro virilior iure, ac meritò audiuit, & ita fortior, vt vel cæca huiusce præsentia gemino intercepta claustro materno expedire illum vno momento quiuerit peccati nexibus, & in valentem athletam cælesti gratia superfusa inungere. Quamobrem nihil cùm sonent contrarium Concilia Euangelio, & ipsi sibi diuersis in locis Euangelium perbellè concinat, Cognoscite, Auditores, quantus è Lectione diligentiore Sacrorum Canonum fructus ad

præfidium Chriftianæ Rei fuis à ftudiofis demetatur. Id clarìus quoque elucebit, ne pigeat Nos de capitibus nonnullis, quæ iam in confpectum profero, difputare.

GRATIÆ.

COncordare intellexiftis, Auditores, cum Diuino Euangelio Sacrofancta Concilia. Vtinàm & concordare mea poffet oratio cùm animo in vos meo ob exhibitam mihi difputanti humaniffimam attentionem æternis nexibus mancipato.

IVS CIVILE.

ADefte ingenia laureata, & mihi laureæ candidato dicterium pro Aftræa exquirenti intendite benignum obtutum. Enimuerò, inquam, aut Amor auctor eft Legis, aut Lex Amoris. Miramini conceptionem mentis? Adefte mox probaturo. Nemo, inquam. veftrum illud improbet apud eruditos tritiffimum, *Amor muficam docet*. Platonis id placitum eft Philofophorum fine controuerfia Principis, Stagyritarum magiftri, fapientiæ oraculi, Diuini inter homines hominis. Platonis repeto. Dixi fatis. Ergo fi Mufices doctor eft Amor, auctor confequenter idem eft Legis, Iuris conditor. Quid enim per fidem veftram Muficæ magis competit, quàm diuerfis ex tono vocibus temperamentum cuique fuum indere, fono cuique fuos diftribuere numeros, concentum in ipfa cantuum oppofitione facere, diffonantiam fidium confonam, difcordiam concordem certa modorum præfcriptione continere? Huic (quis nefciat?) concinit natura Legis, colludit Ius. Nam quòd capita multa ortu, ingenio, ftudio non modò diuerfa, fed pugnantia quoque, vnam tamen in ciuitatem confentiant: &, quæ fingulorum res eft, communis exiftat: Quòd nobilium elationem contumacia plebis admittat: Quòd idiotas patiantur literati: Quòd huius ferocia illius humilitatem minimè obruat, huius opulentia inopiam illius fuffulciat, potentia imbecillitatem, confilium amentiam: Denique quòd non ita fe quifque fuum agnofcat, quàm alienum: vni fic fubfint omnes, vt vnus omnibus, vitam finguli propriam pro vita omnium communi pacifcantur: Hoc ipfum, cedo, quid eft aliud nifi muficum quoddam temperamentum ex oppofitis, & contrarijs confecutum; vnius autem Iuris adminiftratione perfectum? Atque hanc fymbolicam Muficen cui alij, quàm Amori referamus acceptam, cuius proprium eft, ex mul-

tis

tis vnum indiuiduo nexu constituere? reluctantes genios, aduersaria studia mirabili quodam fœdere conciliare? Auctor igitur Legis idem, qui Musices, Amor; Addo, & Lex Amoris. Nam quæ concordiam studet discordiam proscribit, certè non tàm pabula Amoris ministrat, quàm semina. Amat Ioannem Baptistam Mancinium, Cortonensem patricium, propter eximiam Iuris vtriusque peritiam FERDINANDVS II. Hetruriæ Magnus Dux, quem vnum è multis summis viris esse voluit suum in Romana Curia Agentem. Amat Franciscum Mangelium nobilem Foroliuiensem eadem facultate cultissimum RAINVCCIVS Parmæ Dux, atque eius virtuti, ac dexteritati res suas eadem in Curia agendas commisit. Amat FRANCISCVS Mutinæ Dux Franciscum Gualengum patricium Ferrariensem, & Comitem, cuius politissimos mores, & Iuris summam prudentiam eadem Curia in dies magis obseruat. Amant alij alios consultissimos legum sui Principes, à quibus non tam virtutis referunt testimonium, quàm arrham amplitudinis. Amàbitis ipsi me quoque (non dubito) Viri sapientissimi, si quarum legum intelligentiam egregiè profitemini, Theoremata per me acriter propugnari, hoc est sustineri Legum ipsarum dignitatem videbitis. Amabo ego vos contrà, si mihi in tanta relaboranti humanitate vestra adfueritis. Sic erit & Amor Auctor Legis, & Lex Amoris.

GRATIÆ.

AMorem Antiquitas cæcum expinxit. Ego & mutum expresserim. Quippè Amori in vos meo propter adhibitam disputanti humanissimam audientiam nullis exæquandam gratijs, non nisi silentio par est responderi.

IVS CIVILE.

REspublica bonarum legum præsidio, atque optima iuris administratione quemadmodùm fortunetur, infortunatus illarum declarat casus, quæ Numine irato Principum tyrannorum libidini patuerunt. Insigne, si quòd aliud, mihi fortè oblatum exemplum est (Viri Eruditissimi) cùm nuper Patauina, Taruisianaque euoluens monumenta, subseciuas horas genio permitterem. Scilicet Ecce linum, & Albericum offendi, damnata illa capita impotentissimi dominatus, non tàm vnius parentis geminos fœtus, quàm effœtæ immanitatis geminata monstra, horrori malorum, execrationi bonorum nata. Ille Patauium, Hic

Taruisium, Vrbes Italiæ percelebres tam barbara præſſere tyrannide, vt & vita ibi gentium diuturnæ mortis acerbum genus exiſteret, & fugæ tentatio maturatum funus. Innocentiam illic prætendere, culpæ vertebatur; aliena complorare damna, ſceleri; ſuas lugere iacturas, facinori puniundo. Cerneres conſtringi funibus nondum faſciјs exſolutos infantes atque adeò primos inter anhelitus, qua vix tùm fruebantur, auræ vitali violenter eripi, vt neque vitæ conſcij, neque pauentes mortis priùs addiſcerent mori, quàm viuere. Ruere confoſſam ferro matrem ſuper lacerum, expirantemque filium: patris interitum nequaquàm fletu, ſed excidio totius familiæ comitari. Coniunctio quippè ſanguinis quædam veluti contagio ab vno in alium odia transfundebat; odia verò ipſa ineluctabilem conſciſcebant mortem, vnicum tantorum malorum remedium. Horum carceres, inſtar pène tartari, vbi caligo ſempiterna, vbi ſine ſolatio querelæ; ſine pabulo fames, ſine tumulo cadauera olentia, ſine ſalute ſpirantes, horrendoque ſpectaculo permixti mortuis (ſepulti meliùs) quibus halitus erat vitæ, iacebant: Vſque eò frequentes occurrebant, confertique miſeris hominibus, vt & deſerta ſpectaſſes in vrbibus, & in carceribus vrbes miſerorum. Euerti poſt hæc auguſtiores Ædes, magnificentioraque tecta dirui: celſiores æquari ſolo turres: denique decorem omnem florentiſſimæ Ciuitatis, ac ſpeciem Vrbanam omnem deplorandum in modùm deperire. O Rempublicarum miſerrimam, cui ſcilicet ſuggerit libido iura, veſania condit, furor miniſtrat, tyrannis exercet. Afferte vos illam, Viri Sapientiſſimi, atque aſtros dominantes vincite triſtitiam fati, retractate minas, componite ad felicitatem Horoſcopum; & mihi Iuris apices diſputatione tractanti adeſte auribus, fauete humanitate.

GRATIÆ.

PRo Iure diſputans, Iuſtitiam defendi publicæ felicitatis præſidium. Ipſa nunc exigit à me Iuſtitia, vt debitas agam humanitati veſtræ gratias, Iuſtitia eadem cliens, & Iudex. Sed ego nullius æris homo, nullius facundiæ Orator prouoco à Iuſtitia ad humanitatem ipſam veſtram, quæ meam dum excuſat inopiam, ſimul veſtra merita nullis æquanda gratijs pronunciat.

IVS CIVILE.

SAnctiſſimæ illæ ſemper, ſi quæ aliæ, in benè conſtitutis ciuitatibus habitæ leges fuerunt (Florentiſſima Sapientum corona) quibus conſulto caueatur, ſua cuique ciuium vt prompta ſint, vndè & pro benefactis afficiantur, præmia; & pro maleficijs; ſupplicia. Equeſtri diſciplinæ non ineptè quis conferat politiam, vt adminiculo duplici vtendum eſſe dicat, nunc quidem calcaribus, quibus vrgeantur in iter virtutis reſides, nunc autem fræno, quo procliues retrahantur à vitio. Ingens eſt prorsùm Reipublicæ moles, huiuſce æmula Vniuerſi; nec vllo architectanda Archimede, niſi duplici fundata polo clementiæ, ac ſeueritatis. Annè verò paria fuerint officia in impares? aut idem ſupercilium Principis in probos, ac nocentes? Si quidem Virtutis, ac Vitij alia eſt, atque alia ratio, quis non videt tantùmdem delinqui, ſi ſua benemeritus mercede fraudetur, ac malemeritus ſua? Hoc adeò religioſum eſt, Auditores, vt nec præmia compenſari ſupplicijs oporteat, nec ſupplicia præmijs. Recito teſtem è Romana Republica Horatium, nobile illud compendium non tam belli Albani, quàm tergeminæ virtutis germanorum. Cui enim tutiùs committeret Patria fatum ſuum, quàm qui germanis duobus commilitonibus deſtitutus aduersùs tergeminos Curiatios, eoſque integros, & ſpe inſtantis victoriæ ferociùs vrgentes nequaquàm corrupit dolo virtutem, ſed fulſit; vt in tam periculoſo congreſſu, in tanta Martis inuidia vnus, ac ſolus euinceret in tres fuga ſimulata diſtractos, quòd duobus ſtipato, atque coniuncto euincere ſibi fortuna negauerat. Meritis iſtis nulla profectò par merces præter æternitatem. Verùmtamen parùm fuiſſe dixerim, vt legitimo cùm triumpho repeteret Vrbem Horatius, niſi indignum vitæ reddidiſſet funeſtans triumphi gloriam caſus ſororis. Quàm cùm viduam ex nece vnius Curiatij, fletibuſque parentantem viro offendiſſet, victor barbarè inſoleſcens in leuiri cineres, cruorem pro lachrymis à ſorore exegit. Indignum oppidò facinus, & cum ipſo auctore damnandum. Quid autem? ſuſcipiet aliquis. Damnandum tu dices iuuenem ſtrenuum inter paucos, qui ſuam, fratrumque vitam pro patria libertate ſpontè pactus nunc quidem victor non tam triumphat de ſua victoria, quàm ſuggerit triumphi ſegetem vberrimam patriæ? Damnandum, qui mox ciuibus damna omnia cum ſeruitute ſuomet propulſauit diſcrimine?

ne? Damnandum, qui fororem licèt fuam, vxorem tamen hoftis, hoc eft fcintillas fatalis incendij metuendas continuata victoria reftinguit? Damnandum, qui germanæ fuæ eiulatus iubilo præfenti ciuium ratus iniurios, eadem, qua leuiri hoftis audaciam fiftendos dextera, eodem expiandos ferro putauit? Damnandum dico illum, qui ob cumulum meritorum in Rempublicam ex tam nouo victoriæ genere, nullum par præmium, nullum, quo memoria certè tranfmittatur, dignum fatis trophæum excogitari videtur poffe? Damnandum enimuerò iudicat, neque id temerè, Populus Romanus tantùmdem indignans pofteriùs facinus, quantùm fuperius plaudens: leuiri necem virtuti, fororis, furori vertens: adorans vltorem hoftis, inimicæ vindicem difcreto aufo deteftans. Vos, Viri Auditores, rectà lance rem pendite, & iudicium totius populi à fenfu populari fequeftrum ponite. Nam cùm damnatum antè Horatium à populo, fententia poft mutata abfolutum videbitis, damnabitis herclè ipfi populum præpofteri confilij, ftupebitifque rem nouam, quemadmodùm extemporè prudenter cenfuerit, confultò autem temerè. Nam nullam videre eft benè conditam Rempublicam, quæ in eam confentiat legem, Meritis ciuium vt aboleantur culpæ: quin fua benefactis mercede, fua pœna criminibus præfcripta, fi quem honefti aufi authorem ornauit, in eundem poft reum fceleris animaduertit, nulla fuperiorum meritorum habita ratione. Hoc fi teneat inconcuffum, perdurabit ad multum ciuitas libera, fin fecus, ex facili collabetur. Date obfecro Ciuem, præclare de Republica meritum, beneficentiæ infignis exemplo commendatum. Huic (quis neget?) ad illam celebritatem nominis, ad illam auram applaudentis, affentantifque gloriæ quiddam facilè in animum fubrepit arrogantiæ, vt citrà culpam, aut certè metum fupplicij aliquid etiam patrare iniquius fe poffe integra dignitate confidat. Superbiet is, mihi credite, efferetur infolenter, omnem breui ciuilitatem tollet, exturbabit; ni tumidæ erumpenti ceruici ferrum, & faces fuppliciorum feuerus admoueris. Neceffum eft quidem, fi velis ab nocentibus pœnas metui, vt innocentibus, vt beneficis in promptu fint præmia. Sit quantulacunque Refpublica, fit tenuis, arcta, gracilis, vix tantulum in ære habeat, quòd effundat in munus. Ab hoc tantulo ne abftineat effundendo. Ampliffimum ducet, quifquis in rerum vel magnificè geftarum mercedem referet. Cumulari fe putabit, vbi nihil intelliget fuppetere patriæ, quòd non fibi detulerit. Nullum adeffe genus ornamen-

namenti, nullum existimationis publicum testimonium, quòd non ipsa meritis eius lubens, ac prompta decreuerit. Faciat fidem orationi nostræ ex Romanorum Republica vetere Horatius Cocles. Faciat Mutius Sceuola, duo illa tam lumina Patriæ, quàm fulmina hostilibus copijs, quæ verò merita tantorum capitum? quantus cumulus? Sed iugera terræ duo in singulos distributa nomine publico exæquasse visa sunt cumulum meritorum, quòd Reipublicæ eo temporis tenuissimæ fortunam exæquabant. Bellissimum in rem nostram est Manlij Capitolini exemplum. Huic nobilitate generis claro inter Romanos, arce Capitolina aduersùs Gallorum oppugnationem strenuè seruata modicum farinæ attribuit Senatus remunerationis loco. Quàm sanè gratiam dignam omninò ille adiudicauit, & ex fortuna rerum præsente peramplam, certè quidem perhonorificam. Sed, vt gratam expertus erat patriam; sic tantùmdem pòst seueram, nec prioribus meritis in posteriore delicto exorabilem. Siquidem in affectati Regni suspicionem veniens, ex ea ipsa, quàm seruauerat, Arce præcipitatus, triumphum seueritatis funestissimum in Capitolio ipso legitimè meruit, grauissimo Senatus, Populique Romani iudicio. Quare quanta sit sanctitas legum, videtis, vt probos alioqui ciues perdere, ne illæ perdantur, ratio ipsa Iuris quandoque exigat. Nec enim personæ penduntur, sed merita, suismet quidem sigillatim momentis. Vt illa demùm perfecta, & omnibus absoluta numeris Respublica probetur, vbi re ipsa præstatur, quòd vulgari adagio circumfertur, *Fiat ius, & pereat Mundus*. Erit igitur pretium operæ, Studiosissimi Iuuenes, si decerptis ex Iure positionibus hodiernum vmbraculum instituta disputatione occupauerimus.

GRATIÆ.

ME tam rapiunt constituta per Leges homini grato præmia, quàm terrent ingrato pœnæ. Præstate obsecro ipsi vos hodiè vel prædes, vel vades. Cùm primùm mihi sidera largientur, parem hodierno merito vestro facultatem, tùm memet erga vos nequaquàm ingratum fore.

IVS CIVILE.

PErsuasum habent plerique, & eam altiùs fixere sententiam animo, nihil cùm altero tam ægrè conuenire, nihil tam acriter pugnare, atque cum Ciuili vita Militarem. Hinc sæpe-

numerò

numerò fieri videmus, ſiquis mereri ſtipendia decernit, vt is protinùs non modò veſtitum immutet, ſed moribus quoquè, conſuetudine, voce, præſentia Ciuilem quemque vſum veluti poſcente officio deponat. Neque enim Ciuilem ſe habitum induere poſſe putat, qui ad omnem vim expeditus, promptuſque comparatur: neque ſibi eſſe poſſe ciuiles mores, & ſtudia, qui & mores illos effæminatos exiſtimat, & minimè ſecunda ſuis auſis illa ſtudia: neque videri congruum, vt communem præſentiam ſermonemque teneat, qui ore toruo, qui Scythicis myſtacibus, qui diris conuicijſque terriculo parat eſſe cæteris hominum. Quæ quidem ſententia ſpeciem veri habet hac tempeſtate ſimillimam. Verùmtamen ſi priſca inſtituta euoluantur, nullæ magis coniunctæ res, nullæ magis concordes extabunt, quæque ita bellè neceſſitatis lege concurrant. Etenim quacunque in arte, quæ ad politiam communis vtilitatis gratia refertur, irrita fierent ſcita omnia ad viuendam cum Dei religione, legumque metu vitam ſpectantia, ni forent in promptu illorum præſidia, quæ, ſi bene ordinentur, non benè etiam ordinatos tuentur populos. Sic & viciſſim bonæ leges militari defectæ præſidio ruunt, non ſecus atque in Regali domicilio fulgentes auro ac gemmis parietes, vbi dio expoſiti, vndè ab imbribus protegantur, munimentum deſiderant. Quòd ſi reliquis in ordinibus ciuitatum atque Regnorum in id ſummoperè ſtudebatur antiquitùs, vt fideles homines, vt pacifici, vt Religione pleni conſeruarentur, id certè Militiæ ingeminabatur. Nam quo ab homine plùs fidei exigat Patria, quàm ab eo, qui mortem ipſius gratia paciſci debet? quis ſtudio pacis vehementiore teneatur, quàm qui vnius belli iniurijs lædi poteſt? Quis religioſiùs Deum colat, quàm cui diſcrimina vitæ in dies maiora ſubeunti opus eſt magis illius præſenti Numine? Hac benè perſpecta neceſſitate ijs, qui ſiue leges ferebant ciuitatibus, ſiue militaribus ſtudijs præficiebantur, habebat militum vita, qui ſe & laudibus ſummis ornaret, & acri proſequeretur æmulatione. Hoc verò ætatis inuerſæ cùm inſtitutum probatiſſimum penitus iaceat, diſcordetque longè ab antiquorum præſcriptis hodiernum; quid eſt, cur miremur obortas fuiſſe iſtas ſententias, quæ inuiſam cum ſuis aſſeclis militiam reddunt? Cedant igitur neceſſe eſt Arma Togæ; Cedat triumphalis laurea auctrici Legum linguæ; quando hæc tàm bello, quàm pace imperium latè obtinet: armata legibus bellum vrget, in Toga ſagum induit; ſine lauro diſtribuit laureas; pacata militat; imbellis triumphat,

Videte,

Videte, Legum studiosi, quantus patescat vobis campus ad gloriam. Hæc purpura, hoc sceptrum, vndè Reges, & Principes digniore pompa præsunt cum imperio populis, quàm imbuti murice, quàm auro fulgentes. Fuerit igitur magnanimitatis vestræ exposita per me theoremata Iuris, vestri acumine ingenij tentare, iudicij pondere pensitare.

GRATIÆ.

Ciuilibus legibus conciliari studia pacis & belli, quis credidisset è vulgo? Creditis ipsi optimè, Sapientissimi Viri. Nunc verò quis credat, conciliari cum iactura victoriam? Vosmet efficitis, Humanissimi; quùm me humanitate vestra victum, abire victorem iubetis.

IVS CIVILE.

QVantùm sugillat posteritas quorundam capitum memoriam, quæ indicto Naturæ bello perdendis cum abolitione legum Imperijs nata, ceu monstra teterrima belluinæ feritatis in hanc prodisse lucem videntur: tantùmdem obseruat in fastis; & adorat illorum nomina, qui humanæ propaginis non filij magis, quàm parentes dignum diademate caput, dignamque Cælo mentem fundandis, constabiliendisque Rebuspublicis ad felicitatem mortalium; æternique Conditoris gloriam deuouerunt. Et quamquàm nemo vnus aut ita sit deturbatus mente, vel constans; aut ita vita corruptus, vel integer, cui, si duplex hæc omnium conditio proponatur, non illos laudibus efferendos, quibus laudes debentur; quibusque probra, probris vrgendos esse putet? Tamen nescio quo postmodùm deliramento iudicij, falsæ plerique gloriæ, falsique boni specie hallucinantes in eorum se proripi gradum, seu sponte, seu per inscitiam patiuntur, qui regnandi instituto, & artibus vituperationem potiùs, quàm prædicationem aliquam demerentur. Quid enim turpius ad notam, aut furialius ad insaniam, quàm vbi Rempublicam, Regnumuè sancire quis posset immortali cum fama nominis, cum securitate animi, cum facti celebritate; ad tyrannidem sua conferre malit consilia sempiterno cum dedecore, cum capitis discrimine, cum facinoris conscientia? Nego enimuerò aliquos fore ex his, qui priuatam in Republica vitam viuunt, quibus si vel meritò, vel fortè fortuna Principatus deferatur, si euoluant historias, & veterum monumenta perpendant, non

ij malint priuati degere; Scipiones, quàm Cæsares: quique iam tenent Principatum; Agesilai, Timoleones, Diones, quàm Nabides, Phalarides, Dionysij. Hos enim contumelijs summis affectos cernerent; illos encomijs. Cernerent quemadmodùm Timoleoni, ac cæteris nihil minùs auctoritatis fuerit, quàm Dionysio, atque Phalaridi; securitatis tamen plùs multò fuerit. Nec verò quisquàm sit, qui gloriam Cæsaris hallucinetur, audiens maximè per Scriptores celebratum. Nam laudatores habet fortuna illius corruptos, diuturnitas verò Imperij territos, cuius vtique Imperij regimen ab eius pendens supercilio facilè vetuit, quò minus liberè de eo pronunciarent Scriptores. Attendat hic, licèt, res de Catilina conscriptas, tùm demùm quomodò scriptores liberi habituri Cæsarem essent, intelliget. Est autem detestabilior iste, quò peius meruit qui perfecit, quàm qui solùm meditatus est nefas. Attendat simul quibus laudibus honestent Brutum. Ita vituperare cùm nequeant illum præpotentia, celebrandum eiusdem aduersarium arbitrantur. Vnà id attendat quisquis obtinuit clauum in Republica, quàm commendatos habuerit Mundus, ex quo Roma potita rerum est, Cæsares illos, qui in summa potentia continentissimi, legibus promiscue paruerunt, optimorum Principum appellatione inclyti, præ ijs, qui vestigijs aduersis institere, monstra seruitutis in Imperio damnata. Viderit profectò, vt Neruis, Titis, Traianis, Antoninis, Marcis necessaria minimè fuit Prætoriana cohors, nec legionum caterua ad sui præsidium; quippè qui suos ipsorum mores, populorum fauorem, Senatus beneuolentiam munitissimi cuiusque præsidij loco habebant. Viderit simul, vt Caligulis, Neronibus, Vitellijs, alijs tam multis consceleratis Cæsaribus Orientales vnà & Occidentales copiæ impares erant aduersùs inimicos tuendis; quos sui sibi corrupti mores, quos vita perdita, artesque infandæ collegerant. Quòd si accuratiùs expendatur illorum historia, monebitur satis quisque Principum, quæ sibi ad gloriam, ad vituperationem; quæ ad securitatem, ad formidinem pateat via. Quandoquidem ex Cæsaribus sex & viginti à Iulio ad Maximinum, cæsi fuere sexdecim, sublati fato communi, decem. Nec legem vitiat, quòd vel vnus Galba inter tot scelestos probus memoretur occisus, vel vnus Seuerus inter probos scelestus communi morte sublatus: Cùm & illum corruptela militiæ per antecessorem relicta perdiderit, & huic summa quædam fortuna cum bellica virtute conspirans singulari apud mortales exemplo afflauerit.

rit. Viderit prætereà, quo pacto institui Regnum bonum possit, vbi disciplinæ sinceritas alio ex fonte, quàm ex vera religione petitur; cùm illorum, qui sceptrum Romanum hæreditario iure capesserunt, nemo non improbus præter vnum Titum euaserit; qui verò adoptione, nemo ferè non probus, velut ij quinque à Nerua ad Marcum. At enim cùm ad hæredes Imperium maiorum non etiam disciplina cecidit; in suam reuolutum est cladem. Iam sibi Princeps proponat à Nerua ad Marcum tempora. Conferat cum ijs, quæ præcesserant; quæquè mox successere: Tùm quibus natus esse, aut quibus præferri cùm imperio malit, sibi deligat. Nàm quibus dominati sunt probi, cernet securum inter securos ciues Principem, iustitia, & pace orbem florentem. Cernet sua cum auctoritate Senatum, cum honoribus Magistratus, cùm fortunis ciues, cum dignitate nobiles, cùm pretio virtutem, cùm felicitate vitam singillatim omnium: omnem ex aduerso liuorem, licentiam omnem, corruptelam, libidinem, ambitionem extinctam. Aurea cernet tempora, quibus tueri cuique suum liceat. Quid quæris? Triumphantem cernet Orbem terrarum, plenum maiestatis, & gloriæ Principem; charitatis, tranquillitatisque populos. Conijciat post, licebit, obtutum in tempora reliquorum Cæsarum. Næ illa offendet inimicitijs atrocia, seditionibus discerpta, pace belloque immania, tam multos ferro sublatos Principes, tot ciuilia, tot externa bella: vexatam Italiam, ac nouis æstuantem infortunijs, dirutas in ea, depopulatasque ciuitates, exustam vrbem vrbium Romam, per suosmet ciues, euersum Capitolium, vetusta Templa solo æquata, corruptas cæremonias, plena adulterijs oppida, exilijs maria, sanguine scopulos. Cernet innumerabilia Romæ exempla crudelitatis: ingenuitatem verò, diuitias, honores, virtutem in primis capitali versam facinori. Cernet præmijs affectos accusatores insontium: Cernet præuaricantes in Dominum seruos, in Herum liberos, & quibus defuissent inimici, ab amicis ipsis oppressos. Atque hinc intelliget, quid & quantum debeat Roma Cæsari Iulio, quid Italia, quid Orbis vniuersus: absterrebiturque penitùs, si sensus humanitatis fuerit, ab affectandis malis temporibus; simul & flagrabit consectandi bonorum cupiditate. Enimuerò anhelanti Principi humanam gloriam, optandum foret, vt corruptam adiret Ciuitatem, quàm non vt Cæsar perderet, sed vt Romulus stabiliret; nec putem ego ansam gloriæ maiorem aut sidera largiri posse, aut homines peroptare. Quòd si Ciuitati con-

 stituen-

ſtituendæ neceſſum eſſet abdicari Principatu, excuſandus ille forte, qui ne gradu caderet, in ea conſtituenda remiſſior eſſet. (quamquàm deſcenſu præueniat caſum, oportet, qui & officij ius inuiolatum, & ſuum ipſius decus apud prudentes viros ſartum tectum habere ſtudet.) Sed his conſpirantibus quiſnàm excuſationi ſupererit locus? Igitur quicunque Cælo arridente occaſionem iſtam offenditis, in biuio ſiſtitis; vt iſtac flectentes, ſecuritatem viui, gloriam defuncti nanciſcamini: Illac verò diſtracta, diuturnos angores, infamia poſt fatum continuandos ſempiterna.

GRATIÆ.

DVximus præfando lineamenta ex Principe optimo felicis Imperij; Sed defuit manus operi. Vos præſtando addidiſtis; & humanitate ſingulari in me diſputantem exhibita, illud monuiſtis, optimi eſſe Principis, ea in ſubditos beneficia congerere, quæ gratias ipſorum non habendas modò ſuperent, ſed etiam agendas.

IVS CIVILE.

CIuilium legum quanta haberi debeat ſanctitudo commendauit luculentiſſimo Elogio Tullius, *Nihil* (habens) *tam ad ius, conditionemque naturæ, quàm Lex: ſine quâ nec domus vlla, nec ciuitas, nec gens, nec hominum vniuerſum genus ſtare, nec rerum natura omnis, nec ipſe Mundus poteſt.* Verùmtamen (ſubirem ego) cùm nulla quandoque domus, nulla ciuitas, nulla gens deleta hactenùs habeatur, quæ non legum ſuarum præſidio niteretur, iam videtur hic eſſe cardo noſtræ cauſæ, vt leges non quælibet ferantur; ſed quæ vſu probentur optimæ, & quæ maximè cum natura concordent. Hæc mihi fixiùs cogitanti, & varios in tabulis annalium circumſpectanti Rerum publicarum celebrium caſus, perquàm accommodatè ſuccurrit Demetrij Phaleræi ſcitiſſimum placitum; *Vtere, nimirùm, legibus antiquis, obſonijs verò recentibus.* Sic enim mecum ipſe diſſeruerim. Ciuitatibus initio liberis, quæ ceu Reſpublicæ, aut Principatus arbitrio ſe ſuo moderabantur, quemadmodùm primordia, ſic iura diuerſa obuenere. Sunt enim quibus ipſo ſtatim principio, aut non multò pòſt conſcripſit vnus quis leges vniuerſas, quo ex numero memorabilem habuerunt Spartiatæ Lycurgum. Alijs caſus ipſe dedit leges, & eas non niſi ſucciſiuis temporibus, ac pro re nata: cuiuſmodi factum Romanis teſtes

ſunt

funt historici. Hinc illa perbeata Respublica dicenda est, cui forte fortuna tantæ prudentiæ vir præsto fuerit, vt leges numeris absolutas omnibus, nec vlla per posteros censura temerandas, quibus tutò regatur, acceperit. Spartiatæ ipsi hanc habent pœnes antiquos inuidiam: qui acceptas iam tùm initio leges septingentos per annos totos incorruptas eas, & quouis immunes tumultu ciuium iusto seruasse memorantur. Illa contrà steterit inauspicatò ciuitas, quæ institutorem minùs prudentem nacta, ipsa se se restituere cogitur. Infelicius multò fatu m illius, quæ longiùs ab institutione distet. Illa adhuc distabit longiùs, cuius instituti ratio ad vitæ ciuilis perfectionem minimè tendit. Nam quæ sic habentur ciuitates, vix vlla spes est, ex euentis deinceps vt quicquàm reparentur. At quæ ordine etsi nendùm perfectò constantes; principium tamen sanum perficiendique capax sortiuntur, fieri vtique potest, vt perficiantur, successibus ipsis rerum edoctæ. Illud enimuerò non fiet, vt eæ citra discrimen sanciantur, propterea quòd hominum plerique in iura noua nunquàm consentiunt sanctionem in ciuitate nouam spectantia, ni simul de huius consilij necessitate moneantur. Quæ quidem necessitas cùm sine discrimine vix vnquàm occurrat, consequens est, vt antè Respublicæ collabantur, quàm propositam sibi metam perfectæ institutionis attingant. Sed nos operæ pretium faciemus, si quæ genera dominandi distinguuntur à prudentibus, in mentem reuocabimus. Nam tria illa fermè enumerant, Monarchiam, Aristocratiam, Democratiam. Est autem vna Principis singularis, altera & tertia plurium: sed illa optimatum, hæc populi. Quamquàm genera sex quibusdam videantur in duplici ordine sic distributa, vt vnius dominationis honestæ genera singula singulis alterius, in quæ degenerant, aduersentur. Sunt quippè humanæ res ita pronæ, vt persæpè corrumpatur Principatus Tyrannide; vt Optimates ad paucos arctentur; vt Populares in licentiam insolenter abeant. Ex tribus igitur his formis imperandi quisquis legislatorum sanxerit vnam in ciuitate, ad modicum eam sanxerit: Nec enim prohibuerit vlla arte, quin ea in oppositam defluat præ virtutis affinitate cum vitio, Tulit omninò Casus vicissitudines istas Imperij, & quùm in Mundi exorsu incolis terrarum raris vixere aliquandiù dispersi sedibus more belluarum mortales. Pòst propagato genere conuenire in vna mœnia; & quò se tuerentur faciliùs, robustiorem, fortiorem quem in cœtu deligere, quem sibi Principem statuerent, cui gererent morem.

morem. Hinc honesti, bonique notitia; discretio simul turpitudinis & incommodi: quippè tùm obseruatum, siquis beneficium læsisset, odium inde commiserationemque pullulare inter homines, qui propterea ingratos vellicarent, & quos gratos experti essent, in honore haberent. Illud quoque reputantes iisdem iniurijs affici se posse, ad condendas leges, vt id malum cauerent, accessere, præscriptis contra violatores supplicijs. Exinde hausta iuris doctrina. Ergo lecturis Principem, non iam roboris, aut proceritatis, sed prudentiæ atque iustitiæ pensum erat. Cùm verò non delectu, sed successione creari ille institutus est, degenerauere mox à maioribus hæredes, abdicatoque studio egregiarum rerum, nihilo sibi forè superandos populos, quàm luxu, libidine, delicijs putauerunt. Ita colligente inuidiam Principe, & ex inuidia metum, atque hinc ad offensiones progresso in tyrannidem ex facili itum fuit. Reperit ea res initio clades, tumultus, coniurationes aduersùs Principes, nequaquàm per illos instructas, qui animo pusillo essent & molli, sed qui cæteris strenuitate, promptitudine, opibus, nobilitate generis anteirent, nec ferre pacati possent supinam, & ingloriam Principis vitam. Auctoritati istorum procerum incumbens armabitur multitudo in Principem, quo extincto tanquàm vindicique iis parebat. Verùm hi nomen vnius capitis exosi statuere ex se ipsis Magistratum: Principio quidem non immemores nuperrimæ tyrannidis gubernare iuribus ab se conditis, priuata publicis commoda posthabentes. Ita summo studio, ac pari æquitate res omnis priuata, publica geri. Demùm deuoluta administratione ad filios, quos adhuc latebat alternantis fortunæ varietas, inexpertos quippè malis, impatientésque ciuilis æqualitatis facilè ex illo seueritatis gradu in ambitionem, auaritiam, libidinem, mulierositatem prolapsi cogere in paucos Magistratum illum Optimatum, Ciuilitate omni neglecta: vt ipsis mox quiddam simile, quòd paulò antè Tyranno, succederet. Siquidem istorum dominatum pertæsa multitudo, quisquis contrà eos machinaretur, vltrò se ipsa auxiliarem præbebat. Sic desideratus diù non est, qui opitulante multitudine illa capita tolleret. Verùmtamen memoria Principis recente simul cùm acceptis iniurijs cùm & paucorum abolitus esset, & singularis inuisus dominatus, in popularem deliberatur, ea quidem moderatione, vt neque potentes pauci, neque vnus Princeps auctoritatis quicquàm obtineat. Principio habet Imperium quodque reuerentiam. Itaquè Populare hoc aliquan-

aliquandiu viguit, sed paulùm, defunctis præsertim cùm ætate illa auctoribus. Mox enim consecuta licentia: Nullus priuatis, nullus publicis spectatæ virtutis hominibus honor habitus, vt pro suo quibusque arbitrio agentibus nullus elaberetur vacuus iniurijs dies. Hæc ita cùm essent, rursum vel necessitate persuadente, vel bonorum consilio, vel declinandæ causa licentiæ reparatus vnius capitis Principatus. Indè gradatim rursùm ad licentiam non absimili ratione, consimilibus de causis: atque in hunc quasi gyrum itque, reditque conuersa Politiæ fortuna. Tametsi raro in gradum eundem recurritur, quòd nulla vsque eo viuit Respublica, vt has sæpiùs obire possit vices, atque subsistere. Vsu equidem venit, vt conflictata ipsa cladibus simul & viribus & consilio destituta trahatur sub alteriùs finitimæ ditionem, vbi sanctiùs iura seruentur. Hoc si minùs detur, nata tùm certè fuerit Respublica per huiusmodi vicissitudines in immensum circumferri. Quid ergo? Damnandæ omnes istæ formæ Imperij, quia nimiùm fluxæ? Hominum potiùs damnanda conditio, quibus optima quæquè corrumpuntur. Optandum profectò, si minùs sperandum, vt quando alios Monarchia seruauit, Aristocratia alios continuit, alijs feliciter Democratia aspirauit: etiam cœuos nostros perducant ea, quàm premunt, via incolumes ad beatitatis metam, Imò verò enitendum neruis omnibus, vt euitatis scopulis indice naufragio alieno securiùs ad cursum annorum quàm diutissimum deferantur. Non hic improbauerim ipse quorumdam votum potiùs, quàm consilium: & idæam ferè Platonicam (siquidem expingi sermone meliùs potest, quàm vsu perfici) vt ex tribus illis conflata vna perfectaque dominandi forma sanciatur. Sic (aiunt) vna alteram tuebitur, stabitque immota perenniter illa Ciuitas, & clauo sistet fortunæ rotam, si conspirent simul in Imperio Principatus; Optimates, & Populus. Proferunt isti Lycurgum ad normam fortunæ (dicam ego) prudentiæ: propterea quòd in tempora offendit; quando animos ciuium quàm rudes periculis, tam ingenuos & candidos, non impotens affectatis per nefas honoribus corrumpebat ambitio, non auro congerendo inexplebilis conficiebat sitis, non petulans irritandis procacibus libido adurebat, non agitabat per vesanam in Martios tumultus impatiens libertatis effrænæ cupiditas: Vt nequaquàm mirandum sit, fundatam ad eo viro tribus istis in ordinibus Politiam ad tam multa annorum centena constanti felicitatis tenore perdurasse. Sic Lycurgo ἐναντίον Solonem proferunt: qui,

qui, quòd Populari magiſtratui rem Athenienſium totam commiſit, adeò breui definiuit curriculo, vt non antè diem ipſe extremum clauderet, quàm ſubnatam Piſiſtrati Tyrannidem videret. Et quamquàm quadrageſimum poſt annum electis hæredibus reducem poſtliminio exciperent libertatem Athenæ: popularia quippè iura reſumpſerant parentes Solonis ſanctionibus; non licuit tamen vltra centeſimum annum retinere, etſi legibus multis editis conniterentur, quibus & potentium inſolentia, & licentia vniuerſorum, quòd Solon minimè cauerat, retunderetur. Sed eas populares leges, quia cum potentia Optimatum, atque Principatus permixtas minimè habebant, fuit iccircò Athenienſi Reipublicæ ad Spartanam, veluti puſionis ætas ad ſenilem. Fortunatam dixi nuper Lygurgi prudentiam: Dicam nunc fortunata Romanorum infortunia, & bonis auibus adductas clades. Quandoquidem ex turbulentiſſimis illis diſſidijs inter Plebem, & Patres, concordia tandem effluxit in nouas leges, quibus aduersùm infortunia & clades conſtabiliretur ad perennitatem Reſpublica. Itaque ſi minùs fortunam primam, alteram quidem certè ſortita Roma eſt: & quòd non dederat olim fundator dedit poſtmodùm caſus, vt principia illa rudia Imperij, ſed recta nouo ex euentis additamento facto conſummarentur. Decreuerat & multa & bona Romulus, quique ſubrogati ſunt Reges, vel ad libertatem ciuilis vitæ. Verùmtamen cùm eo ſpectarent, vt Regnum, non Rempublicam ſtabilirent, deſiderata ſunt plura tuendæ ipſi libertati neceſſaria, Regibus autem fundatoribus prætermiſſa. Igitur ſubmotis ijs Regno ſuperſtite creati ſunt Conſules bini, vicem Regum vt gererent. Ita Regum nomen, non Regiam poteſtatem excluſere. Quare Conſulibus, Patribuſque dominantibus bimembris, & manca Reſpublica fuit, duabus nimirùm ex formis tribus conflata, Principatu, atque Optimatibus. Vna ſupererat inferenda popularis adminiſtratio. Fecit autem tumultus pretium rei. Defluxere, vti diſſertum eſt in inſolentiam nobiles. Irritata plebs eſt. Itaque rem omnem ne perderent, coacti ſunt ius ſuum populo permittere, vt & ſuum tamen Senatus, & ſuum Conſules gradum in republica retinerent. Hinc Tribunorum plebis creatio, & firmior deinceps Reſpublica, in qua tria Imperij genera fœderata conuenirent. Dedit igitur Caſus Romanis, quòd prudentia non dederat primi Legislatoris: Et qui ad euerſionem oriuntur tumultus, firmauere eam gentem, quouſquè documenta obſeruauit

uit

uis fortunatissimæ sortis. Nos verò, quoniam cælitus habetur fortuna, niti illa minimè debemus, nec temerè administrare publicam rem, cui sanciuntur non sine cælesti Numine leges, instituuntur iura, destinantur consilia. Non enim remittere nos debet fiducia ex vno euentu Romanorum, vbi miriades aliarum gentium prædicant florere ex prudentia ciuitates, ex imprudentia ruere. Quæ cùm ita se habeant, facilè intelligitis, Auditores, quàm sanctè & vobis & mihi de Iure disputandum offeratur hodierno conuentu; Cuius Theoremata, ne vos ampliùs morer, profero in lucem sapientiæ vestræ disquirenda.

GRATIÆ.

AB æquo, & bono prudentia Iuris non abhorret. Ergo si multus ipse non sum in gratijs agendis vbi tam multi ipsi fuistis in audienda de iure disceptatione, Vos, Viri prudentissimi, æqui bonique penditote.

IVS CIVILE.

QVòd humano corpori Animus, hoc homini legem esse, nemo vel mediocriter compos animi refragabitur Prudentissimi Auditores. Cogatur, si placet, siue ex indigenis, siue ex conuenis Ciuitas opibus quantiscunque, aeruisque collatis. Tantùm in alterutro momentum Lex habet, vt, eam si negligas, in arena prorsùm exædificari ipse probet successus. Fuerint homines principio dispersi sedibus, angusti terris, numero, situ, viribus pertenues; vt neque inuadentium impetum sustinere singuli, neque tempestiuè glomerari manus ad repugnandum valerent, ni vacuas interea loci domos prædam hosti præsentem relinquerent. His itaque moti incommodis, vel propria cuiusque perorante necessitate, vel hominis inter ipsos grauissimi consilio in locum vnum maturè delectum conuenerint opportuniorem vitæ, securiorem præsidio. Sic Theseo auctore steterunt Athenæ, sic genio concordante Venetiæ: Illæ dispersis è rupibus Achaicæ oræ, hæ Insulis Adriatici sinus: Illæ alendis ad splendorem artibus natæ, hæ fundandæ iuribus æternis Italicæ libertati. Surgat nunc & ex conuenis altera Ciuitas, vel liberis ijs, vel subiectis, decernente coloniam Republica, vel Principe, id siue exonerandis habitatore terris suis, siue tutiùs, ac citra dispendium tenendis illis, quarum sit recens potitus, siue demùm illustrando apud posteros Prin-

cipi, à quo Ciuitas ipsa ortum nomenque sit nacta; qualis Alexandrum sua iactat Alexandria. Quis nunc, cedo, contineat tam multa capita? quis pugnantes vtique in multitudine genios conciliet? quis plurium mentem vnam constituat, vt in tanta diuersitate Cæli, sanguinis, ætatis, sexus; sit tamen vnus, idemque tenor ciuilis vitæ, vnum idem studium? Hoc officium Legis fuerit: hoc illius, qui politiam fundat, negocium, vt aduersus insurgentes ciuium motus, furium quasi moles obijciat, vt acriora ingenia temperet metu supplicij, segniora præmij spe solicitet. Ita.

Et premere, & laxas discat dare iussus habenas.

Adeò consilij locum occupant Leges in Republica, vt, quantò feracior, & amœnior terra legitur, tantò studium seuerius illæ poscant. Sanè si sterili solo, si angusto situ considere Ciuibus fortuna dederit, adiget eos non magis Lex per Principem lata, quàm loci ipsius natura, vt per honestos labores impigri sibi rem quærant: & pari negocio, qui neutiquam valent intra suos fines diutiùs hostiles copias alere, fortiùs ad eas fugandas adnitantur, vt pertinaci obsidione tentatos, quos tela non mouent, fames ne frangat. Sed demus nos ciuitati fortunatiora auspicia; demus, regionem vndequaque florentem, & agri bonitate luxuriantem. Ibi, aio, potissimùm opus sunt Leges, quibus compensetur loci natura, prouiso Ciuibus, ne ocio præsente, delicijsque soluantur. Sapienter ergo prisci Lege lata iubebantur inter gymnasticos labores certis præceptis per stata tempora exerceri: quibus exhantlatis mirùm, quàm periti rei militaris, quàm procincti ad bella, difficillima quaque expeditione oblata, prosilirent. Testor suppressis quàm multis recentibus, atque antiquis Sulthanicum Regnum, ordinemque Mammalucarum, & eorum per id tempus militiæ, antequàm per Selymum Turcarum Imperatorem memorabili victoria deleretur. Cernere ibidem erat alias militum, alque alias exercitationes, & quantoperè ij abhorrerent ab otio, quòd profectò persuasisset genuina mollitia regionis, ni legibus seuerissimis obstitissent. Lex igitur ciuitatem animat, vitam constituit, præmunit, moderatur adeò, vt exlegem eandem, & extinctam vsurpare nuncupatione reciproca possimus. Agite nunc. Ecquod negotium grauius agitare fas est mortalibus, quàm vbi communis vita nititur? Cui meliùs operum locare, tempus impendere, frontem rorantem addicere? Pro quo vtiliùs ad felicitatem, honestiùs ad gloriam pacisci vitæ nostræ anhelos labores? suspiratam

mercedem? Hæc me Iuris propugnatorem, quantùm dant vires, constituunt hodierna luce, hoc in cœtu grauissimo Sapientissimorum virorum, vt propositis thesibus vestra oppugnatione velut obliquæ viæ compendio ipsi mecum suffragemini.

GRATIÆ.

SAnctior nulla Lex est, quàm vt accepta gratia referatur: Lex tamen æquior nulla, quàm vt impotens gratiæ absoluatur ingrati crimine. Ego, Humanissimi Auditores, tantùmdem me vestro ære obstrictum, quantùm beneficio rependendo imparem agnoscens; si minùs relatis gratijs, actis certè (vt in præsens etiam atque etiam ago) omnem perfecisse Legem putabo.

IVS CIVILE.

Vel Rhetorica.

SEueriore trutina perpendens Plato, moderatores Reipublicæ quantos existere oporteat, vt detur potiri populis quæ felicitate mortalibus licèt; Philosophos illos omninò deposcit. Grande quidem placitum, & humana spe maius votum; tametsi antiquis atque recentibus miracula huiusmodi nonnulla ostententur. Mitiùs ego agens, quò Principum pars maior album attingat propiùs, nec nisi perpauci supersint ostentui posterorum: non philosophos ipsos optarem, sed modò literatos, & exemplis antiquorum formatos; vt quòd hi nec proprijs, nec prudentum assidentium periculis addiscere possunt, addiscant periculis veterum, felicesque in hac parte euadant ex Platonis voto Respublicæ, quarum Reges aliena faciant cautos pericula. Cogant itaque, oportet, in consilium suum antiquorum casus, habeant consiliosorum loco Scriptores, quorum codices lenti percurrant, attenti deuorent. Siquis enim præsentes simul, atque præteritas res tanquàm è specula contemplatus erit, intelliget facilè in quaque ciuitate, in quoque populo eadem semper esse optata, ingenia eadem, ipsaque illa nullo non tempore extitisse. Vt laboriosum idcircò nequaquàm fiat præterita pensanti, etiam futura prospicere in quaque Republica, ac ea promere, quæ & priscis prompta fuere; remedia: aut, si vsitata nulla extent, recentia moliri pro rerum accidentium similitudine, & quasi cognatione. Quoniam verò ea monita

neglecta sunt, vel certè impercepta lectoribus: aut si percepta; his tamen, qui cùm imperio sedent, minime fortasse cognita; consequens indè est, vt eædem semper offensiones, eædem clades, incommoda eadem nullo nunquàm tempore occurrant. Oculatam citò testem Italiam semel, & iterum: recentem primò, deindè veterem, vt eundem, ac sibi perpetuò similem Solis cursum, recursumque cognoscamus. Primò igitur Florentina Respublica Etrusci Imperij domina occupatis Pisis cùm alijs oppidis non mediocriter imminuta indixit vsurpatoribus bellum. Hi, quoniam armis, virisque pollebant, duram effecere, ac multò dispendiosam oppugnationem. Itaque Florentinorum Dux vectigalia imponere, populi quærelis incessere, tumultum minari. Præerat huic bello Decemuirùm Magistratus. Hunc ciuitas pertædere, inuidiam facere, quippe quem crederet & belli auctorem, & dispendij quoquè sublato magistratu ipsum simul bellum iri sublatum. Ergo Decemuiratus instaurandi legitimum aderat tempus; qnùm iure ipso abdicatis antiquis, nec subrogatis recentibus extitit ipse per se abolitus Magistratus, totumque ius Optimatibus deuolutum. Fuit vsque eò perniciosum Reipublicæ id consilium, vt bellum non modò non extinxerit, sed sublatis tantis capitibus, quorum admirabili prudentia administrabatur, in tantam cladem adducta res sit, quantam dehinc probauit inopinantibus plerisque irritatum acerbius bellum, & ad Pisanam Aretiana quoque defectio, ac finitimorum locorum momenti non parui. Resipiscens verò populus, & morbi originem tùm demum animaduertens febrim esse, non medicum, restituit Decemuiros. Atque hic ipse tumultus (vt ad Italiam veterem transgrediamur) hic, inquam, ipse tumultus adamussim Romæ dudum increbuerat aduersùs Consulum appellationem. Nam vnum ex alio bellum suboriri cùm cerneret Populus Romanus, nec vllum dari quietis interstitium; id quòd vertere finitimis populis ambitioni debuerat, vndè sibi clades extrema parabatur, refudit in nobiles suos quasi hi tribunitia tutela prohibiti à subdenda intra Vrbem plebe, subditam ipsam imperio Consulari legarent extra Vrbem omni destitutam præsidio, ad certum exitium, ac internecionem abiectam. Hinc itaque aut Consules omninò tollendos putabant, aut quidem sic moderanda iura, nihil vt illis domi, nihil foris auctoritatis in populum esset. Tentauit primus hanc legem Terentillus Tribunus. Is suasit Quinqueuiros creandos, qui Consulum cognoscerent potentiam, ac definirent. Quæ res,
mirum,

mirum, quantùm concitauit nobiles iniquissimè passos, ita pessùm ferri Maiestatem Imperij, nec sibi gradum vllum honoris in Republica superstitem fore. Vsque adeò tamen obstinatissimi perstitere in sententia Tribuni, vt Consulare nomen extinctum venerit: consensereque demùm post alia quædam scita in id quoque: Potestate Consulari vt crearentur Tribuni potiùs quàm Consules: tàm erat illorum inuisum nomen, ne dum auctoritas. Ita in multos annorum deducta res est, dum errore cognito, vt Florentini Decemuiros, sic isti Consules quasi postliminio recepere. Poteratnè luculentiùs pro nostra sententia Italia ipsa perorare? At hic literaturæ fructus est, Viri Sapientissimi, quàm quidam, & ij non pauci, nihil ampliùs, quàm quoddam parergon esse voluerunt ad Iuris prudentiam. Ego verò neruum statuo: neque solùm præcurrere oportere legibus addiscendis; verùm & comitari ipsarum studium, & condendis perpetuò assidere, quemadmodùm satis pro me res ipsa eloquenter peruicit. Hæc ergo prima quasi fercula vobis Dipnosophistis apposui, subministraturus mox secunda, & tertia, doctissimis collocutionibus vestris, ac disputationibus condienda. (* *Si ad Rhetoricam disputationem trahetur Præfatio, hæc ferè clausula fieri poterit*).

Planiùs hæc à me dicta sunt, quàm vestra fortè exigebat ad numeros omnes grandescens Eloquentia. Verùmtamen satius duxi hinc sepositis flosculis aculeos rationis nudos prætendere; vt quando legum intelligentiam vestrorum studiorum metam video ferè esse propositam, res ipsa præsens vrgeat vobis validiùs animos, quàm vllus elaboratæ orationis impetus, ad hæc ipsa, in quibus alioqui feliciter versamini, politiorum literarum spatia percurrenda.

GRATIÆ.

Legumlatores literatos ego tantùm admisi, nouo fortasse placito. Atqui nouam vos quoque Legem fertis; cùm pro collato nunc beneficio gratias supprimere magnitudine ipsa, & nouitate me iubetis.

IVS CIVILE.

IN grauissima Iuris tractatione (Viri prudentissimi) placet imitari sanctissimum Auctorem rerum, qui serium negocium suum ludo exprimendum putauit, *Ludens*, inquit, *in orbe terrarum.*

rarum. Ego itaque non multò aliter. Persequar autem ioco grauitatem legum, prudentiæque vestræ subijciam seriò inspectandam Bisquæsito. Lex lux, dux: Exlex nox, nex. Sic paucis multa concludens validius impetam, vrgeboque pectora mortalium ad sacrosanctam legum retinendam obseruantiam, ad impium neglectum proculcandum. Ac primùm quis denegget Legi, lucis titulum? nisi quis de luce disputet, cæcus vtique. Naturæ (si recolitis) cunabula lux composuit. Primùm quippè diem Auctor producta peperit luce, iubens ante auroram dicscere, ante Solem illucescere. Coæua igitur Naturæ lux, sed & cognata lex; *Nihil est tam ad Ius, conditionemque naturæ, quàm lex*, ait Tullius. Sed & vicaria; *Ratio naturalis sufficit pro lege*; Tritum est iurisconsultis. Sed æmula; *Lex est veritatis imitatio*, Platone teste. Sed fœderata; *Vniuersa hominum vita* (ex Demosthene) *siue magnam vrbem incolant, siue paruam, Naturà, & legibus constat*. Sed parallela. Etenim colorentur omnia luce: *Lege & earum obseruantià*, inquit Demosthenes, *exornantur omnia*. Sit lux pulchritudini, omnis fons, & formæ officina; *Nihil omninò neque pulchrum, neque decorum reperiri potest, quòd non cum lege aliquà communicet*, subijcit Græcus Orator. Exhilarct omnia lux, & viuificet, velut obruunt mœrore tenebræ, ac tabefaciunt; *Salus Ciuitatis*, prædicat Aristoteles, *in legibus est*. Sit lucis singulare præconium, quòd de ipsa prædicetur in rectò Deus; *Quoniam Deus lux est*, ait Ioannes Apostolus. Id ipsum de lege vsurpat Plato: *Qui legibus seruit*, inquiens, *Dijs seruit*. Denique dic lucem æquè hominibus metuendam, ac optabilem, nempè censuram acerrimam maleficiorum, ac turpitudinem. Nonnè vides, vt noctem intempestam captant errones? vt cæca latibula scortatores exquirunt? Scilicet oderunt amasij tenebrarum lucem, non tàm indicem obscænitatum, quàm vindicem. Quandòque ergo inuisa lux, per quàm visuntur omnia, & ipsa fœda cum dedecore. Quàm inuisa pariter sit lex, aduertit Bias apud Plutarchum: *Optima ciuitas est*, dicens, *in quà omnes legem non minùs, quàm Tyrannum timent*. Iam lex lux apparet vèl cæcis. Et Dux igitur in tot huiusce vitæ anfractibus, ne errent mortales; per tot decliuia humanarum cupiditatum, ne ruant. Nam quid aliud est, quòd vulgò lumen rationis appellant, nisi lex quædam ab cælesti Opifice vnicuique hominum indita, qua duce & certum ad felicitatem iter tenere, & offendicula cupiditatum; abruptaquè criminum declinare tutò possint? Sensit hanc

legem,

legem, qui sanctiorem aliam non meruit Latinus Orator, cùm docuit, *peccare est tamquàm transire lineas*. Ecquas, dico, lineas, nisi regulas viæ, & margines, quibus tuum contineas gressum, ne hùc, illùcque deflectat? Lineas, quibus alludens lyricus Vates heroicè, id est seriò cecinit.

Est motus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos vltra citraque nequit consistere rectum.

Quid? adhucnè quæritis orationi meæ firmamentum? Bisquæsiti propositi altera pars alteram plùs satis firmat. Exlex, nox, nex. Tolle è medio legem, lucem tollis, inuehis noctem. Tolle è Ciuitate præsidium legum, vitam Ciuium tollis, necem inducis, & feralem omnium bonorum euersionem. Loquantur hic extinctæ Respublicæ, si modò post cineres vsuram loquelæ retinent (quamquàm & luctus earum locutio vocalis est, & næniæ quæstus, & funus præco, & bustum subnascentis perenniter famæ infelicis cunabulum, & ipse denique casus monumentum tristissimi fati, ad eruditionem posterorum sempiternam). Sed tamen loquantur pro ijs Annales ab exordio rerum, per quos nihil frequentius, nihil familiarius occurrit, legendumnè dicam, an lugendum? Nam lusus ille Agidis senis de inuersione Spartanæ Reipublicæ ad seniorem quendam deplorantem persimilis certè fuit Sardoniorum ritui prosequentium risu funera parentum. *Res igitur*, ait ille, *rectò ordine procedunt. Siquidem ego puerà Patre audiui iam tùm illis temporibus, quòd res inuerterentur. Ita si rursus nunc inuertuntur, redierunt in locum pristinum.* Hic, inquam, lusus quis neget testimonium extitisse Patriæ deploratæ, cuius bonis legibus, institutisque abrogatis deteriora semper succedentia extremum labanti Reipublicæ fatum consciscebant? Ecqua igitur exlegi Ciuitati horrentior nox? ecqua infandior nex? Habetis itaque probatum Bisquæsitum. Sed iam acuamus ad apices subtiliores ingenia, & Iuris nonnullas Theses in medio mox ponendas agitemus.

GRATIÆ.

Agere pro acceptis beneficijs gratias humana iubet *lex*, Naturæ dictat *lux*, Ratio demonstrat *Dux*. Egonè indisertus patiar in beneficentiam vestram hodiernam videri *Exlex*? Præsertim cùm nulla mihi claritatem meriti vestri obscurare possit ignorantiæ *Nox*, nec vlla magnitudinem deterere obliuionis *Nex*. Gratus igitur contendam esse, etsi parùm gratus. Sic similes Præfationi gratias Bisquæsitum perfecerit.

IVS

IVS CIVILE.

In Exordio annuæ interpretationis Legum Ciuilium in Pisanæ Sapientiæ.

EMergo è Cymmerijs antris in Solem (N. N. N.) & quamquàm mihi ad serenitatem istam purissimæ lucis beetur animus, acies tamen oculorum perpetuis assueta tenebris anxiè perstringitur, & mentis delicias infelici perturbat successu. Nam quid ausit ingeniolum meum vèl inter infimæ notæ obscurissimum prodere se se in Cælum Pisanæ Sapientiæ, tot tantisque luminibus ingeniorum fulgentissimum? Verùm tamen, & qui meis me natiuis euocat ex vmbris Moderator summus huiusce Cæli Serenissimus Magnus Dux, & qui nutu suo proximè excitat, impresso quasi motu Intelligentia cælestis, Illustrissimus Zatus; iubent nunc refugientem gressum sistere, atque in oblata benignitate lucis, quales quales mentis meæ oculos continere. Quæ verò ista lux est, nisi lex, & ipsa quidem Ciuilis, ad quàm opera mea, etsi plùs multò imbecillis, intenditur? Salue, Orientis Solis filja, fugatrix vmbrarum, formarum obstetrix, boni, pulchrique parens. Quis enim te diris impetet, nisi consimilis pelle animi, & noctis germanus, Æthiops? Nos ergo te salutabundi excipimus, qui communem generis nostri salutem acceptam tibi ferimus. Ita porrò est, Auditores. Non meliùs Diuinitatem suam perspectam mortalibus facit Lex, quàm si paululùm per nos immutata voce Lux appelletur. Non patitur ferinam conditionem homo, domandis feris, ac subigendis natus. Illæ, vt videtis, exacto mox officio prolis educandæ, vt sibi natæ sunt, ita soliuagæ noctem amant, horrorem vmbrarum expetunt, spelæa cæca hospitalia sibi faciunt; sua inimicitijs alunt fœdera; pacem perpetuis in armis, in insidijs, in congressibus habent positam; nihil denique illis ordinatum capit, nihil tranquillum; ignaris quippè omnis concordiæ, incapacibus felicitatis. Neque mirum. Eam illæ sortiuntur animam, quæ occidente vita corporis sempiternas in tenebras abit corruptionis. Quid homo? Cæli particula à quibusdam putatus, non nisi lucem appetit, & eam sua quasi cunabula in amoribus habet? Elucidabo meum dictum. Amator lucis homo, societatis proindè studiosus nascitur; in fœdere, in concordia felicitatem vitæ nanciscitur. Itaque summa rei nostræ in stabilienda

lienda Ciuitate, muniendaque republica sita esse conuincitur. Præclarè verò hominem Genus Dei prædicauit Aratus, Semen Diuinum Ouidius, aliud alij, à quibus supersedeo, sed omnibus præclariùs Moses, ad Dei Imaginem, ad similitudinem factum, nisi Deo ipso dictante tradidisset, exaggerasse poëticè videri posset. Ergo, vt in Diuinis stat æterno vnius naturæ fœdere inter personas firmatum beatitatis regnum; Ita in humanis quando hinc genus nostrum ipsi trahimus, quando tali ex semine procreamur, quando ex eo prototypo imaginem ducimus, consimilesque facti cognoscimur, non aliundè profectò fas est beatitatem vitæ petere, quàm ex multorum in vnum vitæ statum consensu, certa quadam & firma ratione stabilito. Atque hanc esse, quæ Ciuitas dicitur, quis non videt? Ciuitas dico, quasi Ciuium vnitas, & ad vnum finem, hominum multorum conspiratio. Hanc verò vnitatem, hanc conspirationem ad vnum, quid nisi nexus quidam arctus perficiet, vndè & refractarij in officium cogantur, & sequaces fructum felicitatis percipiant? Hic porrò nexus nil præterquàm Lex Ciuilis habetur, quæ duplici cardine iustitiæ nixa, dum præmia bonis, supplicia malis præscribit Ciuibus, Ciues in officio præclarè continet, virtutes alit, scelera proscribit, meram felicitatis celeri gressu tangendam proponit. Da mihi Mundum, cui Lux affulgeat, omnia tibi protinus, quæ exhorreas deformia; omnia, quæ sectere pulchra, indicabo. Da mihi Ciuitatem, da Rempublicam, in qua Leges vigeant, nonnè ita ordinata omnia conspicies ad vitæ splendorem, inscium feritatis, dignum homine? nonne & suam virtutibus æstimationem, & vitijs dedecus; artibus item bonis, ac disciplinis cultum, ocio, ac libidini terrorem; maioribus reuerentiam, æqualibus fidem, subditis æquitatem, diuitibus modestiam, Magistratibus obsequium, Numini Conditori pietatem, religionemque conseruatam videbis? Itaque sicut sublata Mundo luce, rebus omnibus nitor, & pulchritudo subtrahitur; ita, si generi hominum sustuleris Leges, omnem illico decorem, omnem dignitatem sublatam miraberis; immanitatem humanitati, barbariem cultui, horrorem splendori substitutum deflebis. In hac luce quæ sit felicitas Medicæi Imperij, vbi nimirùm Astræa dominatur, cernere fas est, & quæ contrà nationum barbararum infelicitas, quibus loco legis libido est. In hac luce patent, quæ digna sint omnium oculis facinora, quæque visu fœda, & auditu. In hac luce constituto circumferre licèt oculos, & plerosque

mortalium exLeges intuenti promptum est in illud Ouidianum erumpere.

Proh Superi, quantum mortalia pectora cæcæ
Noctis habent?

Sed vos apagite noctem, quæ alias nationum obtinet Etruscæ nostræ antipodas. Nobiscum interim quàm faustè agitur? quàm fortunatè? qui diem nullis temerandum tenebris in tanto cultu Legum Ciuilium habemus perpetuum. Nec enim occidere Lux ista potest, quæ tam claris luminibus sapientiæ innutritur. Quæ verò ista lumina (dicet quispiam)? An (dicam ego) de Sole disputabit, vtrùm fulgeat; aut in eius meridiano fulgore lucem exquiret, vt ille accensa lucerna hominem in foro per meridiem? Nam quis non Pisanæ Sapientiæ lucem toto orbe conspicuam in Serenissimum Magnum Ducem, atque eius Serenissimum germanum Leopoldum tanquàm orientem suum referat, quibus auctoribus, ac patronis non ego solùm vix Noctilucæ comparatus, sed vos quoque Collegæ, clarissima sidera, Luciferi quàm simillima splendorem, ac dignitatem doctoralis cathedræ ostentatis. Quis autem nisi planè cæcus fulgorem tuum dissimulet, Illustrissime Zate, quem & ab optima primùm in omnibus liberalibus disciplinis institutione, & postmodùm à grauissima prouincia pro Serenissimo Magno Duce in Principe Orbis Republica Veneta multos per annos egregiè citra exemplum administrata, tam multis radiantem meritis ad horum omnium Sapientum coronam, ad gloriam, ad decus immortale suspicimus? Verùm quia non valet hic ampliùs imbecillis acies oculorum meorum tantæ Lucis radios sustinere. Dixi.

IVS CIVILE.

Cùm cathedram Iuris primùm subiret N. N.

SI quando placitum illud eruditorum, de tuenda fabularum dignitate, ac sanctitudine contra imperitorum calumnias, ac sciolorum petulantiam, fide omni, ac veneratione dignum putaui; tùm maximè pronus adoraui, cùm in ea, quæ de Apolline comminiscuntur lepidè prisci homines, nescio, quo bono meo fato nuper incurri (Illustrissime Præsul, Amplissimi Patres, Ornatissimi Iuuenes). Neque enim rugoso è cortice pretium rerum esse petendum, neque rudes gemmas, scabrasque conchas

conchas oblata extrinsecùs specie nisi infantes, aut insani mente dijudicant; sed sub inuolucris quidem fabellarum studiosè introspicimus, quæ belle latitat, vulgi negata oculis, ad benè instituendam vitam comparata sapientia: Quàm vt religiosiùs mortlium genus coleret sub confictæ narrationis velaminibus, quasi sacram rem, diuinitùs acceptam, omniumque votis dignissimam veteres illi morum magistri condiderunt. An verò opportunius aliud argumentum ad hanc recentem prouinciam ineundam suppeditare mihi sidera poterant? Nunc enimuerò oculatam à me fidem exiget Princeps Philosophorum naturalium Plinius, qui semina rerum, quæ passim progignuntur in hac infima parte terrarum, è sublimi illa regione, atque ex Astris, Cælestes nempè particulas, demitti ad nos decreuit, nihil vt vnquàm hic prouenire contingat siue elementorum concursu perfectum, seu ad speciem conseruandam vegetum, seu ad vsum sensuum, ac vitæ rationem animatum, quòd non illic, vt in seminario vberrimo viuidum legatur. Nam cui homini inopinanti, eidemque immerenti Cæli clementia honestissimam hanc Cathedram destinabat, simul eius animo maturè refricauit fabulosum poëtis Apollinem; & vehementiore quadam illecebra totam in ea cogitatione mentem absorbuit, vt iam dissimulare nequaquàm potuerim, læua nunc demùm in me sidera, & solito benigniora, magnum aliquod mihi fortunando moliri. Est namque (quis nesciat?) est satis Apollo vnus numeris sapientiæ omnibus Mundo tradendis: Vnus ipse Philosophantium paginas omnes exhaurit, vnus præcepta omnia ad beatam in terris vitam agendam perstringit. Non is quidem considerandus hodierna concione offertur mihi, quà fertur, Macrobio teste, Auctor carminis: habent hanc partem in hoc lyceo celeberrimo, nec sine dignitate sustinent, qui amœniores tractant intra Musarum sacraria literas: Neque quà Præses habetur vaticinij; Diuinarum Literarum interpretibus id committitur, quorum hic non tam dogmata, quàm oracula quotidiè audiuntur: Neque minùs quà præcelluit sagittandi peritia; Dialecticorum quippè est ea meditatio, vt argumenta sua (quòd sanè feliciùs voto hìc præstant) quasi tela in album veritatis certò iactu contorqueant. Non denique, quà Medicinæ Artis Deus habitus: Cui non desunt sui flamines in hoc ipso sapientiæ Templo, sacris Hecatumbis religiosè intenti: Verùm hoc magis, quà lyram tractat, & chordas vocales ad harmoniam mellitissimè pulsat; hoc est, quà Legibus Orbem temperat, & rebus omnibus

iura præſcribit. Iam videtis, Viri ſapientes, præiudicatum illi cauſæ eſſe, quæ Medicinæ inter, & Iuris profeſſores olim feruebat; Vtra illarum præcelleret dignitate. O factum benè: Mirum enim in modùm conciliatæ ſunt partes; ſed compoſita lis ad pacem conſenſionemque ſempiternam; Quandoquidem Deus idem vtriuſque partis decernitur Auctor: Apollo idem Medicinæ, ac Legum Præſes edicitur. Quare cùm vno ab Numine pendeant ambæ, iam dignitate aut neutra vincitur, aut certè vtraque vincit. Quamquàm quid ego? quid laudes Legumlatoris tam breuibus terminis circumſcripſero? Quaſi, quæ Apollinem lineamenta confingunt, non omnia ad legum earumdem redundent gloriam. Vna inquam Legum adminiſtrandarum ratio decora vniuerſa complectitur, & ex reliquorum ſtudiorum ornamentis pulcherrimum ſibi adornat triumphum. Nam quòd ducat Muſarum choreas Apollo, & modos ſingulis præſcribit carminum, fundari, ac foueri religionem, & cultum ſacrorum vbi illa ſolemniter immiſcentur per ſacros ipſos Canonas, qui Legum Principatum tenent, tam eſt omnibus exploratum, quàm quòd exploratiſſimum. Vaticinijs autem præeſſe quis poteſt dignius, quàm legum oracula diſpenſans in populos ſuos Princeps, è quibus religiosè obſeruatis vaticinari ſibi Ciuitas non dubio ſucceſſu, aut fallaci oraculo felicitatem poteſt. Cui verò iuſtius ſagittas, ac tela attribuimus, quàm armandæ Legislatoris dexteræ in impios iuſtitiæ deſertores? Vt ne propterea putetis, inſtructum ſagittis Apollinem apud inferos temerè locatum à priſcis fuiſſe: Scilicet vbi ſedes torquendorum ſontium inter cæcos horrores ſempiternæ noctis ex verò diſciplinæ Chriſtianæ placito decreta fuit. At vna (dicet aliquis) ratio Medicinæ qnonam pacto cùm Legibus conſpiret, non video: quid enim cum animi conditione tam pugnat, quàm Corpus. Quid membris concretis commune cum puro ſpiritu? Atqui Legislatoris opera cultum intendit animorum; Medicorum autem cura circa corpora diſtinetur. Itane? Bellè tu quidem. Sed quòd ex tam diuerſis, atque adeò aduerſis, atque pugnantibus rebus vnum tamen in Natura, ac totum conflatur, quem hominem dicimus; non ineptè propterea idem vnus exiſtet Corporis formatur, & Animi, Auctor Legum; Medicinæ ſimul laureà, & Iuris inſignis; denique, Apollo vnà fidicen, & Medicus. Quid? Conſulite (ſi lubet) Sacros vates, & poſitis parumper Ethnicorum fabulis quærite oracula ſacroſancta, quibus nec vlla ſubeſſe fallacia poteſt, nec ſententiæ diſtorta

cadere

cadere interpretatio. An non ille requisitus, vti Princeps esset, Non sum ego (respondit) Medicus? ita quòd se impotentem Medicinæ cognosceret, Principale sceptrum, & Iustitiæ administrandæ prouinciam recusandam putauit. Meliorem, enimuerò Medicum Mundus non sentit, quàm qui animi morbis, grauissimis licèt, medetur, hinc præmijs propositis, illinc supplicijs, quibus, & contumaciam Ciuium facilè frangat, & excutiat segnitiem; illos à scelere frænet, hos ad benefactorum extimulet gloriam, vtrosque præsenti ope seruet, ac sospitet. Est planè, est arctus inter vtramque portionem nostram nexus, vsque adeò, vt vice alterna neque curare mentem insanam valeas, ni corpori propines pharmaca; neu corpori laboranti morbum detegere, ni animum castiges, adhibitis Legum remedijs. Rapit me tamen (fateor) illius lyræ concentus, quæ vt alia decora, hominis mortalis conditionem fortasse non dedignantur; sic illud planè Deum arguit, & Numinis immortales præsentiam testatam facit. Cernite (quæso) quàm amœnis figmentis veteres contegant veritatem; quàm sanctè opera Diuinitatis obtrudant, vel obessis ingenijs capienda. Tenet Apollo noster Cæli medium, & lyram pulsat: Vt ex concordia illa diuersarum fidium intelligas (aiunt Mystæ) harmoniam cælestium orbium ex illius Numinis nutu existere. Quid autem hoc dicto volebant sibi, nisi vt gloriam Dei præ cæteris maximam ex huius Vniuersi opere prædicarent, condendo dicam, an conseruando? Est certè vtrumque paris virtutis, ac Deo propriæ: denique conseruatio ipsa Mundi quid nisi continuata molitio est? Condat igitur hunc Orbem Deus, conseruet conditum, quàm non modò immensa vis, sed etiam mira modulatio? Tot contrarijs compactum partibus vnum corpus, membris ita diuersis coalescens tanta moles, motibus omninò aduersis concinnatus vniuersæ naturæ cursus, Cælis, Elementis, leuibus, grauibus; rectis, obliquis; sublimibus, imis; velocibus, tardis; liquidis, concretis, & quæ sunt aliæ myriades pugnantium inter se rerum, in huius Apollineæ Lyræ harmonia, in fidium discordantium concordia mira continentur. O vestram, Legumlatores, gloriam Deo dignam. Non iam quòd ego partes materiatæ huius Molis temperandæ vobis arrogem, quòd æquè ineptum foret ac impium; sed quòd laudem quodammodò æmulam Diuinitatis vindicare ipsi videamini, In Mundi alterius, id est hominis regimine, adeòque in multitudine hominum confertissima vnam in Ciuitatem confluente Legum

vestra-

veſtrarum præſidio moderanda ad concentum quendam mirabilem Vniuerſi perſimilem. Et quemadmodùm vt Mundi ipſius mundiciem clariùs intuendam demus mortalium oculis, quibus ex vſu admirabilitas rerum Diuinarum obſoleſcit, illius rudimenta, quæ initio rerum fuiſſe deſcribuntur, ſolemus ob oculos ponere, quo demùm indigeſtæ illius maſſæ tetra facies, & horrens chaos, digeſtæ poſtmodùm magiſterio Dei, & in hanc rerum pulcherrimarum quaſi panegyrim compoſitæ elegantiam, ac nitorem magis commendet. (Ouid. 1. metamorph.).

Ante mare, & terras, & quòd tegit omnia Cœlum,
Vnus erat toto Naturæ vultus in Orbe
Quem dixere chaos, rudis indigeſtaque moles:
Nec quicquam niſi pondus iners, congeſtaque eodem
Non benè iunctarum diſcordia ſemina rerum:
Nullus adhuc Mundo præbebat lumina Titan,
Nec noua creſcendo reparabat cornua Phœbe,
Nec circumfuſo pendebat in aëre tellus
Ponderibus librata ſuis, nec brachia longo
Margine terrarum porrexerat Amphitrite.
Quàque erat & Tellus, illic & Pontus, & Aër
Sic erat inſtabilis tellus, innabilis vnda,
Lucis egens aër; nulli ſua forma manebat,
Obſtabatque alijs aliud, quia corpore in vno
Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,
Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.
Hanc Deus, & melior litem Natura diremit.

Id ipſum planè in rem noſtram Auditores. Cernite primùm chaos; ſi ſpecies Mundi quanta pòſt enituit, conſpicari cupitis: Cernite (inquam) mentis acie deſtitutam iuribus, ac inſtitutis turbam populorum, & quàm exhorrendum præſeferat chaos, & ſaltum potiùs frementium beſtiarum, ſi auetis ordinatæ poſtmodùm Ciuitatis, & Legum Diuinarum humanarumque præſidijs communitæ concordiam felicitatemque æſtimare. Næ mihi hinc rurſus à capite ordienda oratio foret, tàm latus patefcit campus in Legum ſanctitudinem, ac momentum amplificandum. Sed vetat dicentis conditio, ne videar eruditiſſimos ab omni notitia hiſtoriarum viros, admonere de tot Regnorum, ac Ciuitatum fortuna ex Legum, ſiue ſtudio ſiue neglectu promiſcuè memoranda: Neque verò eſt, cur ſtudium tam validi In Republica præſidij cuiquam veſtrum, Auditores, inculcem, quos

quos partim in eo emeritos, atque adeò grauiſſimos Iuris præſides agnoſco, & veneror, partim adoleſcentes eius iam ſacris initiatos, impensèque deditos dum diſpicio, ſimul gratulor, & meam hanc quantulamcumque operam, ne meo muneri potiùs deeſſe videar, quàm vt ea indigere vos putem, promptiſſimam, paratiſſimamque exhibeo. Reliquum eſt, quòd & primùm apud me fuit, & ſemper antiquum erit, vt tibi, Illuſtriſſime Præſul, & qui me cumque veſtrum commendatione ſua apud Sereniſſimum Magnum Ducem ad hunc meritis meis oppidò ſuperiorem gradum prouexere, gratias pares, quas negat agere impar facultas, & infanti ſimillima oratio; habere ſe certè animus profiteatur, nullo annorum curriculo, nullo ſenio temporum exoleturas. Dixi.

IVS CIVILE.

Pro cathedra Doctorali.

VEreor, ne ſæculum illud vetus repræſentem vobis (N. N.) quòd ſanè ſeculum triſti quadam impreſſione dominantis ſupernè Mercurij, tulit ingenij monſtrum turbidi planè, ac refractarij, Philolaum illum Pythagoricum; à quo primùm excogitata eſſe fertur, & euulgata ſententia, de Terræ elemento in Orbem ſe ſe mouentis, deque ſiderum quiete perpetua. Scilicet feriari ille voluit à motu irrequietos à Natura Orbes Cælorum; oſcitari ab otio, ac ſomno peruigiles eas, quas Peripatheticus vocat, Intelligentias, quæ ſupernos Orbes ſin minùs ad vitam informant, ad motum certè, harmoniamque Vniuerſi conſtituendam cient. Contrà verò inanimi terræ globo, & bruto ponderi, ad inertiam, ad otium nato, Et mentem, & motum, & negocium inuerſo rerum ordine, perturbatis Naturæ Legibus tribuere non veretur. Haud ſecus iudicauerit facilè, quiſquis me hodierna luce in hanc Doctoris ſedem euectum viderit: Quiſquis abiectos ad torporem non paucos æquales annis meos, meritis ſuperiores iuuenes egregios: me verò ad hoc negocium honeſtiſſimum, & ſingulari munificentia Principis, & mira conſenſione Collegarum aſſumptum plauſus veſtros hodiè excipientem non ſine inuidia aduerterit. Atque illi quidem intelligentia, conſpicui, mente vegeti, naturæ dotibus copioſi, Cælo nimirùm quàm ſimillimi, quidni iuberentur in hac ſapientiæ vniuerſitate ad harmoniam concurrere, nec tam oculis ſtudio-

forum

ſorum auidiſſimis ſpectaculum iucundum facere, quàm auribus concentum? Ego verò inſtar pigerrimi elementorum cogor tamen, etſi non ingratè, vrgere memet ad motum iſtiuſmodi glorioſum, quemadmodùm ſupra naturam ingenioli mei, ſic ſupra meritum: iure mihi exprobrari poſſit, quòd Iuſtiniano quondam Cæſari, qui literatorum patrocinium affectans, adeò literarum expers ipſe erat, vt vulgò cognomentum Analphabeti colligeret. Ac Philolaus quidem licèt è priſcis Philoſophis nonnullos, nec è recentibus paucos auxiliares habeat, primipilumque ſuum agnoſcat Copernicum, Aſtronomicæ palmæ affectantiſſimum, vèl vno tamen aduerſario Ariſtotele triumphatur tantùmdem à Phyſicis exſibilatus, quantùm ab aſtronomis communi plauſu comitatus. Vſque adeò, vt transfugas non paucos numerare poſſit Copernicus à ſua fide, non ex vecordia quidem, ſed ex conſcientia veritatis ad Ariſtotelicas partes traductos. Stat igitur librata in Mundi Centro Terra, quieſcit placidè in gremio Vniuerſi, dum ſuo continenti motu Orbes Cæleſtes, dum labore perenni, dum ſtudio infatigato depluentes vndique ſuis muneribus quietem ipſi Terræ, opulentiamque conſeruant. Sic etiam ſe res habet in Mundo politico. Stat vulgus, elementum velut ignobilius, & obſcurius. Mouentur circùm Primates, & Principes, portio Reipublicæ nobilior, & Illuſtrior. Quàm verò collucent hi aſtris virtutum? quas præſeferunt faces clariſſimorum nominum? Sed ſi hoſce Cælos tam conſpicuos, tam lucentes iuſſeris cùm Copernico requieſcere, nonnè harmoniam omnem è Ciuitate ſuſtuleris? Si vulgum moueri atque adeò admoueri clauo publicæ gubernationis volueris, exſibilaberis tu velut amens, ſed iſtius protinus amentiæ luet pœnas perturbata, & ſuis euulſa cardinibus Reſpublica. Itaque ſteterit vulgus, neceſſe eſt, Principi ſubiectum, atque eius quodammodò in amplexu regiminis otioſum. Vigilabit interim inſtar ſiderei Cæli Princeps, voluit continenter in ſua mente conſilia, quibus leges optimas influat in hanc terram, eamque pacatè excipientem fouebit ad omnem tranquillitatem, fœcundabit ad omnium gloriam virtutum, ad omnes delicias. Hoc vti clariùs nobis fiat, Viri Auditores, intendamus (ſi placet) mentem in illam defectionem maximorum planetarum, quàm Græci Ecclypſim vocant. Enimuerò ſi Solis, aut Lunæ radij tantiſper ſubtrahantur terræ, quanta huic illico damna, quanta pernicies? Lethale vulnus inflictum dixeritis, adeò illa morula ſubtracti cum radijs beneficij viduatam reddit, ac omni

ſua

ſua felicitate deſtitutam terram. Heu miſeram Ciuitatem, quàm malorum artibus, quaſi thedis furiarum ardentibus agitata excutit à ceruice iugum per Legiſlatores impoſitum! Ius abdicat Sacroſanctum, patrum patriæ conſulta negligit, ſanctiones Principum proculcat; Legum denique præſidium quaſi peſtem, ac perniciem procul habet. Ecquid enim effecerit, ſe ipſo vulgus indomitus, & fræni neſcius? quomodò curſum multitudinis certùm per iter felicitatis direxerit? Pudet hoc loco recitare ex antiquis, vbi ſuggeritur per ſæculum noſtrum eò luculentior, quò triſtior ſucceſſus. Intuemini Neapolitanorum tumultum recentiſſimum. O te cæteroqui florentiſſimam, ſed ſpectaculo tragico funeſtatam maximè, atque omnis poſteritatis digniſſimam commiſeratione Parthenopem. Heu facinus. Tædebatnè te Hiſpanici Imperij, vti luctuoſa tyrannide te redimeres? faſtidiebas Monarcham Auſtriacum in te dominari, vt fæcem vulgi, neſcio quemſiuuenculum, ſola dementia infanda celebrem ſubſtitueres Regnatorem? Putebat tibi pax aurea, qua diutiùs iam fruebare, cùm inteſtinis tumultibus per turbulentiſſimum bellum quæritares pacem ferream, in qua non niſi Ciuium tuorum internecione requieſceres? Thomas ille Agnellius, veriùs dicam Leoninus? Proh turpe, atque obſcænum caput, nonnè corpus totum deuouit ferro, ac fato, quia motum cæleſtem dominationis appetijt, quia quietem ſuam terrenam, imò lutulentam violauit? Annè minore flagitio Terra vniuerſa in Cælum coniurabit, motum illius ſibi vendicans, quàm filij terræ gigantes in Cælum quondam arma tulerint? Deprimetur paucorum ſuperbia tonantis deſuper Numinis intorto fulmine. Generis autem vniuerſitas impunè furere permittetur? Ecce ad exemplum poſterorum vno ipſo tempore è domino captiuus mortis effectus Thomas Agnellius: Vno gradu è ſolio ad ſupplicium migrat: acclamatur à plebe Rex, à Regijs glande appetitur; Torquem in Laqueum, in manicas ferreas aureos annulos; gemmas in plagas, vt inſignia vſurpatæ per nefas dominationis debito ſingulis ſupplicio compenſet, inſtar ſcænæ verſatilis repente commutauit, quò clauſulam inſtitutæ fabulæ breuiſſimo quidem actu mox referret. At, inquit, reclamans hic cum ſuis Copernicus. In motu terræ, ſaluæ fiunt omnes omninò apparentiæ cæleſtes. Quidni ergo ſe ipſe vulgus rexerit ſubtractus Legibus optimatum, & Principum? Digna mehercule vulgo ſententia, qui ſuum in rebus momentum minimè pendit, ſolam æſtimat (vt ipſe vocat) ap-

 paren-

parentiam; vt vndè illicijs politici fastus capitur sensus plebeculæ, ibi statuit prudentiæ cardines, imperijque stabilimen sibi confingit. Speciem certè prudentiæ, non prudentiam ipsam teneat, consequens fuerit: factum affectauerit, non astum politicum: picturam inanem, simulacrum mutum, laruam inanimem, simium ridiculum Regis exhibuerit, non Regem optimum: neque quomodò gentes contineat, reputauerit, sed se se quomodò iactet: intemperantiæ seruierit suæ, non vti subditos temperet, studuerit: denique non publicam salutem artes eius intenderint, sed priuatam gloriam. O iniquè tracta Principis lineamenta. O spectrum humanis oculis execrandum. Mitto perquàm breuissimum cursum fore istiusmodi principatus, qui vulgi insaniam amat posthabita sapientia optimatum. Non itaque habitura est Ciuitas Regem, sed spectatura in breui actu fabulæ sub Regia persona hominem sordidum, deposita mox purpura conductitia, redditoque locatoribus sceptro, ac diademate, suis tandem sordibus pristinis, hoc est sibi ipsi, restitutum. Qualem porrò exitum habebit tam malis auibus capessita Respublica, nisi cum Republica ipsa, impij quoque Capitis extremam perniciem: nisi illum ipsum, quem habuit Thomas Agnellius, quemque habitura fuerat malè auspicata Parthenope, ni consilio Hispanorum armata stitisset valenter præcipitantis sese fortunæ rotam, ne tantùm incendium æternis Europam vniuersam flammis latiùs deuastaret. Quare Legum impia violatio concussit florentissimum Regnum, penèque compulit ad ruinam: Legumque restitutio in gradum pristinum reparauit. Armis munita, non Legibus Plebs consciuit cladem Reipublicæ: munitis armorum præsidio Legibus Rex ab casu, ab iniuria Rempublicam vindicauit. Quàm ergo beata Ciuitas, quàm florens, quandiù Leges ex Legitimo Principe acceptas tuebitur? quandiù Legum Interpretes, ac Doctores, quò certiùs, & sanctiùs tueatur, coluerit? Non ego tamen quidquàm mihi hac oratione arrogo, Viri Auditores, quòd in hanc sedem tantula in ætate, ac penè impuber assumptus fuerim. Neque enim id meritò meò, sed aliena beneficentia contingit. Non quòd præclarum aliquod specimen ingenij, ac literaturæ præbuerim, qui, vt potiùs promererer, oblatam fuisse mihi hoc anno materiem, satis intelligo. Ergo si quid à me non indignum tanto honore manauerit, id totum merito illorum, quibus honorem ipsum acceptum fero, palam à me tribuetur. Si audientiam vestram (Iuuenes egregij) consequar,

sequar, vestræ illam humanitatis, beneficentiæ, virtutis per me æternùm celebrandæ argumentum putabo. Dixi.

IVS CIVILE.

Habita Pisis ante disputationem.

SOlemnem illam proloquendi consuetudinem ad ea quæ vel tractanda postmodùm offeruntur ex cathedra Annali, vel in conuentu studiosorum argumentis obiectis sustinenda; video superuacaneam censeri meritò posse in hac ipsa per me suscepta prouincia (N. N.). Nam cum hoc dicendi genus non exponendo solùm argumento, sed conciliandæ quoque auctoritati, dignitate proposita, sit institutum; quid est, quamobrem ego in eo negotio quidquam laborem, cùm & studium meum Legibus antehac impensum, & Legum earumdem Diuinam præcellentiam perspectissimè cognoscatis? Quis enim non dico vestri similium, qui in tanta luce versantes dissimulare fulgorem non valetis, sed hominum cuiuscumque conditionis, qui tamen humanitatem redoleant, celebre illud ignoret à Demosthene quondam pronunciatum, Legem esse inuentum, ac donum Dei? Non hic Diuinam interpretor Legem, cuius in tabulis lapideis exaratæ lator quidem extitit Deus, promulgator verò Moyses, si modò scriptam loquimur: sin autem naturalem, Deus idem lator, Dei verò vicaria Natura promulgatrix per singulorum mentes mortalium. Verùm humanam mihi volo Legem, atque adeò Cæsaream, quæ summorum capitum consilio, ac sapientia singulari instituta cum sit ad exemplum Diuinæ, complementumque Naturalis; cur non pleno ore inuentum, donumque Dei nuncupetur? Placet nè exemplum istud cum prototypo collatum aspicere? Quasi verò aut indice Sol opus habeat, aut meridiana lucerna Philosophi Cælum, aut conductitia face hæc Orbis moles. Cernitis vel inter caliginem noctis, Cælorum orbes amplissimos, quemadmodùm Intelligentijs præsidibus certa Lege atque stabili Conditor moderetur motu perpetuo, celerrimoque circumactos, auram salutarem, ac vitam inferioribus corporibus infatigata opera instillantes. Cernitis nullo interregno micantia sidera, nullo momento feriantem Solem à cursu prosequendo, à diffundendis in obiecta radijs, à dispensandis in orbem tempestatibus, à sublunarium constanti vicissitudine ministranda. Cernitis infra

Lunam mutabilitatem immutabili Lege perpetuam: Elementorum mutuam pugnam repugnantia concorde stabilitam. Denique (ne multus sim in re peruulgatissima). Cernitis in fabulis veterum scitè depictum Apollinem cum Lyra; vt harmoniam indicent, qua quidem Mundum vniuersum sanctissima temperat Lege Apollo verus, & immortalis. An verò absimilis est ratio Reipublicæ, quàm Princeps Legitimus vulgatis Legibus, placitisque præscriptis per summam iustitiam in summa tranquillitate administrant? Nonnè harmonica ista inprimis est; qua modò fruimur, Hetrusci Imperij felicitas; scilicet ex Apollinis Medicæi Diuina propè prudentia, & planè cælesti consilio? Verùm non est huiusce loci tanta materies. Ego depromptas ex Iure positiones exhibeo vobis, Sapientissimi Auditores, ad studiorum meorum coronidem disputandas.

GRATIÆ.

SI Leges donum Dei sunt, vt ipse proluseram, donum certè fuit vestrùm, Auditores, idque propè Diuinum, quòd Leges ipsas non infeliciter apud vos propugnaui.

IVS CIVILE.

Ante lauream in Collegio Doctorum.

SApientiam, nostræ animam animæ, in notitia, atque obseruantia Legum sitam esse Diuino addiscimus oraculo Deuteronomij. Ex quo memet hominem nunc demùm esse putem, qui Legum curriculum, bono quodam fato initum, prosperè (vt credo) confecerim. Quanquàm beneficij vestri fuerit, Patres sapientissimi, me mihi talem collatis suffragijs comprobare, Ne desipere contingat mihi, vbi cæpisse aliquid sapere, sudati per quinquennium ipsum labores pollicebantur. Certè Ego, & vitam hominis per vos iactare iam potero, & nuncupationem nominis quòd sacro de fonte reportaui, pro dignitate sustinere. Ecquid aliud auribus meis sonat nomen THOMAS (si doctis viris credimus) præterquàm abyssum? Planè abyssus peritia Legum est, ex qua pleno erumpunt alueo inexhausta fluenta sapientiæ. Neque absonat dictum Dauidicum in Psalmis, *Ponens* (inquit) *in thesauris abyssos*; vt propterea iactantiæ, aut arrogantiæ fomitem ministrari mihi nullum sentiam, quoties Thomas appellor, id est abyssus, quandoquidem hæc in

thesau-

thesauris posita dicitur, nimirum, vt Patres interpretantur, in sinu terræ, crassissimi omnium elementi; quale quidem ipse me fateor, inter æquales meos vix numerandus, quæ est crassities ingenij mei, & nobiliores cuiusuis literaturæ inopia. Si quòd ergo specimen sapientiæ hodierna Luce ex me prodibit, acceptum vobis referam, oportebit, qui vestro auspicio, ac fauore sin minùs abyssum plenam, ac redundantem, fonticulum certè, ac stillicidium aliquod in thesauro mentis meæ peranguste reposueritis.

GRATIÆ.

ABysti interpretationem meo in nomine sum præfatus, Patres Amplissimi. Nunc insignibus Doctoralibus, hoc est sapientiæ summis honoribus per vos donatus, tantam profectò gratiam erga vos conceptam habeo, vt nominis mei priùs, quàm beneficij vestri memoria sit apud me peritura. Dixi.

IVS CIVILE.

Ante lauream in Collegio Doctorum, Neapoli.

NE viuam, si mentior (Patres Amplissimi) facie ista Ciuitatis distinctum luminibus Cælum referri. Neue hallucinantis mei ad insolitam lucem existimetis hoc dictum; Relegite (si placet) per vestigia antiquitatis sæculum illud, vota mortalium fugiens, suspiria ciens; illud inquam sæculum ab redundantia officiorum AVREVM appellatum, cuius delapsu corruptelis sexcentis illapsis Astræa minim quantum offensa fertur Cælum repetiuisse, Terras caligine cæca obsitas reliquisse. Iam hic philosophari quis obstet nobis; Leges, quibus hominum mores, ac vita regitur, quædam esse quasi sidera, à quibus suum accipit lumen Politia, suam Principatus gloriam, Respublica felicitatem. An non ergo Cælum æmulari diceretur hæc vestra, in qua Leges ipsæ, quia scitè per vos enucleatæ, sanctè vulgo coluntur, furtunatissima Ciuitas? Idque eò magis, quòd si, vt ferunt, à Sirene ad hanc Vrbem extincta & sepulta, Parthenopes appellationem ea promeruit: cur non & ab Legum Astris, non hic quidem extinctis ex prauitate Ciuium, sed ex innocentia indesinenter fulgentibus, sedes Astrææ, Cælum videlicet nuncupetur? Ergonè Vrbis vestræ celebritas referetur Sireni, quæ suis cantilenis exitium struebat generi hominum, nec potius

tius Astrææ, ex qua vitæ lumen, felicitatis flumen in lares nostros deriuatur? Sed iam excipite, quæ iubeor de Legum materie hodierna mea inauguratione differere.

GRATIÆ.

AD lauream Legalem cùm per Vos (Patres Amplissimi) admissum me video, atque in Cælo ad Astrææ consortium inter tot Collegarum lumina collocatum: pro tanto vtique beneficio in Cælum tollendi essetis gratijs meis: nisi meriti vestri fulgor immensus perexiguum facultatis meæ, atque ingenioli lumen extingueret.

IVS CIVILE.

Ad sententiam in quæstione de inuento Thesauro in agro Emphyteotico cuius sit? Domini vtilis, an directi?

QVòd meam hodierno cœtu sententiam rogatis, Sodales, non tàm gaudendum mihi esse intelligo, propterea quòd adolescens ego numerarius in numerum vestrum disceptantium, hoc est summorum ingeniorum coopter; quàm non mediocriter formidandum, præsagiente conscientia mea exitum expectationi vestræ nullatenùs respondentem. Ita vbi de inuento thesauro in fundo Emphyteotico, quid ipse sentiam, iubeor in medium afferre; vbi vestros in me conuersos oculos, intentas aures, pendentes nescio quo studio animos aduerto, est merito, cur pertimescam; ne, postquàm meam exceperitis orationem, conijciatis in me, loco plausus, & acclamationis vetus illud Adagium à Luciano vsurpatum in Philopseude, videlicet: Tu nobis, qui Thesaurus credebaris, carbones extitisti. Siquidem (vt scitis) carbones in terra defossi terminos agrorum antiquitùs indicabant. Et mea quidem opinio in hocce agro cultissimo Academicorum quid nisi desinat in Carbones obscuri, & ineptientis ingenij, vbi iam vestræ mentes thesauri sunt eruditionis omnigenæ? Vtcunque fuerit, parendum est imperio vestro, & vos tantummodò præmonendi, ne memet ipso maius aliquid expectetis, quàm quòd huiusce ingenioli tenuitas pollicetur. Ergo quòd proposuistis de thesauro, &c. Ita ego censuerim, &c.

IVS CIVILE.

QVòd Psaltes Regius pronuntiauit, signatum esse super nos Mortales lumen Diuini vultus, prorsùm sibi voluisse quis dubitet, Imaginem Dei in nobis, nullis alijs expressam fuisse lineamentis, quàm Lege naturali nostris in animis ad æternæ normam Legis, quæ Deus est, quæque res omnes ad præscriptum finem ordinat, opificio Conditoris inscripta? Atque hoc vnum instar multarum laudum est quæ congeri in studium Legale possint. Sed quantùm illius dignitas hinc extollitur, tantumdem mihi hodierno congressu timorem acuit, eiusce disciplinæ Theoremata defensuro. Quantus enim ipse sim, quaue nota ingenij ad tantam ineundam prouinciam, cùm meæ me conscientia acriter monet, tùm vos, Lectissimi sodales assiduo iam vsu cognouistis: Sed & vos, Sapientissimi Auditores, in ipso limine disceptationis meæ facilè perspicietis; Cùm ab emeritis nouitium impeti, à summis ingenijs rudem tyrunculum tentari aduertetis. Hoc autem vnum valuit reluctantem animum meum cogere, quòd vos, quos propter omnigenam sapientiam quasi oracula Legum ferendarum hæc ætas veneratur, humanitatem, quàm erga me exerceatis, pro Lege habere gloriosum putatis.

GRATIÆ.

QVi ex periculo inscitiæ meæ euadere hinc pudibundus formidabam, abire gloriabundum ne miremini, Auditores. Quippè accepi signatum super me lumen vultus vestri humanissimi, imaginemque tam Diuinæ facilitatis nullo tempore, nullo casu vitiandam gestio præ me ferre.

MEDICINA.

AEnigmati simile est, nec nisi tristi dictatum à Genio id quòd exul Vates effudit secundò de Tristibus, inquiens.
Eripit interdum, modò dat Medicina salutem.
Quid enim? dicet quis. An eadem Ars saluti mortalium nata, saluti ipsi tendiculas ponat? Si quidem oraculo Peripateticorum credimus Metaphys. 2. docenti: *Medendi ars ratio sanitatis est.* Quippè, subijciet hic Plutarchus, *Medicina inter artes liberales elegantia, ornatus, iucunditatis nulla minùs complectitur; magnam verò contemplationem de sanitate, suis studiosis exhibet.* Et

eà

cà (fuſcipiam ego) ſectatur has parses, quà ægritudinem animi, morborum ſemper corporis fomitem, ſæpè fontem hilaritate Medici, lepore, facetijs alleuans mirum in modùm prouehit curationem ægroti. Aliòqui ſubderet non ſine ſale Homerus Iliad. 2. *Medicus garrulus ægrotanti ſecundùs morbus eſt*. Quid, inquam ego, ſi appareat homo è ſchola magis Zenonis, quàm Hippocratis, ſuperciliofus, hiſpidus, macilentus, ore Cymmerijs ex antris aduecto, ſpirante brumam, & Boream, vultu nihil minùs, quàm ſalutem annuncians: Cæterùm in limine ipſo viſitationis exprobrare luxum popinæ; obiurgare intempeſtiuam gancam; aſiteiam indicere; indulgentiam omnem cibo, in potu, in medicaminibus excludere. Heu quàm malè tunc habitus à ſuis Hippocrates! Ita planè. Nulla in Medicinam iniuria maior, quàm à Medicis; quorum ſi frequentas opem, tibi vrges exitium. Audin', vt factum execratur Homerus? *Multorum*, inquiens, *Medicorum viſitatio me perdidit*. Videlicet iubet hic, ille inhibet. Alter autumat atram bilem dominari, flauam alter: Eſt, qui ſanguinem mittendum afferat; qui neget: Alius retundendos morbi primos impetus, alius lentè obſeruandos progreſſus. Pol! vno ſuper morbo, vnà ex arte quàm multa diſſidia? quàm pugnaces ad ſtomachum ſententiæ? Vtrique pugnant in gradu, & ſpecie ſubſidij miſeram homini languenti, cuius de vita contendunt, non ſecùs ac interceptæ bello Vrbi ruinam vtrinque conſciſcunt. Tametſi vnum denique probamus perorante caſu Medicum optimum, noſtraque illi fata committimus. Atque vt in Martiali acie pugnando; ita in Hippocratico puluere quiſquis inter Medicos loquendo maximè pollet, illicò Imperator noſtræ vitæ, cædiſque fit. Cædis noſtræ dico. Quis enim vſu breui non perſpicit, quòd graui dicto prædicauit Plinius ſenior lib. 29. *Diſcunt*, ait, *periculis noſtris, & experimenta per mortes agunt; Medicoque tantùm hominem occidiſſe impunitas eſt*. Et mirantur tantùm odij quondam eſſe conceptum in Medicos, vt tanquàm hoſtes humani generis exulare patrijs tectis cogerentur? Miremur potiùs tantùm Vatem, quantùm nouimus extitiſſe Ouidium, iacturam ſaluris non minùs, quàm adeptionem in eandem ipſam refundere Medicinam. Verùmtamen vindicanda eſt nobis dignitas artis ſanctiſſimæ, quàm profitemur, vt non artem ipſam, ſed Artis (Profeſſores dicam, an potiùs temeratores?) arguere voluiſſe poëtam dicamus: ſimulque coërcenda in nobis ambitio, ne, qui vix limen Templi tetigimus, iam Magiſterium ſacrorum affectemus.

ctemus! Vtinam is esset nostratibus, qui & antiquis olim, sensus modestiæ: Vt, quemadmodum sophi alioquin homines, non se tamen sophos, sed ad summum philosophos, hoc est nequaquàm sapientes, sed sapientiæ dumtaxat amatores profitebantur; ita nos Medicinæ aphorismis conspersos, non Medicos, sed Philomedicos veriore appellatione iactaremus. Video sententiæ meæ vos tacitos acclamare: & reos voti exposcere à me de more positiones aliquot Medicinæ, ex quarum disquisitione possimus eam, quàm deperimus, præcellentissimam facultatem copiosiùs, firmiùsque tenere.

GRATIÆ.

IN contemplatione rei medicæ, quàm in actione errauisse, vt leuior est culpa, ita facilior venia. Præcipuè cùm illic periculum intercedat Ægroti, hic verò Medici. Quamquàm illic periculum lethale est, hic potiùs vtile. Non enim vitæ suæ Medicus, aut dignitati metuit, sed metit ex ipsis erratis, atque ineptijs fructum intelligentiæ, cognitionisque non modicum. Vobis igitur, humanissimi Auditores, quòd me disceptantem iuuistis attentione, ineptientem tolerastis humanitate, & gratias ago quàm maximas, & maiores multò in dies, atque maiores habebo.

MEDICINA.

AEmulam Naturæ Artem lepidè vsurpant plerique, pauci congruenter, si bene rem pendimus, Viri Auditores. Vnius flosculi elegantiam scitè ad verùm quis exprimat, vel penicillo in tabula, vel acu in serico, vel tessellis, segmentisuè in pario, aut lydio: eum protinus assecutum esse artificio ingenium Naturæ dictitat vulgus. Vnius cantilenam auiculæ simulet aliquis, seu affectante hominis ipsius voce, seu inflata ad numeros fistula, seu folle animata tibia ad pulsum digitorum certùm, seu (quòd est ætatis nostræ in primis miraculum) lasciuiente intra nilos fonticulo, atque indè ad exemplum hydrauli spiritum in fabrefactis auium organis ciente, hunc hominem indixisse Naturæ certamen prædicant non sine admiratione; quasi nihil ingeniosi excogitare illa valuerit, quòd non consequi æmulata numeros omnes Ars possit. Hoc, inquam, à vulgo elegantiùs, quàm veriùs. Nisi quis fortè totum Naturæ opificium in externo reponat apparatu, vt sit hæc vniuersitas re-

rum nil nisi scena quædam inanis nostrorum modò corporum sensibus tenendis obiecta, non simul admirabilium rerum facultatibus, atque opibus plenissimum theatrum, mentium nostrarum obtutibus non tàm beandis, quàm præstringendis diuinitùs adapertum. Iam verò germana nuncupatione æmulamnes Naturæ quàm, nisi Medicam artem dicemus? Pace reliquarum artium dictum volo, quarum dignitati nihil propterea detrahi puto, quòd sartæ ac tectæ habentur, si ancillari Naturæ statuerimus, vel etiam comitari pulcherrimis in operibus consummandis. Enimuerò producat Natura; educet productum Medicina. Gignat illa: hæc genitum seruabit. Det illa & sese homini, & hominem sibi: hæc & illam intra suos limites, & hunc intra illius cohibebit. Denique immittat illa vndis ratem humanæ vitæ constructam: hæc ingruentes rati tempestates abiget, fugabit coniurata nubila, secundosque puppi aspirabit Nothos. Ac ne puteris ex meo sensu depromptam hanc esse orationem, atque ex ingenij mei officina prolatam; nonnè veterum sapientum id fuit placitum graphicè expressum, cùm Solem eundem & Apollinem statuissent, illum gignendis animantibus tanquàm naturalium causarum Principem; hunc verò medendis tanquàm Medicæ artis auctorem primùm, ac Numen? Scilicet vno in Theatro Athletas duos committebant Naturam, atque Artem, certamini æmulationis pulcherrimo curiosis ingenijs mortalium exponendo. Sed me quoque etsi imbellem penitus, atque inermem, vrgent nihilominùs palmæ vestræ, Studiosissimi Sodales, vt super re Medica (quando athletica est, & certaminibus nata) congrediar ipse vobiscum in arena, trophæum aliquod mihi, sin minus eruditionis, at certè studij erga principem Artium quæsiturus.

GRATIÆ.

QVàm ex sodalibus æmulis palmam affectabam, vestra mihi dedit humanitas, Viri Sapientissimi: Cùm dimicanti citra puluerem, adhuc tamen fauistis tam patienti attentione, vt hanc ipsam ratus longè nobilissimam palmam, cum sempiterno gratæ in vos memoriæ triumpho areuam deferam.

MEDICINA.

PVngit plerosque scrupulus, & indignabunda quædam miratio, quid sit, cur gemina illa, quæ solet esse permagni in Acade-

Academijs, peritia Iuris, & Medicinæ, sic habeatur, vt hæc illi primatum vbique concedere, sæpè etiam ignobilitatem contrahere, nonnumquàm & exilium subire compellatur, necessaria æquè humano generi, atque neglecta disciplina. Quasi verò honestius sit (inquiunt) ingenium addicere humanis institutis, quàm legibus Naturæ: Quid mortalium insana sæpè dominatio præscribat, intendere; quàm quid Auctoris rerum dictamen sanctissimum. Quasi leuioris sit ponderis iam stabilitas conseruare curatione corporum Ciuitates, quàm stabilire primùm ad sortem iuribus latis. Quid, quòd perperam iura ipsa consulent animis, nisi horum contumacia in leges è corporum ægritudine sæpè fruticans prudenti Medicinæ manu prædicatur? Quid si vnius summi capitis vita fatiscens extremum & legibus ipsis, & publicæ Rei casum minetur? Nonnè totum in arte Medica perfugium est, quæ in salute vnius reparata salutis omnium compendium facit? Illa ego de causa crediderim, Auditores, iacere Medicinam; videlicet non tàm iudicio hominum prauo, quàm sua ipsius sponte, vt, quæ Diuinitati proxima in aliorum commune bonum tota transfunditur, tota occupatur, non Maxima ipsa, sed Optima curans videri, cedens prærogatiua dignitatis, vtilitatis contenta. Quid mihi cum terreno fastu (diceret ipsa) quid cum fœculentæ ambitione gloriolæ? Succurrat, obsecro, vobis è sacris codicibus memoria Raphaelis, vnius è septem summis proceribus Aulæ cælestis, è proximis stipatoribus Diuini throni, Genij immortalis, inuicti, beati, Deo pleni. Nonne is humanam assumens speciem, vti Tobiæ iuniori opem ferret, Medici tandem munus ita decorum duxit celsitudini suæ, vt ad id nomen ipsum Raphaelis, hoc est Medicinæ Dei suo sibi ingenio componeret? Et quidquàm hæc disciplina curabit inter hominum greges honorificè haberi, quæ accipit ab Indigetis honoris vectigal? Vestra iam (sic fatur ipsa) vestra stet vobis, Iurisperiti, prærogatiua. Vestri vobis stent fasces, stet sedes in orchestra. Me verò abiectam iuuat colligere sollicitos gradus ad puluinaria languentium, in marcidis situ cubiculis, in sordentibus cænaculis, inter halitus tetros spirantium cadauerum. Imperatore vos totis gentibus, terris vniuersis. At *Imperatoribus ipsis vna medicina imperat*, inquit Plinius senior. Sat ergo mihi ad triumphum de triumphatoribus triumphare. Et verò (sapientissimi viri) nostra Medicorum dignitas ex abiectione spontanea magis eminet, honorumque neglectus metit segetem honoris copiosiorem. Sed quid

ego plura? Indignum est in re futili syllabas nostras insumere, quas altior nunc prouocat meditatio ad placita quædam Medica mox in medium proferenda.

GRATIAE.

EXcepistis peramanter disputationem meam, Viri ornatissimi. Qui vt profitemini disciplinam ab omni fastu abhorrentem: ita perosi fucum omnem agendarum solemniter gratiarum, grato contenti estis animo, quem ego æternum in vos conseruaturus esse polliceor.

MEDICINA.

NVlla est liberalium disciplinarum ita proprijs Ornamentis locuples: ita diues fulgoribus laudum natiuis, quæ non identidem conductitium præconem, aut laudatorem præcarium sibi conquirat. Testis est inuectus lyceis ille mos, & ab immemorabili Academiarum florentium consensione probatus, vt nemo quisquàm adoriatur publicè de aliqua disciplina vel præcipere Sapientum dogmata, vel in Sapientum consessu disputationem, gratia præsertim studiosæ iuuentutis, instituere, nisi præuiam dictionem adhibeat, qua & disciplinæ perstringat laudes, & discipulorum animos honesti commodique propositione ad obeundos alacriùs literarios labores, ad addendum in curriculo gradum inflammet. Verùm enim verò Medicinam vnam suo se iure eximere cæteris fateatur, necesse est, quisquis notam contemptæ religionis, aut certè pinguioris inscitiæ reformidat. Quis enim vel ignoret, vel neget oraculum è sacris codicibus paratissimum sic habens: *Altissimus creauit de terrà Medicinam: Vir prudens non abhorrebit illam.* Scilicet non eget efferri humanis vocibus Medicina, quæ testimonio subuehitur Altissimi: nec emendicat inter mortales encomia, quæ Deum ipsum immortalem buccinatorem sortita est. O maiorem omni inuidia sortem, Auditores. Altissimum illum, eundemque Deum Optimum maximum, ad quem alia omnis celsitudo deprimitur, dignitas abijcitur omnis, desidit omnis Maiestas, sapientia insanit, languet potentia, sordescunt diuitiæ, putet honor, species marcescit; Deum, inquam, non dedignari Medicinæ se primùm auctorem nuncupare, eius genus vendicare sibi, natales asserere? Nec licèt creauisse referatur de terra Medicinam, quicquàm tamen adimit ipsius dignitati, quemad-

modùm

modùm nec homini terrena moles (veriùs ad facram hiftoriam, limofa corporis moles) Vniuerfi principatum icircò eripit. Quare vna videtur mihi fuiffe fummo Opifici Deo cura condendi fimul è terra hominis, & parandæ Medicinæ; vt illinc effet, vndè is vitam hauriret, hinc, vndè feruaret: Ibi gratiam haberet Naturæ, hic Arti: ambas tamen vni Deo immortali referret acceptas. Quo quid diuinius ad prædicationem? quid magnificentius ad pompam? Cæterarum artium ab hominibus aliæ originem repetunt, aliæ à brutis. Sic à Iubale Mufica, à Pallade Architectonica, ab Atlante Aftrologia, ab Euclide Mathematica, à Chorace ac Tyfia Rhetorica, à Marte Militia, quorum fane auctorum cur nonnullis arrogauit Diuinitatem antiquitas, nifi in gratiam inuentarum artium? Infulsè id prorsùs, ac ridiculè. Siquidem inferendæ Dijs forent & Apes, quòd politicam docuerunt; & Araneæ, quòd Textoriam; &, quòd Oeconomicam, Formicæ. Verùmtamen finibus hominum contineant fe Artes, licebit, quando germanas non pudet recenfere fibi brutorum cunabula. Noftræ verò, Noftræ fuerit Medicinæ Diuinitas in origine, non adfectata illa, fed nata, non quæfita, fed acquifita; non commenta, fed inuenta. Neque enim hominem auctorem facit Deum; fed Deum ipfum iactat auctorem, qui folus vero nomine Diuinitatis cenfetur. Hæc ita cùm fint, quid erit confequens, nifi vt oraculo inhærentes non denegent mortales tantæ arti iuftum pretium: nofque potiffimùm eius cultores frequenti congreffu noftra litemus ingenia, deuoueamus induftriam, fpiritus confecremus. Sic enim habet, vt meminiftis, Oraculum: *Altiffimus creauit de terra Medicinam.* Quid indè? *Vir prudens non abhorrebit illam.* Id quod propofitis modò meis thefibus perbellè factum videbitis.

GRATIÆ.

Est Viri prudentis, ex Diuino oraculo, non abhorrere Medicinam; quàm Altiffimus adinuenit. Vos, Viri Auditores, & Prudentiffimi medicæ difputationi intereffe, & Humaniffimi attendere difputantem ineptè de illa nequaquàm abhorruiftis. Ergo quòd ingratum me veftris auribus gratis audiftis, grato ipfe æternùm in vos animo, nec fine gratijs in præfens recedo.

MEDI-

MEICINA.

MEdicæ Artis dignitas quanta apud hominum genus semper extiterit, testatur luculentissimè, vt nusquàm aliàs, erudita priscorum memoria, quæ illius cunabula, per celebres Græcorum sapientes Diuina referebat. Hinc si causanda sit vlla in parte Ethnicorum superstitio, in hoc facilè, quòd facultatis Diuinæ reueriti Maiestatem, Auctorem Apollinem, illum futurorum Indicem, & Arcanorum Numen statuerunt. Sed & Æsculapium Medicinæ vindicem Apolline ipso iactabant genitum, & Æsculapij filio Hippocrati, artis patriæ illustratori eximio, non nisi Diuinitate delata gratiam tantis meritis parem referre se posse putauerunt. Et verò (arguerit Ethnicus) si auctor Naturæ Deus, cur non eiusdem quoque reparator? Debet homo exordium sui Naturæ, debet Medicinæ progressum. Ab illa vitam, spiritum, sensum haurit: ab hac, vndè labens vita ipsa erigitur, vndè expressus propè spiritus reuocatur, vndè sensus iam fessus, deficiensque reficitur. Ac veluti in amplo, ac magnifico ædificio, quòd edacis temporis longas contumelias neglexerit; siquando demùm succedat vel operis compages laxari, vel luxari lapides, vel rimas fatiscere, vel pronum minari ruinas angulum; ni tempestiuè occurrens architectus, & præmuniat murum, & tigna suffulciat, & cæmenta substituat, breui tota cedens tempori corruet moles; quæque modò exæquabat Improbo iugo montes, vix humi ruderatos tumulos excitabit. Non minùs Reipublicæ opportuna consulit Medicina. Quàm sæpè audiuimus, & vidimus florentes populis, & opibus ciuitates, sapientissimorum Principum communitas legibus, optimorum ciuium institutas exemplis, & vsu trito plurium sæculorum ad æternitatem herclè firmatas, inuadente lue, ac debacchante latè, longèque, penè fato cessisse, nisi per consultissimos viros subsidium Diuinæ artis præstò habuissent, vndè prærepta interitui corpora in longam spem securæ felicitatis corroborarentur? * Quò iustiùs Deorum sedibus inferenda videtur Medicina, hoc est vltra Naturæ terminos collocanda; nimirùm quæ sola potest rapidas remorari præteruolantis temporis rotas? quæ nouit repetentem interdum sua iura Naturam eludere, quæ nos nobis, Reique publicæ, Rem quoque publicam sibi, nobisque seruare. Sed non hìc tantæ artis laudandæ locus. Longè alium ipsa deposcit campum, alium declamatorem,

alia

alia latera, vocem aliam. Tametsi vsu perpetuo, & mirandis in dies periculis humana se dedignari encomia omni vocaliùs oratione profitetur. Exponi itaque mauult per suas assertiones in omnium oculis, se ipsa, vt nata est, nuda, soloque originario cultu ad omnem pompam contenta.

GRATIÆ.

AVdistis superiorem natura Medicinam. Quid reliquum est, nisi vt naturali meæ hebetudini, quæ disputationem hanc grauem reddidit vobis, humanitatis officio, & lenitatis medeamini?

* *Asterisco superiore notatur locus exemplo petendo ex historijs alicuius celebris Medici, cuius virtuti adscribatur Ciuitas aliqua tempore epidemiæ potissimùm seruata.*

MEDICINA.

ARdua disputatione proludo (Viri Clarissimi) & quæ Imbrijs potiùs, Lemnijsque congruat, quàm Megabyzis. Platonem quippè ad censuram cogo; & qui vulgò perfertur oraculum, ne dum arbiter humanorum actuum, nunc dicti reum ante ora vestra constituo, vt sitis tam in illum seueri Iudices, quàm in me faciles. Agitur enim nostra Medicorum communis causa. Agitur (ne irritem Platonicos) ipsiusmet Platonis existimatio: Vt, si dictum eius de Medicis Lydio philosophico probari non potest aureum, quemadmodùm cætera eiusdem omnia; sustineatur quidem certè Pythagoricum, hoc est Platonicis numeris, ac vestra, Patres, acutissima interpretatione non indignum. Sic & Platonis simul, & Medicorum famæ consultum fiet. Hic igitur tertio de Rep. libro sic (vt memineritis) habet *Mendacium concedendum esse Medicis: alijs verò minimè. Medici quippè, vt ægrotantium animos consolentur, promittunt sæpè sanitatem etiam in ipso mortis agone, ne animum despondeant.* Sic ille. Cui verò mortalium non insolens placitum videatur, vt probetur nonnunquàm mendacium Philosopho, cuius instituto non minùs est proposita Veritas, quàm illius germana Sapientia? Et quidem nonnè hic ille est, qui talem exigebat alumnum suum, vt non solùm scholæ disceret, sed vitæ: vt virtuti, ac pietati plus daret, quàm scientiæ: vt illud demùm ceu insigne domesticum præferret odium mendacij, studium veritatis? Ni fortè distractos velimus hoc loco Philosophum, atque

Medi-

Medicum, quos equidem collactaneos, atque adeò consanguineos fateri cogimur; ac diuersis eos quidem, non tamen aduersis studijs innutritos vnam felicitatem, humani generis intendere. Nimirùm ille animi curat morbos: hic verò corporis. Mores ille, hic humores temperat. Ille virtutes excluso inducit vitio, hic valetudinem ægritudine suppressa confirmat. Quid ergo? Amicus Plato (dicet quisque optimus) sed magis amica veritas. Ego verò quomodò veritatem tueri mentiendo quis possit, ac pro mendacio mysterium in Platonis dicto subrogare, non inutiliter, spero, quamquàm indisertè, patefaciam. Primùm igitur recolenda illa est nobis probata eruditis diuisio Propositionis in speculatiuam, & Practicam; vt aliter nos enunciare intelligamus, cùm rem ipsammet existentem; aliter cùm per nos, & quidem ex ipsa nostra existentem enunciatione proferimus. Ibi namque obiectum aliundè iam promptum habemus; hic nobis promendum. Ibi contemplamur; hic molimur. Ibi cognitione sola nitimur; hic simul opere. Denique otiosa quodammodò est illa mentis intentio; hæc verò actuosa. Iam percipitis, Auditores, Platonicum schema; quemadmodùm is assumpta vnius è vulgo persona luserit vsurpatione mendacij, insinuaturus præceptum Medicis multò omnium grauissimum, quò saperet eis magis, lepore illo, ac festiuitate conditum. Quis enim tibi vitio dederit, quòd ex rectæ rationis regula profectum intendis? Aut quis te Medicum mendacem dixerit, alienæ salutis ingeniosum opificem? Mentiantur, licèt, Medici (diceret Plato). Annè quemquàm idcircò circumuenerint? supplantauerint? Imò verò iuuerint maximè ægrotos & citra molestiam ipsorum, & citra dispendium; quæ quidem duo adorandam faciunt Medicinam. Nimirùm efficient hi mendacij specie veritatem suspiratissimam, vt habeant miseri in summa ægritudine summum solatium, vt ne salute desperata desperent, vt in ipso mortis congressu mortem haud sentiant; vt deficientem animam reficiant; vt anhelante spiritu spiritum hauriant; denique vt obruta pene vita instaurent vitæ fomitem. O verò labem mendacij non venialem modò, sed etiam vænalem. O notam auro compungendam, non ferro; omni certè pretio, honestate, delectatione compensandam. Admiramini ipsi quasi nouum commentum? Philosophamini vnà mecum, si lubet; tùm facilè & veritatem dictionis meæ, & diuinitatem ipsius præcepti, non alio digni, quàm Platone conieceritis. Agitedùm. Pronunciet ægroto Medicus austerior fa-

tiscen-

tiscentem vitam, imminentem arte frustrata interitum. Quis ita æneus pectore, vt stet ad impetum talem immotus? Quis compos sui suo de malo, & eo omnium summo non frangatur? Vtinam non nostra interdum Medicorum imprudentia vrgeret laborantibus ipsum fatum. Cùm scilicet totam, quàm in iis curandis impendimus operam: cùm quòd benè meruimus longo studio, vigilantia, obseruatione, periculis, totum ludimus improbo mortis prognostico. Iam ergo dissimulemus discrimen extremum, & morbum deploratum quasi derideamus. Et hîc fortè locum habebit axioma, *Curari contrarijs contraria*. Promittamus ægro de facili sanitatem. Iuuabimus forsan artem arte: substituemus pro pharmaco dolum testimonio experientiæ fortunatum. Ego enim ita differo, Auditores. Magnum prorsùs ad valetudinem in timore, ac spe momentum est positum; vt & illo leuissimus quisque morbus facilè ingrauescere, & ista alleuari grauissimus possit. Nam (vt pauca primùm de Timore dicam) quis à limine Philosophiam salutauit, cui perspectum non sit, retrahi timore ab externis ad internas partes calorem, ad eius maximè principem fontem Cor? Coniectare hinc licet, quæ consequantur symptomata. Ex pluribus illa duo potissima in rem nostra diligenter cauenda. Alterùm quidem est cæterarum partium, quæ minùs cordi propinquæ, refrigeratio; quarum facultates instrumento caloris idoneo destitutas obire sua munia minimè posse, satis probat feriata ob eam caussam Retentrix, vndè & gelidus sudor, & alui, nec non vesicæ solutio Auctore in Problematis Aristotele (*sect.* 2. *probl.* 26. & *sect.* 4. *probl.* 8.). Vsque adeò, vt si vehementior intendatur hæc animi passio aut prolixior duret, refrigerante se immodicè corpore, teste Galeno (1. *de Præsag. ex puls. cap.* 2.) existant pulsus parui, tardi, rarique (*Galen.* 4. *de caus. puls. cap.* 5.) familiares vtique imminuti caloris (*Galen.* 1. *de caus. puls. cap.* 6.). Vndè etiam non rarò metamorphosis illa plena miraculi, cùm hominem eundem è florido iuuene senem canum nox vna conspexit (*Scalig. exercit.* 312. *de subtil. aqu. Card. & alij*). Quorsùm verò hæc? dicet aliquis. Quorsùm? Vt intelligamus, quemadmodùm beneficio caloris reserantur meatus, ac viæ; ita frigore concretas partes istas subsidere, atque in se conniuere; Neque idcircò medicamentorum opem admittere ægrotos miseros, quos metus mortis excruciat; neque reddi, (si res popscerit) capax purgationis corpus vt minimè fluidum, quale exigit in Aphorismis Hippocrates (*sect.* 2. *Aphor.* 9.). Quare

Naturam vocat idem Hippocrates in Epidemijs (*lib. 6.*). Medicatricem morborum, propterea quòd medicamentorum vtitur facultatibus. Quòd si metu mortis impresso idoneum eius instrumentum, calorem abstuleris, frustra exorabis ipse Naturam, fatigabis Medicinam. Alterùm verò symptoma timenti obtingens ex repentina spirituum, & caloris ad partes internas retractione, ipsorum vtique est spirituum dissolutio, ipsius est natiui caloris suffocatio, atque extinctio, cum illa vehemens ad Cor fiat, cùm in nimia sanguinis copia: nonnullos vt timor repentè necauerit Galeno teste (2. *de sympt. cauf. cap. 5. Et lib. 5. locor. affect. cap. 1.*). At inquies: Non ego imminentem ægroto supremam diem ex abrupto denuncio: nec vultum Atropi obijcio quasi facto ex insidijs impetu, vndè is horrorem metus læthalem concipiat. Non iubeo despondere animum, & veluti præcurrere nocte vesperam. Verùm quæ digna est Philosopho ingenuitas, eam & laborantibus apprimè gratam puto, vbi de rerum maxima in primis agitur. Itaque primò Naturam cùm morbo luctantem victoria ancipiti edissero, simul & subsidia omnia Medicamentorum, aliorumque ex arte quàm diligentissimè conquisita. Tùm fatigatam indico, & vires ex interuallo reparantem: Relanguentem subindè, pòst planè succumbentem syncerè describo. Nec taceo demùm vates momentum ipsum extremæ luctæ futurum, ex oraculis Hippocratis nostri, vt Artis auctoritatem, quantùm imbecillitati meæ fas est, nutantem sustineam. Ecquid hic (obsecro) subitarium intercedit, vndè ista vehemens refrigerario partium externarum, vndè sanguinis ad cor plena concursio, vndè spirituum dissolutio, vndè caloris natiui extinctio præsentem ægris conflet interitum? Ego enimuerò, vt nego timorem istiusmodi ex attemperata mortis præsensione; sic qualem qualem admitto mœrorem, sed eum molestia morbi dominante vix haustum, sed expectatione ipsa mortis loco leuamenti, atque adeò quietis à sæuitie bacchantium dolorum proximè tollendum. Itanè? Mœrorem ipse admittis Timore excluso? Habeo ergo, te concedente, quòd negas. Cito Galenum testem, qui symptomatum causas rimatus (*lib. 2. cap. 5.*) eadem mœrori, quæ & timori effecta tribuit: nisi quòd ab isto repente, atque affatim irruunt symptomata, quæ tardius per illum, sensimque contingunt: Re autem nulla, nisi vehementia affectus, vtrumque distingui. Quamquàm tu gratis timorem excludas, vbi tam multos alioqui fortes viros concepta mortis præsentia frangi docemur quotidianis

tidianis exemplis. Parum ergo intereſt, vtrùm præſcitis tuis celeriùs, an tardiùs neces ægrorum; ſi tandem necas, cuius ſaluti conſulere debueras pretio ſudoris ad minimùm: quantò magis paucarum impendio ſyllabarum, quibus animum laborantis in ſpem erectum perpetuo tenuiſſes vel in mortis ſummo conflictu? Nec tu inanem ſpem iſtam putes, aut anilem blanditiam: aut multò minùs (cum Platone) mendacium, licèt honeſtum, & quandam quaſi formulam ſolemnem ægritudinis animi ſubleuandæ. Ipſa enimuerò ſpes remedium eſt, extremum quidem omnium, ſed præſentiſſimum ſæpè irritæ medicinæ ſubſidium. Arguite vos, Auditores, ex ijs, quæ de metu, ac triſtitia diſſeruimus, quid contra de gaudio, quid de animi hilaritate decernere conſentaneum videatur. Nam vbi opinione inſinuata reuocandæ valetudinis ſerenatur ægrotantis mens, quæ facilè aſſentitur optatis: nemo certè negauerit effecta lætitiæ communia in hunc quoquè hominem cadere, vt nimirùm excitentur ei ſpiritus, & quodammodò viuaciores exiſtant: vt reſidens idcircò in ſpiritibus naturalis calor vegetior reddatur: cuius caloris beneficio robur Naturæ acuitur adeò, vt ea faciliùs, & ex inopinato ſæpè morbum contumaciſſimum ſoluat. Hinc bonam ſpem, & fiduciam ægroti maximè conferre ad ſanitatem docemur cùm auctoritate Hippocratica in Prognoſticis (*ſect.* 1. *tex.* 2.) tùm Philoſophica illa ratione. Quòd is imaginatiuæ potentiæ quidam ſit actus: imaginatiua verò quantùm polleat ad humana corpora immutanda præclarè adnotat Auicennas de Anima (*par.* 4. *cap.* 4.). Sed & luculenter euincit experientia, cùm ex ira concitantur valido impetu ab internis ad externa calor, atque ſpiritus (quo fit, vt frigidis morbis aliquando conueniat). Cùm ex timore algent extrema, occupat ora pallor, contracto intùs calore. Quid verò affectus fiduciæ? Hæc ad interiora pandit vias, inhibet humorum impetum, firmatque ad alacriter obſiſtendum Naturam. Quare vbi morbi materia humor eſt in venis oberrans, quis neſciat, inter potiora remedia locum eſſe imaginationi, quæ bonam ægrotis de Medico, medicíſque auxilijs opinionem ingerens, ſperandæ priſtinæ ſalutis argumentum præbet maximum? Hinc enim & excitatur viuidiùs calor, & eius ope reuiuiſcens Natura coctionem noxiorum, excretionemque molitur, ac perficit? Teſtis eſt, quæ & rerum Magiſtra eſt, euentibus crebris Experientia. Ecquid aliud iuuit natiuum illum Cæcum, de quo Suetonius Tranquillus (*in Vita Veſp.*) & Cornelius Tacitus

(*lib. 4. Annal.*) meminerunt, vt solo tactu Vespasiani Cæsaris inoculaterur? Quid mulierem luminibus item captam, de qua Helias Spartanus? Quid Hydropicum, de quo Dion Cassius, Adriano Cæsare tangente vtrumque pariter curatum? Quid lienosos à Pyrrho Rege sanatos testibus Plutarcho (*in vita Pyrrhi*) & Plinio (*lib. 7. nat. histor. cap. 11.*) idque non nisi dextero pede leniter presso? Non aliud profectò efficere tanta potuit, præterquàm imaginationis vis, atque fiduciæ ipsorummet laborantium. Quid contra reddit in melancolicis affectus contumaces? Scilicet animo hi semper demisso, atque abiecto de salute plerumque desperant: omnia vel vera, & bona, sub specie falsi, malique imaginantes. Vt scitissimè mouerit Auicennas (*lib. 6. metaph. cap. 4*) plùs posse in ægris fiduciam ad sanitatem, quàm & arte sua omni, & instrumentis Medicus possit. Quare siquis in Arte Medica lauream secundam affectat, summa ope nitendum est illi, vt omnem animi ægritudinem ab ægrotis prohibeat extenuatione morbi, pollicitatione salutis, fomento spei perpetuo, serenitate mentis imperturbata. Nec ideò est, cur de mendacio premat scrupulum, quo sanè tam libenter absoluimus, quàm contrà suademus, & enixè commendamus, vt salibus, iocis, fabellis identidem erigere consternatos animos, & stantes continere studeat; prætium omnis industriæ, omnis operæ seruatam vnius hominis vitam arbitratus. Iam verò placet conceptus mente positiones disputationi publicæ de more proferre.

GRATIÆ.

NEgo & Medicis mendacium, quidquid exceperit Plato. Nec mihi tamen Medico quisquàm obijciat mendacium, si vobis multò humanissimis Auditoribus agere me gratias profitear plùs quàm maximas: quasi supremo gradui superaddi posse gradum contendam. Nunquàm enim dicendo consequar, vt tantas vobis, quantas habeo, gratias agam.

Pro accepta Iuris laurea.

GRATIÆ.

SI à Iustitia nomen emanat Iuris ex placito Vulpiani, date veniam, Patres Conscripti, vt ego qualis qualis alumnus Iuris officium Iustitiæ negligam, vbi suppeditare mihi vires negligit

gligit inuidia fortunæ. Nam nihil omnino iuſtius, quàm pro collato in immeritum beneficio immortali; immortales cogitare gratias: ſed nihil æquè difficilius mihi, quàm pro acceptis à munificentia veſtra inſignibus Sapientiæ, actionem gratiarum dignam rependere. Ita vbi veſtra exaggerantur merita, ibi mea extenuatur magis imbecillitas, & magnitudine beneficij attollitur inopia facultatis. Vtcunquè res fuerit, obſequi mihi compello iniquam licèt fortunam: nec argui malo tenuitatem meam, qui gratijs agendis impar exiſto, quàm veſtri amplitudinem beneficij, cui gratiæ pares nullæ ſuppetunt. Dixi.

Pro eadem laurea.

ALIÆ.

INiurius ne videar in vos, Patres Conſcripti, perſuadent ipſæ Iuris vindiciæ, quas in hoc cætu grauiſſimo ſum profeſſus. Gratias igitur à me pares expoſcit acceptum hodiernæ inaugurationis per vos beneficium. Quas verò gratias, Deus immortalis! Quòd verò beneficium! Spectauiſtis modò non ſine patientia repentem homunculum, proterentemque arenam iſtam ſummorum athletarum. Exhibuiſtis ampliùs facilitatem eximiam infeliciſſimo omnium ingeniorum. Parum eſt. Etiamne ornamenta decreueritis erga immeritum, & laureæ decus immortale contuleritis ad triumphum? Triumphet, licèt, per vos ingeniolum meum: ſed veſtra meliùs in me beneuolentia triumphabit, Patres Conſcripti; meque in hoc triumpho captiuum veſtrum pulcherrimè ſpectabit æternitas. Dixi.

Pro eadem Laurea.

ALIÆ.

VEſtra laureatus prodeo humanitate, Reuerendiſſime Proantiſtes, Excellentiſſimi Patres: veſtra inquam humanitate lauream Iuris oſtento in triumphum. Vbi equidem magnificum eſſet, ſi veteri more Romanorum occurreretis triumphatori pleno Senatu gratulantes lauream, communeſque acclamationes veſtris plauſibus cumulantes. Quid, quòd ipſos plauſus

plausus suffragijs conspirantissimis ipsi præcurritis, honorum meorum non præcones tantùm, verùm etiam auctores? Nam quòd ab Senatu ille penderet triumphus, non eo tamen indulgente fiebat, sed iudicante: eius non arbitrio; sed officio; non liberalitate, sed censura; non clementia, sed iustitia. Quippè ex legum grauissimarum præscripto nil præter meritum victoris in decernenda triumphi gloria pensitabatur. Atque id quantoperè vestrum in me hodiè exaggerat beneficium, cùm honorarium istud literatis amplissimum, non ex meo mihi merito, sed ex vestra modò benignitate adiudicaueritis? Audient mehercle posteri dignum amplitudine vestri miraculum, lauream Iuris per summos Iuris vindices homini aliquando immerenti, saluo tamen Iure, fuisse delatam.

Dixi.

Pro Laurea generatim.

ALIÆ.

IN hac iucundissima studiornm meorum catastropha est, quòd ipse non plaudam magis, quàm obstupescam, Reuerendissime Proantistes, Excellentissimi Viri. Hanc lauream vestræ debitam gloriæ à me vtique vsurpatam quis diceret, nisi volentes ipsi, lubentesque detulissetis. Iam mirari desino argumentosam illam picturam, cui Mundo inuerso titulus fuit, humana omnia præposterè referentem. Cui enim cedat laurus, nisi Victori? Quis nisi suo in fundo herus demetat? Quis triumphet, nisi legitimè meritus? Egonè igitur victus, ego in alieno fundo, ego immeritus in hac laurea triumphauero? Planè vicistis ipsi conatus meos vestris suffragijs facultatem humanitate, meritum honorario: Vt, siquid præclarum in me deinceps eluxerit, id totum de vestro agnosci debeat, atque è fundo munificentiæ vestræ collecta per me qualis qualis gloriæ messis annale gratiarum vectigal in omnem posteritatem vobis constituat. Dixi.

Pro Iuris Laurea geminis fratribus simul delata.

GRATIÆ.

Per maiorem natu dicta.

VEstra, Patres Amplissimi, impensa in nos geminos fratres humanitas, vndè geminari vt gratiæ nostris in animis, ita & lætitia debuisset, geminatam potius mihi segetem ingerit perturbationis. Ita, vbi nos nullius nominis alumnos, ornamentis tamen solemnibus emeritorum huius Academiæ iuuenum decoratos, hoc est sine virtutis periculo victores, triumphare in hac ipsa laurea oporteret, iacentem animum meum profiteri ipse non vereor: idque non tàm causa mea, quàm fratris. Nam quid non metuam, vt tanto apici, in quem ambo hodierna luce subuehimur, repentis ingenioli nostri humilitas attollatur: & vestrum de nobis, eximium alioquin ac celebre apud exteros sapientes iudicium, digno successu administrandi quandoquè Iuris in Republica comprobetur? Me verò natu maiorem, pro me non tantùm, sed pro germano quoque meo interpretem constitui, earum, quas in vos concepimus vtrique nostrum gratias, non commouere vehementer non potest, atque omni oratione destitutum gratias ipsas habere cogit quamplurimas, agere omninò vllas vetat. Dixi.

Pro accepta Laurea Philosophica, & Medica.

GRATIÆ.

QVantas hodierna luce gratias vobis habeam, Patres Conscripti: hæc ipsa collata per vos amplissima ornamenta testantur. Me Philosophica, me simul Medica laurea insignitum quem nisi intimum Naturæ non solùm A secretis, sed etiam A consilijs inaugurastis? A secretis, quòd in sacrarium Naturæ solis patescit Philosophis aditus; A Consilijs, quòd non nisi obseruatis, ac benè perspectis Naturæ studijs, atque viribus subsidium artis Medicus adhibet. Naturæ igitur ministrum duplici titulo honestissimum cùm me fecistis, ministrum illius fecistis, qui Naturæ auctor existit, eique intimè inditus omnia continenter operatur. Quantò ad hanc laudem iam illa vile-

scit;

ſcit; quòd Imperatoribus imperat vna Medicina? Subdere quidem ſibi (quis neget?) homo hominem poteſt armis: At homo ipſe Naturæ, atque eius Auctori ſubdatur, neceſſe eſt: eius vel nutibus pareat, nedum regatur imperijs. At herclè quantùm illud eſt imperanti Imperatoribus Naturæ non ſubdi, ſed ſocium adiungi fraterno quaſi iure indiuiduum? Encomium hoc certè Medicinæ eſt; ſed veſtræ, Patres, munificentiæ ſingularis exemplum, qui me dignati eſtis honore, vt nullis mortalis facundiæ laudibus, ita nullis gratijs adæquando.

Dixi.

Pro accepta Laurea.

GENERATIM.

INter hæc laureæ doctoralis inſignia, veſtræ, P. C., argumenta munificentiæ hæret animus meus ancipiti cogitatione diſtractus, vt non facilè excipiam, quos iam audio excitari florentiſſimæ huiuſce concionis plauſus, ac feſtas acclamationes. Sic Phœbus diſpenſatis radijs, mirum, vt diſſimilia in terris virtute ſimili gignit effecta; quemadmodùm hìc concretam glaciem ſoluit in lymphas, illìc in glebas molle cænum obdurat. Haud ſecus de me vſurpem, cui candidato ornamenta vos deferentes, &c. quòd meritis deerat, humanitate ſupplentes, incredibilis ſanè lætitiæ ſenſum ingeritis, vndè animus tanti compos voti, vix ſui ipſius euadat compos. Sed ecce mox premit conſcientia imbecillitatis; ne, quàm hodiernis auſpicijs expectationem mei commouetis, impari tandem ſucceſſu fraudatam doleatis. Ac id quidem ſuggerit ingenuus timor. Cæterùm memoria beneficij veſtri immortalis erectum animum meum vel ipſi fato ineluctabili obluctaturum fore confido.

Dixi.

Pro Laurea Philoſophica, & Medica.

TAndemque optatis puppes admouimus oris. Ita mihi fas eſt hodiè decantare, & veſtra (Illuſtriſſime Proantiſtes, Excellentiſſimi Patres) comitem gratiam, afflantemque benignitatis auram in Cælum extollere. Dabo libenter alijs ſcientijs, vt ſibi vendicent ex amœnitate, quàm iactant, nomen Hortorum; è laſciuientibus areolis, è luxuriantibus topiarijs

piarijs vernantium. Nostra certè, quàm profitemur, floridiores tenet hortos, quàm quos Hesperides quondam ferantur habuisse. Philosophia (quis neget?) offert nemora Medicinæ aurea, nec ipsa quidem sterilia, sed malis onusta lectissimis: quæ tamen mala valent vnicè ad malorum maximum, idest ægritudinem corporis, atque adeò mortis fatum medendum; Mala alijs, nobis bona, imò & pretiosa, quoniam aurea, & ex communi adagio opulenta. Itaque quòd ego vestra ope, & consilio vigilem, custodem nemoris Draconem interfecerim, idest difficultates implicatissimas huic studio ad formidinem ingeniorum obuersantes superauerim; quòd mala ista aurea feliciter sustulerim, & ex aureis ipsorum frondibus mea nunc demùm tempora compositum ad decus sapientiæ sertum reportent, totum id vestræ humanitati, Patres Conscripti, vestro studio, vestræ beneficentiæ in infimum ingeniorum collatæ acceptum refero, nec alias, nisi immortales gratias pro beneficio isto immortali habiturum me esse profiteor.

Dixi.

Pro Laurea Theologica.

NIhil in homine indignius reperiri, quàm ipsum beneficij accepti immemorem hominem, cui vèl bruta suis passim exemplis vitium hoc exprobrent; sic ego olim & mecum reputans, & cum amicis fabulans vsurpabam, Patres Conscripti, Vosque quotquot interestis, Viri Amplissimi. Nunc verò mihi altiùs mens attollitur, trahitque in eam sententiam, vt ex aduerso statuere haud dubitem, nec homine grato dignius quidquàm in homine cerni posse, nec iter planius aperiri ad Diuinitatis quoque consortionem ineundam. Suadent hoc veteres Ethnici in illa Triade Gratiarum adinuenta; digni propterea, sicut in cæteris commentis censura dementiæ seuerissima, quòd pluralitatem Deorum inueherent; in hoc autem digni venia, atque adeò commendatione, quòd in specie Diuinitatis tam datam gratiam, quàm acceptam, atque relatam repræsentantes studerent hominem ad humanitatem formare, atque ad excolendam virtutem omnium maximam inflammare. Iam intelligitis, puto, quò mea hæc tendat oratio, quis meus sit sensus. Ego propitijs astris natum memet videns colligendo multorum fauori, experiundæ beneficentiæ connitebar profiteri, quàm in animo recondebam gratiam vitæ ipsi meæ coæuam,

vt inopia facultatis, animi quidem certè diuitis testificatione compensaretur. At equidem in luce huiusce diei, in tanta munificentiæ vestræ pompa, tantis me cumulatum ornamentis, me autem omninò immeritum cùm considero, vix certè mihi homo constarem, in sedes nunc quodammodò Deorum receptus, hoc est sacra laurea in isto cœtu insignitus, similemque Cælestibus liberalitatem expertus; nisi Diuino beneficio Diuinam agendarum gratiarum significationem poscente, orationem meam vix dignam esse homine comperirem. Quare hæc, quæ à vobis nunc proficiscitur in me Gratia, reciprocabit se quidem, in vos reflectens; meo autem in pectore domicilium æternum 'non senio, non fato ipso ruiturum constituet.

Dixi.

Pro Laurea Iuris Canonici.

BEneficentia vestra, P. C., quæ cum huiusce laureæ insignibus effusa in me est, non tam ornat (vt videtis) immerentem, quàm onerat imbecillem. Poscit ea quidem gratiarum actionem solemnem; sed non quàm solent plerique, si meriti tamen pondus æquitate pensandum. Neque enim vulgare est, quòd accepi beneficium; neque vnum, vna licèt in facultate honorarium, quòd omnium colligit honores laurearum. Ius Canonicum (quis neget?) Diuinarum in primis Legum sanctitudinem continet: indè Ciuilium præfert maiestatem, quòd & sacros obstringit homines, & ad profanos pertingit: Philosophiæ item decus, quà mores informat, & Christianam politiam tuetur: Sed & Medicinæ venerationem, quia morbos curat animorum, æternum exitium minitantes, multò certè meliùs, quàm Iuri Ciuili ille quondam attribuerit: Sic inquam in vnius Iuris Canonici laurea omnium laurearum ornamenta per Vos hodiè mihi collata, quemadmodùm ipse intelligo, sic planè immeritus nihil minùs, quàm & iustis gratijs agendis idoneus, eandem vestram obsecro, atque obtestor beneficentiam, vt conscientiæ meæ imbecillitatisque iam testis, contenta sit suamet gloria, quàm dispensandam habet alijs, à nemine emendicandam.

Pro Principatu Academiæ INFOECVNDORVM Florentiæ.

GRATIÆ.

SApientiæ veſtræ fuit, Nobiliſſimi Academici, quòd nunc primùm in hunc Ordinem inuexiſtis Principatum: munificentiæ, quòd mihi demandaſtis. Vtinam ſaltem illi homini, qui, ſin minùs dignitati ſuſtinendæ, agendis certè gratijs par eſſet. Nunc quò me cunque conuerto, ſtupor occupat, qui rudem alioqui ſermone, indiſertumque, facilè elinguem reddit. Sic enim intelligo, quem detuliſtis honorem ampliſſimum, non tàm eſſe veſtræ Theatrum munificentiæ ſingularis, quàm campum, vbi mea imbecillitas cum veſtra magnanimitate commiſſa victam ſe ſtupeat in ipſa victoria. Ecquid in me ſpectauiſtis, quòd Principem deceat, in quo non quiſque vnus veſtrum Princeps emineat? Niſi fortè Principatu dignandum illum putaueritis, qui minimè dignus eſſet ex alijs, nec vllum iuſtiùs extollendum ad ſummum faſtigium, quàm cui eſſet ex merito infima ſedes in Ordine. Vos ergo, vos feciſtis me Principem [c], non legiſtis. Veſtra Intelligentia (Cæleſtis ea planè, quia anterior meritis) ad hunc honoris horoſcopum mihi Cælos commiſit. *a* INFOECVNDITAS veſtra, fœcunditate omni fælicior maluit *b* *in hoc arente ſtipite* culturam humanitatis impendere. Sed veſtra ipſa, Sodales, felicitas me mihi reſtituit. Ipſa fidem ingerit, fieri poſſe per vos, quòd per me ipſe deſperauerim, vt *c* *Syluaticum* ingenium, etſi culturæ ſitientiſſimum, veſtra opera, fauore, humanitate non indignos aliquando fructus ferat Reipublicæ literariæ. Interim hi ſunto quaſi præuij fructibus flores, pro immortali veſtro beneficio gratiæ meæ immortales. Dixi.

a *Alluſio ad nomen Academicorum.*
b *Ad ipſorum Symbolum.*
c *Ad cognomentum Academici Principis.*

Pro Principatu Academiæ PALLADINORVM Aſtæ.

GRATIÆ.

AGnoſco gratiam veſtram, (Academici) nullis æquandam gratijs, Principalibus faſcibus per vos hodiè honeſtatus.

Præsertim quùm non inopia capitum; sed munificentia vestra, & studio quodam in me singulari, huius consilij rationem iniuistis. Aderant non pauci ingenio, literatura, periculo multò, quàm ego, nobiliores: adijcerem & commendatione Maiorum, si aliena, non propria cuiusque merita in hoc Palladis emporio pensitarentur. Verùm id mihi præbet mœroris ansam, quòd gratiam in vobis amplificat: & vndè beneficij vestri oritur magnitudo, hinc mihi timor augetur, ne inferiora loco, munere, dignitate geram, quàm egregia vobis concepta spes, & communis expectatio huius Ordinis in tantùm apicem euecto à me iure deposcunt. Dum enim Principem ago, simul & Nicolaum Facellum, & Octauium Pellettam ago præclara illa nomina superiorum Principum, & apud hunc cœtum plena maiestatis. Alij meritis impares cùm in hosce gradus subrogantur, sperant Maiorum se se illustratum iri fulgoribus: ego, ne illis offundam tenebras, non mediocriter reformido. Quamquàm non in ipsorum locum successi, vt partes suppleam, qui sponte loco cesserunt; sed nutibus vestris sum ingressus, vt eorum dignitatem aliqua ex parte attingam: & ex mei ipsius contentione non ijs inuram labem, sed laudem adiungam potiùs; quantosque hactenùs Principes habueritis, ex ista demùm renunciatione cognoscatis. Quare ne præclaris vestris ac singularibus meritis minùs fortasse gratus agnoscar, enitar quantùm potero, vt dignitati amplissimæ, si minùs agendarum rerum, animi certè magnitudine respondeam.

Dixi.

Pro Principatu Academiæ INFOCATORVM Mediolani.

GRATIÆ.

QVæ vobis, Academici, lætitiam ex hodierna celebritate faciunt, ea mihi segetem tristitiæ præbent, ac timoris. Ego siquidem huic Ordini adscriptus ita singulorum cursum obseruabam, vt satis multùm consecuturus viderer, si quoquo modò illorum sequi vestigia possem: Plùs quàm satis, si viribus infractis, constantique mente persequi nunquàm desisterem. Nunc vero quid est, quòd cùm ijs non modò conferor, quorum tenere vix posse cursum sperabam; sed & præferor loci, ac muneris amplitudine, & quòd maximè percellit animum, ingenij ac eruditionis nomine, quorum quidem nihil præter nomen

in memet agnosco: vt magnoperè vereri debeam, ne, quòd sincero studio à vobis geritur, machinamento fiat ludificantis fortunæ, quæ mole Athlantea homunculi adolescentis humeros pertentet. Verùmtamen recreor non modicùm perspecta vestrum omnium in me beneuolentia; qui, quòd dignum exoptaretis potiùs amplissimo isto munere, quàm talem conspicaremini, posthabitis quamplurimis de Rè literaria optimè meritis, atque in hoc *a* ALEXANDRINO theatro spectatissimis, in me vnum potissimè deligendum conspirastis, cui literarios fasces post facem illam *b* Bossianam superioris anni fulgentissimam deferretis. Quare superioribus comitijs illum inaugurastis Principem, qui nobilitate generis, ac meritorum splendore cæteris facilè prælucebat: Nunc illum habetis, qui sola beneficentiæ vestræ luce præfulget. Ille non tam decorabatur dignitate Principis quàm ipsam decorabat dignitatem: Ego vix capio tantæ dignitatis fulgorem, & vtinam *c* *PHOEBVM* illum, quem fortuna in Maioribus meis accendit, humilitatis ac tenuitatis meæ caligine non obducam. Tametsi in hoc Cælo *ALEXANDRINO*, vbi tam multi emicant Phœbi, suspicio nulla caliginis est, aut noctis. Quid ergo reliquum erit, nisi vt receptis spiritibus, erectoque animo ceruicem iugo submittam, immortalemque Deum exorem, vt ex votis vestris, Academici, qui tantam prouinciam credidistis, & ex sententia Patrum Congregationis Diui Pauli, qui Academiam istam tam felicibus in dies prouentibus Mediolanensis iuuentutis moderantur, hodierna Magistratuum instauratio à vobis facta esse videatur.

Dixi.

a *Gymnasium Publicum Mediolani sub disciplinà Clericorum Regularium Diui Pauli, vulgò Barnabitarum.*

b *Allusio ad Simonem Bossium Principem.*

c *Allusio ad Phœbum Comitem ex familià Principis Academiæ.*

Serenissimo FERDINANDO II. Inclyto Hetruriæ Magno Duci.

GRATIÆ.

Nomine N.N. Pueri Aulici ab Hippopera creati.

SCRIPTÆ.

Sistit se tibi, Magne Dux, internuncia hæc animi mei pagella; & numine venerabunda salutato audet Regiam dexteram occupa-

occupare. Reuerebar ipse Maiestatem, Serenissimam licèt, atque oculis omnium beatam, meæmet humilitatis conscius: nec inerat linguæ spiritus, qui tanti Principis libaret aures disertissimis ingeniorum innutritas. Itaque orationem stylo committere visum fuit, hoc est sub pallio silentij verecundam submittere; atque ab auribus ad oculos prouocare, clarissima ista secundæ fortunæ astra, beneficentiæ fontes, felicitatis horoscopum. Sed & dexteram simul adosculatura pagina iure petit, quàm in immeritum clientem latissimè semper expassam agnoscit. Notaueram ego felici calculo diem; qua die superioribus annis inter Regios Aulæ pueros adscribere me Celsitudo tua dedignata non fuit; longè omnium maximùm ratus id beneficium, & sortis meæ adorandum apicem. Verùm vt noua identidem luce fulget subsequens quisque dies; sic tua in me merita (Serenissime) continenti serie renouasti. Horum tamen illud, vniuersa ceu sidera Phœbus, vincit, Cùm nuperrime è pueris sodalibus euocatus sum ad honestiorem muneris gradum, facturus perpetuum Serenitati tuæ comitatum, ac fruiturus præsentiæ radijs citra vllum defectionis locum. Quàm scite (Pol) in rem præsentem Præco ille tuarum laudum studiosissimus è Congregatione Diui Pauli, Orbes Serenissimi stemmatis exponens Cælos? At finxerit is quidem Cælos: tu verò effingis non solo ingenio, sed virtute; non mentis lusu, sed gloria gestarum rerum. Tuum in te refers viuum stemma, in te Cælos animas irrequieto motu imperij, indeficiente clementiæ lumine, inexhausto liberalitatis humore in tibi subditos. Nescis enim vel nuncupatione ipsa Philautiam, qui Principem non sibi, sed alijs natum non nescis. Cælum quoque tametsi ad Elementa Regem, ipsorum tamen conseruationi seruire. Sed esto. Humilius porrò, & crassius elementis omnibus Terram benigniores afflatus excipere, aspectu siderum amœnius frui, cælestes opes ostentare splendidiùs, mirandum hoc sanè est, ac tantùmdem ipsi Terræ inuidendum, quantùm ex meis me sodalibus infimum, maximèque despectum Hetrusci Cæli munificentiam largiùs sensisse; Gratias ergo tibi agere, Princeps, non molior, quas dum habeo, totos obtinent sensus, facultatemque obruunt oratione suppressa. Iuuabit in hoc etiam imitari Terram, elementum attonitum, & opibus aggestis graue, in medio ambientis Cæli suspensum, atque eius beneficentiam stupore ipso disertè celebrans. Videlicèt vt tibi, dum refero tacitus honores acceptos, congestaque decora, silentij religione meliùs, quàm contentione

tione

tione vocis, grati animi ſtudium expoſuiſſe credar. Diù te ſuperi ſeruent nobis, ſerò afferant Cælo. Florentiæ, &c. Regiæ tuæ Celſitudini Æternùm emancipatus

N. N.

GRATIÆ.

Pro cooptatione in Piſanam Sapientiam.

ACturus de more gratias in iſto nobiliſſimorum contubernalium cœtu planè hoc intelligo, nec quemquam alium vehementiùs adigi ad id munus peragendum, nec vehementiùs quemquàm reuocari. Nam vbi amplificatur conditione ſua beneficium, ibi officium agendarum gratiarum incremento pari intendatur, neceſſe eſt. Cui autem feliciùs, quàm mihi, inſperanti præſertim, ſuccedere potuit, vt nullius virtutis homo adoleſcens, tanta nihilominùs fortuna afflatus, in hoc Sapientiæ domicilium, inter paucas ex ephœbis Hetruſcis lectiſſima, atque amœniſſima ingenia reciperaret? Enimuerò ſi collata immerentes beneficia pendenda vtcunque eſſe iudicamus; propterea quòd meriti ratio beneficentiam exigit, non excludit; gradusque vnius benè patitur eminentiam alterius: quanto me denique obſtrictum beneficio arbitramini, Auditores, qui nullum in memet aut ingenij, aut virtutis præceſſiſſe meritum animaduertitis? Totum hoc (prædicabo ingenuè, & quantùm mihi vox dabit, & latera) totum hoc, inquam, diſciplinæ literariæ honeſtamentum, non niſi inuentutis flori decretum, ex immenſa atque incomparabili Sereniſſimi Magni Ducis liberalitate, ex humanitate ſingulari Illuſtriſſimi Fantonij Auditoris, ex tuo, Illuſtriſſime Rector, ad omnem facilitatem, pietatemque procliui ingenio in me hodierna fauſtiſſima luce redundauit: vt non quid ipſe antè meritus eſſem; ſed quid mereri debuiſſem, præpoſtera ſignificatione teſtaremini. Vndè igitur mihi pares ſuppetant gratiæ pro illo beneficio, cui nullum in me par meritum anteceſſit? Vtinam certè dediſſet Natura illam dicendi facultatem, quæ verborum pondere tenuitatem virium compenſaret; &, quem reperiri immeritum fortuna voluit, minimè tamen vt ingratus appareret. Nunc, quando omnia in me iacent præter vnum fauorem veſtrum, magnanimitatis equidem veſtræ fuerit condonare mihi vltrò, quas agere vobis nequeo gratias; vt veſtri ſemper ſimiles nouo hoc beneficio beneficium vetus cumuletis. Dixi.

Pro

Pro Cooptato in Pisanam Sapientiam.

ALIÆ.

Ἀχαριςία, dictione ipsa infanda Latinis Ingratitudo, quàm quis bellè definiat voluntatis corruptelam, mentis caliginem, memoriæ velum, animorum luem, omnium vitiorum anacephaleosim; ipsa sibi peculiare hoc vendicat munus damnatissimum, quòd virtutem contaminet, surripiat meritum, sistat gratiam, & beneficij loco odium struat. Siquidem homini ingrato gratia ipsa efficitur malefica, fauor exilium, liberalitas supplicium, sed & ipsum donum ciet cum voluptate pœnam. Hinc Terra, quæ feras, quæ serpentes, quæ exitiales herbas profert, nihil suo excipit sinu tetrius homine ingrato. Id ipsum accuratiùs agitanti mihi prorsùs accidit, quòd larnatis vsuuenire scimus: qui, quibus maximè abhorrent, ijs quasi præsentibus, & continenter antè oculos obuersantibus terriculamentis vexantur, quorum sors hominibus, si quidquàm humanis, miseranda ad minimùm est. Ego non secùs, quantùm anteà gestiebam ex nupera in ordinem istum lectissimorum iuuenum conscriptione, tantùmdem posteà expaui reueritus illius rei notam, quàm maximè auersor. In tanta enim beneficij mole quòd nulla extet gratiarum iusta significatio; quis non ingrato potiùs, quàm indiserto vertendum putet, vbi beneficij ratio meritum arguit alicuius ingenij ad gratias prompti, agendas certè, sin minùs promerendas? Verùm iactent hoc alij. Ego enimuerò nec promerui gratiam, quæ me tanto beneficio dignaretur, nec ea est mihi orationis facultas, qua valeam beneficij incomparandam magnitudinem adæquare. Ne tamen in ingratorum numerum reiecter, gratias vtcunque dicam, non agam, hoc ipso reputans agere, quòd agere minimè posse profiteor. Tibi ergo, Serenissime Magne Dux, cuius absentis veneror maiestatem, fortunæ meæ aspirantis originem acceptam fero, precorque vicissim Regno tuo florentissimo iugiter afflantem perpetua cum serenitate fortunam. Tibi quoque, Fantonie inclyte, quem Auditorem vèl absentem colo, auctorem magna in parte felicitatis meæ, pro tanta ista beneficentia æternùm me profiteor mancipatum. Tu verò, Illustrissime Rector, auspicium studijs meis facere nequaquàm potes fortunatius, quàm tua nunc vmbra excipiens minimùm ingenio-

ingeniorum protegendum. Age, humanitate tua incomparabili prouehe, vt cœpisti, fructum literarij mei laboris: foue mihi Musarum fauorem: & pullulantes nunc lauri, fac, celeriter adolescant temporibus meis cingendis, animo meo sempiternis ergà te nexibus obstringendo.

Dixi.

Pro cooptatione in Pisanam Sapientiam.

GRATIÆ.

QVòd lepidè cecinerunt antiqui poëtarum illo commento trium Virginum, quas & Charites appellabant, id mihi serio successu video in hodierna cooptatione repræsentari. Excellentissime Rector, Ornatissimi Iuuenes. Vtinam de Gratijs ego non ingratus meminerim. Aglaiam dico, Thaliam, Euphrosinen fortunæ meæ moderatrices aduerto, Qualis verò fortunæ, hæret hic certè animus ambigua distractus specie, perplexus auspicio. Excitat prima sororum Aglaia in spem magnam; quin imò spem implet congiario amplissimo, Magni Ducis munificentia digno. Quis enim nesciat Mediceæ stirpis proprium quasi germen natura ipsa insitum semper fuisse, vt disciplinas, atque artes tyrannide armorum subactas eximeret, exulantes reuocaret, toto profugas Orbe in sinum exciperet? Loquitur defunctorum viuens æternùm memoria scientissimorum virorum, qui solos è Christianis proceribus Principes Mediceos Mecænates repererunt. Loquuntur Collegia multa iuuentuti alendæ ad omnem literaturam, atque ingenij lautitiam excitata; Florentissimæ Bibliothecæ Imperatoria magnificentia priscorum Cæsarum fundatæ: Hoc ipsum Academiæ conterminum, atque adeò intestinum Sapientiæ domicilium tanto cùm splendore habitum, tanta cum prudentia administratum, vt accitis ingenti stipendio ex Italia tota literatissimis viris quasi Sapientiæ Antistitibus assistere litantibus possent addicti huic Numini iuuenes, doctrinarum quasi victimarum cæsarum exta inspectarent propiùs, penitùsque cognoscerent. Hoc nunc quidem exhibet mihi benigna fronte, ac subridenti ore Aglaia tantò ampliùs, quantò paucioribus concessum beneficium. Verùm tamen altera sororum Thalia me mihi repræsentat, vt mente reputem, cui tale ac tantùm beneficium sit exoratum. Vndè enim fauorem Principum demerear ego inter homines ado-

lescens, inter adolescentes humunculus, nullo adhuc specimine exertæ virtutis, nedum exercitæ: nullo egregiæ indolis exemplo edito, ex quo suam non otiosè impendi beneficentiam Princeps noster intelligeret? Sic enim simile quiddam obiectari mihi posse video, quòd Cicero Quinto fratri Consulatum petenti. *Vide*, inquit, *quis es*, *qui petis: tùm quid petas: quà demùm in Vrbe suprema ista*, *quàm petis*, *exercenda sit dignitas*. Certè quid hominis ego sim, satis arguit mea me conscientia. Quid obtinuerim, & quo in cætu fuerim adscriptus, ipsi vos in tanta fortuna, sodales meritissimi, experimento vestro cògnoscitis, perspicacia exploratis. Iam qualis erga me fuerit aspectus tertiæ Gratiarum Euphrosines? Hæc enimuerò beneficij fructum exigens, quàm inuisos habet ingratos, tàm desides inertesquè proscribit. An verò forte mea maior euaserim, vt Naturæ imperanti dissentire audeam, detrectanti insultare, reluctanti obsistere? At enim cum Gratijs agens non desperabo Naturæ, quæ lignis syluestribus insitione coniugatis domesticorum germinum suauitatem non denegat. Sic etenim spero futurum, vt fortunatissima ista insitio, quæ me cum Pisana Sapientia coniugauit, fauore tuo, Humanissime Rector, exemplis atque incitamentis vestris, Iuuenes ingenui, eos ex me pariat fructus, quos meæ Naturæ sterilitas denegaret.

Dixi.

Pro Cooptato in Pisanam Sapientiam:

A L I Æ.

DVplici sensu afficior, Illustrissime Rector, Nobilissimi Iuuenes, conscriptum ipse me hodie cùm video in isto florentissimo cœtu, hoc est in albo celeberrimæ tota Europa Pisanæ Sapientiæ. Nec enim tam premit grata recordatio immensi beneficij, quòd inter competitores insignis notæ complures vnus ego è paucis sim delectus: quàm opprimit oboriens indè menti admiratio, quòd adolescens planè numerarius numerum istum lectissimum impleam, gregarius inter egregios locum reperiam. Quid ergo? Ingratumnè me faciet admiratio, aut stupor stipitem reddet? Imò verò ipsa rei magnitudo admirabilis ingenuum hominem ad prædicandum, vt nunquàm magis, impulerit: & nouitas beneficij nouas agendis gratijs dictauerit sententias, noua schemata: Si tamen noui aliquid af-

ferre poterit plus quàm vulgare ingenium meum; aut exæquare oratione, quòd assequi, ne dum complecti vix potest. Satis multùm fuerit tenuitati meæ tritis aliorum vestigijs inhærere; & simplici, hoc est sinceriore sermone solemne gratiarum officium persoluere. Primùm igitur illi acceptum referam hodiernum inaugurationis meæ honorarium; qui Solis instar in hoc Orbe Hetrusco suæ radios beneficentiæ in malos æquè, ac in bonos; in me scilicet, ac in vos (Meritissimi sodales) dispensauit. Deindè Auditorem eius veneror, Fantonium virum Illustrissimum, tanti Solis dignissimum vicarium, cuius coeuntis adspectum benignissimum agnosco humilitatis meæ erectorem, imbecillitatis fulcimentum. Postremùm, nec tamen postremam do tibi (Magnanime Rector) prosperitatis meæ partem à quo maximè prouectum me cognosco in istam sedem, quemque augurör Ducem fore ad Sapientiæ culmen attingendum: Si, vt cœpisti, humanitatem incomparabilem, consiliumque sapientia tua dignum mihi rudi, ac inexperto deesse minimè patieris. Ita enim fiet, vt felicitatis meæ initium alijs, finem tibi atque coronidem potissimè tribuendam putem.

Dixi.

Pro Cooptato in eandem Sapientiam.

ALIÆ.

QVòd hactenùs inexploratum mihi, planèque incognitum venerabar silentio, instructum hominem à Natura vnius præsidio linguæ, vbi duplex oculorum acceperat, nunc tandem in mea me causa fuisse assecutum profiteor, Illustrissime Rector, Ornatissimi Contubernales. Nimirum doleo, quòd ad agendas gratias pro mea in istum Cœtum cooptatione par facultas nequaquàm suppetat: nec, vt mihi bina lumina Natura concessit ad beneficij magnitudinem peruidendam; sic vnicum ad eloquendum dederit organum, & illud ineptum per se, atque impar conceptæ rei efferendæ. Itaque priùs mihi incusanda auaritia Naturæ est, quàm celebranda munificentia Fortunæ; ne, vbi hæc mecum liberaliùs agit, auariùs ipse videar respondere. Quamquàm quid hìc locus auaritiæ fuerit, vbi exundare cernitur. Serenissimi Magni Ducis liberalitas vbi Illustrissimi Fantonij Auditoris beneficentia pleno alueo decurrere; vbi tua, Clarissime Rector, humanitas triumphum ducere? Gau-

dendum mihi potiùs, & mecum ipsi gratulandum, quòd auaritiæ speciem reddat incomparandi beneficij collatio. Nec enim parem habere patitur, qui nemini non eminet Princeps noster, quorum Ministri inclyti tantùm accedunt ad aliorum Principum decus, quantùm ipsos excedit Ministros Princeps noster. Qui Mecænatem nostrum, ac Præsidem constituit Auditorem suum, hoc est eum, qui neminem alium audire possit dignum satis sui præconem. Qui denique Rectorem illum delegit, vt inclytæ huic Sapientiæ non secùs, atque orbibus Cælestibus partes Intelligentiæ sustineat, prudentiaque supra humanam sortem insigni literarium cursum moderetur tot luminum ingenij collucentium. Quare innuisse mihi sat fuerit, quantùm foueam animo cumulum gratiarum in Serenissimum Magnum Ducem in Auditorem eius virum Illustrissimum, in te, Rector Magnanime; quandoquidem explicare tentanti, extenuare potiùs fuerit beneficium, quàm extollere. Dixi.

Pro cooptato in Pisanam Academiam.

ALIÆ.

IVbeor pigmentis priscorum obtegere, cui nudè referendo imparem se mea cognoscit oratio. Substituo itaque impunè figmentum veritati, rem ludicram seriæ, fabellam historiæ. Quippè indigus Gratiarum cùm sim hodierna inauguratione, ad illarum parentem Iuuenem supplex confugio: Vt, quæ Ioui suo iuncta perhibetur non magis aureis nexibus, quàm æmulo iuuandorum mortalium studio, laboranti mihi in re grauissima præsentem opem suppeditet. Suam ipsa Iridem haud dubiè legabit, nunciam expeditissimam (quid ni acceptissimam mihi?) Numinis exorati. Nam & aliàs

Irim de Cælo misit Saturnia Iuno

& certatim. —— *Aëream Cælo nam Iuppiter Irim*

Demisit.

Quòd enim Iris Cæli decus prædicetur; quòd Thaumantias, idest admirationis filia; quòd ore eloqui roseo; quòd spectari in purpura; quòd vario lasciuire colore, hæc vtique peregrina nomina, has adoreas, hos

Mille trahit varios aduerso Sole colores.

Stupente interim philosophantis oculo, dum ingloria cunabula spectat, quibus Iris excipitur, atratum nubium. Illa, inquam,

Solem

Solem aduersùm habens, auctorem ipsum indicat suæ gloriæ beneficentissimum; eiusque rādijs ingeniosis mutam quidem, sed iucundam reddit panegyricam laudem. Solo itaque aspectu sui tacito exponit disertissimè, quantus sit artifex tanti operis, quàm splendidus, quàm formosus: nec eius silentium speciem vllam prætendit ingratæ, vbi species formositatis oratricem agit vocaliorem omni sermone. Hanc ego Iunonis nuntiam felicissimam exopto nunc quidem mentis meæ internuntiam. Hanc obtestor præconem (quid enim indicem dicam?) horum dècorum, & ornamentorum, quibus penè obruor (Sodales) vestrum in numerum hodierna luce cooptatus. Nam si mei obscuritatem ingenij aduerteritis, & ignorantiæ rerum atra quasi nubila, in quibus agebam; tùm maximè Solis Etrusci solertia munifica explicabitur, vndè ego hoc tantùm lucis, dignitatis, existimationis accepi, non indignus habitus in isto Cælo spectari; planè admirationis vestræ aut filius, aut parens, vbi vos tantùm beneficium in tam immerito collocatum aspicitis. Iam quid consequens est, nisi vt eundem Solem meum, Serenissimum (dico) Magnum Ducem adorabundus intuens, in gratias totus effundar? Atque eas licèt impares, Planetis quoque impertiar, tanti Solis stipatoribus inclytis; Tibi quidem, Fantonie Illustrissime, quo Magni Ducis Auditore, ego adiutore subuectus in huius fortunæ culmen euasi: Tibi verò, Illustrissime Rector, tanti Solis Vicario, quo auspice exero lætus ingenij huius qualescunque conatus ad capessendam Sapientiæ laudem, votorum meorum metam suspiratam. Sed quid ego pluribus? Æmulus Iridis, vt proluseram, silentio meliùs, quàm contentione verborum, officio meo satisfacio.

G R A T I A R V M.

Actiones à Disputatione communes.

1 C*Laudite iam riuos, pueri, sat prata biberè.* Sic Virgilianus Palæmon ad sodales. Sic ferè ego ad vos, Auditores: Claudam os, sat dignas nequeo persoluere grates.

ALIÆ.

2 SAtis iam. Satis genio meo datum; ſatis virtuti veſtræ, Sodales: veſtræ quoquè humanitati ſatis, Auditores. Sed veſtris amborum meritis, gratiarum nunquàm ſatis.

ALIA.

3 QVòd ingratam diſſertationem meam humaniſſimo ſilentio pertuliſtis, Auditores: gratiore gratijs quibuſque meis ſilentio ſatisfaciendum puto.

ALIA.

4 VTrum ingratior ſupprimendis gratijs, an exprimendis futurus ipſe ſim vobis, Meritiſſimi Auditores: Ipſa ingrata hactenùs ducta diſputatio mea ſatis exponit.

ALIA.

5 VEſtrum mihi præſtitum ſilentium, Humaniſſimi Auditores, caſto ſilentio meliùs, quàm profuſo gratiarum ſermone compenſabo.

ALIA.

6 QVòd mihi diſputanti gratiſſimo ſilentio fauiſtis, Viri Auditores: gratior ego fortè contractis ſilentio gratijs, quàm dictione explicatis reſpondebo.

ALIA.

7 SIlentij veſtri beneficium immortale, Magnanimi Auditores, ſilentio meliùs inuolutas ad venerationem, quàm verbis ad pompam expromptas gratias à me repoſcit.

ALIA.

8 QVòd mihi diſceptationem finienti, finem ſilendi feciſtis, initium plaudendi: prædicandi humanitatem hanc veſtram nullum vnquàm mihi faciet finem ad gratias.

ALIA.

9 ADoro gratum animum, Auditores; eiuro ingratum. Vſque adeò vt gratias ipſas pro beneficio veſtræ audientiæ mihimet interdicam, tantùmdem fortè gratus ſilentio, quantùm rudi meo ſermone ingratus.

ALIA

ALIA.

10 HActenus, Auditores, fatigata satis humanitas vestra, Si tamen fatigari potest, quæ nullis coërceri finibus potest. Ego verò illi prædicandæ nullo vnquàm fine fatigabor.

ALIA.

11 EXercui diu, multùmque ingenia vestra disputando. Superest, vt & meum dignas excogitando gratias exercere studeam.

ALIA.

12 ATtigi disputationis metam humanitate vestra prouectus, Auditores; Nullam ideò humanitatis istius celebrandæ facturus metam.

ALIA.

13 IVuit me vinci à vobis disputando, vt collectis opibus eruditionis ditescerem. Nunc vinci iuuat agendo gratias, ne decoquam, magnitudinem beneficij vestri exæquare contendens.

ALIA.

14 COndemnabat Naturam Philosophus, quòd non pandisset humano in pectore fenestram ad arcana cordis exploranda. Ego libenter absoluero ipsam Naturam, si mihi disertum os aperuerit ad patefaciendas quas vobis, Auditores, habeo conceptas animo gratias pro singulari vestro fauore alioquin incredibiles.

ALIA.

15 VIctum me fateor eruditione vestra, oppressum humanitate, exanimatum gratijs agendis.

ALIA.

16 ATtendistis peramanter disputationem meam, Auditores: sustinuistis patienter, plausistis liberaliter. Restat, vt amorem ego vestrum studio meo, patientiam admiratione, liberalitatem præconio compensem.

ALIA.

17 HAbeo vobis maximas gratias, quòd auribus gratis me disceptantem attendistis. Habebo maiores, si gratias agentem gratis animis exceperitis.

ALIA.

18 BEneficentiæ in me veſtræ ſingulari, Auditores, & gratias ago quàm poſſum maximas; & maiores, quàm agere poſſim, habeo: Etiam, ſi liceat, quàm poſſim habere, maiores actas volo.

ALIA.

19 PVgnant inter ſe, quas vobis pro præſtita mihi audientia habeo gratias, & quas ago. Illæ, quia immenſæ: hæ, quia exiguæ. Habent illæ interminatum campum, vbi militant, Animum: hæ ſpatium anguſtum, facultatem dicendi, & ipſum tempus. Quid ergo? Sed præſtat mittere in compendium hanc pugnam ad exemplum Romanorum. Ac ſicut illi tribus Horatijs,ſic ego tribus Orationis verbis AGO VOBIS GRATIAS ſpem totam victoriæ meæ committo.

ALIA.

20 ATtentio veſtra, Auditores, qua meam altercationem proſecuti eſtis, attentum me veſtris facit obſequijs; Sapientia deuotum; benignitas emancipatum.

ALIA.

21 QVas nequeo pares gratias vobis agere, Humaniſſimi Auditores, precor Cælites, vt referant ipſi vobis cum fœnore cumulatiſſimas.

ALIA.

22 BEneficij veſtri magnitudinem, Officioſiſſimi, Auditores, quemadmodum ego æſtimare ſolùm valeo; ſic vos ipſi ſolùm ſuſtinere.

ALIA.

23 NEc alius à vobis, Magnifici Auditores, conferre in me tanta ornamenta potuiſſet: nec alius paribus gratijs ornare eadem poteſt.

ALIA.

24 VEſtrum eſt, Auditores, veſtramet ipſorum celebrare beneficia, quibus eſt par animo facultas orationis. Neque enim habeo ipſe pares humeros oneri gemino, & habendis nimirùm gratijs, & agendis.

ALIA.

25 VEstram laudo solertiam, Sodales æmuli; Vestram, Auditores, attentionem. Illa mihi vincere ingenium potuit; hæc animum vincire.

ALIA.

26 COllegi ex hoc certamine sat multum puluerem, vestra mihi potius humanissima æmulatione, quàm contentione mea excitatum. Recedo itaque sordidatus, sed in sordibus ipsis gloriosus brauium referens gratiarum, quas erga vos habeo immortales.

ALIA.

27 CErtaui in hac arena literaria, vestro prouocatus ingenio, animatus virtute. Collegi puluerem eruditionis vestræ non modicum. Scribam tamen non in puluere vestrum hoc meritum, sed in marmore, animi mei in vos æternum grati.

ALIA.

28 BEneficentiæ vestræ hodiernæ, Auditores, mirum, quòd ego innumeras cùm habeam gratias, nullas tamen habeo, quas referam, sed neque quas agam. Adeò me inopem copia summa reddit.

ALIA.

29 NEc maius ego ornamentum hodierno accipere à vobis potui, nec vos in impotem magis persoluendæ gratiæ conferre potuistis.

ALIA.

30 NOn parua facilitas vestra fuit; Auditores, quòd ineptijs meis patientem adeò præstitistis auditum. Patimini etiam hac simplici gratiarum actione, pro maximo beneficio minimum argumentum.

ALIA.

31 QVòd gratias beneficentiæ vestræ debitas non ago, me potius grati sermonis impotem, quàm animi habetote.

ALIA.

32 CLausulam Disputationi faciant gratiæ erga vos meæ, nulla verborum, aut temporum clausula continendæ.

ALIA.

33 FOuistis, vniuersi, partes Philosophiæ (*Theologiæ vel &c.*) meæ: seu aperto silentij fauore, seu simulata ad maius præsidium altercatione. Ipsa vobis Philosophia (*Vel Theologia, vel &c*) gratias referat, quas ego illius nomine ne agere quidem pares valeo.

ALIA.

34 GRatias Humanitati vestræ; Auditores, quàm maximas habeo; quàm minimas ago. Nam qui tacendo fauistis, frustrà ego loquendo meritum vestrum ornari posse confidam.

ALIA.

35 ATtentionis vestræ meritum, Auditores, diuitem me gratijs simul, & inopem facit. Abundant enim mihi, quas iure habeo: Sed quas dignè agam, nullæ suppetunt.

ALIA.

36 SI verbis metiendus est animus, ingratissimus ego mortalium videri possum, Auditores, qui vestris in me amplissimis meritis compellor tacitus respondere, cùm ne eloquens quidem possim.

ALIA.

37 QVantùm beneficio vestro debeo, Auditores, tantùm debeo decòri; vt ne Diuinum propè meritum humano meo sermone persequi tentem.

ALIA.

38 HÆreo, Auditores, vtrùm de more gratiarum actionem persoluam vobis, an supprimam. Vtrùm enim sit pluris, ingratum alijs videri posse, alijs prudentem, adhuc hæreo.

ALIA.

39 QVas habeo, non ago vobis, Auditores humanissimi, gratias: quasque ago, non habeo. Nam nec potest sermonis breuitate immensitas animi, nec huius immensitate illius breuitas adæquari.

ALIA.

40 HAbeo à vobis, Humanissimi Auditores, amplissimum mihi præstiti silentij veluti congiarium. Debeo itaque tribu-

tributum gratiarum amplissimum; Sed ego impar tantæ actioni exoluam congiario par tributum, pro silentio silentium.

A L I A.

41 PRouocastis, Auditores, gratias meas silentio. Ego igitur quo nisi silentio respondebo?

A L I A.

42 DIsputationis nostræ calor (vt videtis Auditores) nunc demum deferbuit, conciliatis ad veritatem doctrinæ partibus. At studium erga vos meum quibusnam possit siue actis, siue etiam relatis gratijs deferuescere, planè non video.

A L I A.

43 DIsputaui rationibus, quàm potui acerrimè, vt victor extarem. Nunc quid est, cur gratijs vobiscum disputem, Auditores, vestra obrutus, ne dum victus beneficentia?

A L I A.

44 IMmensas vobis, Humanissimi Auditores, habeo gratias, quas agam: sed quibus agam, verba non habeo.

A L I A.

45 QVàm diues mihi est in vos animus habitis, gratijs, tàm egens agendis lingua. Vos ergo Auditores ditissimi meritis, illius quæso copia huius inopiam compensate.

A L I A.

46 HVmanitas vestra singularis, Auditores, me disputantem benè sperare iussit: nunc desperare eadem iubet gratias meditantem. Ita me illic sua magnitudine mirificè subleuauit, hic maximè oppressit.

A L I A.

47 ADmiror fatum: vbi disputatione mihi tuenda dogmata, citra difficultatem (per vos quidem) succedere. Sed vbi citra disputationem testandæ in vos gratiæ, tantùm facessere negocium. Quàm est facilè, beneficium à vobis accipere, tam ipsum gratijs testari, difficilè.

A L I A.

48 INgratus vobis, Auditores, nisi gratias agam, videbor: Iniurius, nisi pares. Verùmtamen cùm nec valeat istud

oratio, nec illud animus patiatur, malo veniam à vobis iniuriosæ orationis petere quàm animi ingrati.

A L I A.

49 AD vestræ beneficentiæ radios (Præclarissimi Viri) vt facilè languescunt vix nùm gemmantes orationis meæ flosculi; ita erumpentes iam fructus animi in hortis Gratiarum vberrimi ad sempiternum decus vobis maturescunt.

A L I A.

50 PRo beneficijs acceptis habitas gratias, sin minùs referas, vt agas, indulget Natura. Ego pro collato in me beneficio vestro immortali agendis gratijs habitas faciliùs, lubentiùsque substituo.

Dedicandarum Thesium Formulæ.

1 ESt sanè prudentis viri, in inscitia veterum quærere documenta disciplinæ. Ego Philosophicas (*vel Theologicas, vel &c.*) Theses expositurus in vmbraculo literatorum discutiendas, daturusque sudorum meorum publicum specimen, cuiusnàm id nomini offerrem dedicatum, nisi tuo (Illustrissime Præsul) quem auctorem agnosco, fautorem colo curriculi huiusce, cuius iam metam, contingo? Doceor quippe exemplo Macrobiorum antiquæ gentis in Æthiopia, quibus solenne fuit, primitias florum, ac frugum consecrare Principibus Viris fato defunctis, quorum ideò condita vnguentis cadauera, ac pigmentis viuæ restituta imagini, erectoque situ conclusa asseruabant in pila è vitro translucida. Tibi verò Tutelari meo, ac Patrono non iam extincto, sed Cæli clementia viuenti, nec tam auræ vitalis vsura, quàm rerum gestarum gloria omni fato superstiti, has ingenij mei primitias, quamquàm non florentis adhuc, ne dum ad maturitatem concocti, sacratas volo, sempiternum obseruantiæ in Te meæ argumentum. Vale.

I T E M.

2 SIsto tibi has Theses, studiorum, quæ te auspice iniui, te fauente peregi, compendium, & quasi dixerim humanitatis in te meæ singularis imaginem. Non dubito, quin hæc tibi arrideat, sin mea minùs, tua certè causa, qui tua non amare non potes. Nam si perfectam ab se citra exemplar faciem virginis speciosissimæ nescio quis Pictor apud Aristænetum adamare cœpit, mox perditè deperire, adeò suomet opere, ignotæ quamquàm imaginis, est delectatus: Te, qui fructum. Hunc

Philo-

Philoſophicæ (*Theologicæ, &c.*) meditationis in me collectum agnoſcis tuum, ac tuæ humanitati totum acceptum refers, haud diffido, blandis luminibus, ne dum facilibus inſpecturum. Reliquum eſt, vt mihi eas theſes propugnanti præſto ſis, qui proponenti benignè ſic annuis. Vale.

I T E M.

3 NOn ineptè vſurpauerim (N. N.) quòd non inſulsè excogitauit Academicus magni nominis; indicaturus per ſymbolum, miſſionem eximij Viri in prouinciam; ſcilicet Cliuum florentem crebris violis, perflatumque Zephyro, cum adiecto lemmate: *Eminus vt oleant*. Siquidem eò peregrè miſſus ille putandus eſt afflante fauore Principis, vt virtutum ipſius in longinqua terrarum latè diffundatur fragrantia, quæ intra patriæ concludebatur pomœrium. Quamquàm autem reperet humi ingeniolum meum; beneficio tamen tuo (Vir magnanime) ac patrocinio excitatum, vbi coæuorum ingenia excelſis nixa ſpiritibus in ardua montium iuga conſurgunt, meum contrà æquare vix potuit cliuuli dorſum. Neque tamen eſt, cur in hoc fortunam incuſem quaſi largam reliquis, auaram mihi; quippè Zephyrum fauoris tui longè gratiſſimum proſpexit tenuitati meæ; quo flante, & floſculis iam aliquantulæ doctrinæ in hac Philoſophica (*vel Theologica*) cultura inſtructum me video, & fragrantiæ nonnullius diffundendæ ſpem in corona literatorum diſputantium conceptam habeo. Cuius vt compos fiam, benignitatem tuam ſingularem etiam, atque etiam rogo. Vale.

I T E M.

4 INiturus aperto campo Philoſophicum (*vel Theologicum, &c.*) prælium, excepturuſque validiſſimum impetum, iubeor mehercule vmbonem mihi tutum proſpicere: vt, vbi prouocatos, aut ſubita impreſſione correptos facilè quis excuſat, incuſans Sortem, ſi ſe viderint immunitos: Ego, qui vltrà prouoco, & indico congreſſum, temeritatis notam inſaniſſimæ, ne contraham, non benè præmunitus. Itaque circumiectis oculis cùm in tanto diſcrimine nullum habuerim obuium, cuius auctoritate, ac fauore tutiùs protegerer, præter Te (Vir ſpectatiſſime) ſecurus propterea Tuo nomini committo fortunam meam, Tuæ gloriæ conſecro exemplum hocce ſudatæ meditationis meæ in puluere Philoſophico (*Theologico, &c.*). Nec metuo tanto auſpice, periclitari, quas conatus ſum, ingenij vires colligere: quamquè mea mihi imbecillitas detrectat victoriam, ſubſidio

tuo

tuo peropportuna, Mecænas optime, despondere. Restat, vt huic fiduciæ meæ tua non desit humanitas, quòd quidem desperare me non patitur summa ista beneficentia, qua neminem vèl ignotum finis abire vacuum. Vale.

I T E M.

5 DIsceptationis meæ editurus periocham, etsi diù consultandum non habui, cuius illam commendarem patrocinio, quippè Tu statim (Vir clarissimè) occurristi vel vnicus, vel princeps inter Mecænates, claritate natalium, multiplici eruditione, rerum gestarum gloria: Tamen quantùm ego istiusmodi inuitabar ornamentis, tantùm retrahebar tenuitate mei operis. Versabam animo grauissimas tuas curas, præ quibus hæc mea mirum quantùm desidet, vt ea non iudices pretium istas interpellare. Intelligebam inclyto tuo nomini locum improbè dari in breuissimo vnius paginæ, quòd prææltis dedicandis voluminibus par est. Verùm euicit illa cogitatio, & nutantem animum de facili confirmauit, quòd Amplitudini istius nominis benè congruit dignissima disciplinarum Philosophia (*vel Theologia*) quæ huic paginæ præfigit titulum: Neque id solùm; sed inter summas virtutes tuas, haud postrema est magnanimitas, quæ vèl exigua munera magno cum affectu oblata pro magnis accipit: Vt hoc quoque obseruantiæ in Te meæ maximæ minimùm argumentum non nihili abs Te faciendum esse confidam. Vale.

I T E M.

6 SOlent picturæ studiosi, quorum animos pungit æmulatio, vbi tabulæ manum postremam adhibuerint, cum exemplari conferre, vt in contentione gloriæ obueniat illi principatus, cuius opus ad id accessisse propiùs sit compertum. Triennale ego studium cùm impenderim Philosophiæ (*vel Theologiæ*) eo animi proposito, vt in mentis meæ tabula, quantùm ingenioli vires darent, effingerem præceptorum pigmentis, penicillo meditationis speciosissimam imaginem huiusce disciplinæ, quid erat reliquum, nisi vt collatam cum exemplari probarem, quanti denique mea esset industria? Atque hoc non aliter efficere profectò poteram, quàm has Theses disputationi publicè propositas tuo nuncupans nomini. Tu enim is es, qui summorum Philosophorum (*Theologorum*) placita, non cognitione modò comprehensa, sed actione quoque, ac morum compositione expressa exhibens prototypus, ac exemplar viuum suspiceris, quocum studiosissimus quisque huiusce disciplinæ, ne dum ego

ego infimæ notæ homo, collatus, quantùm profecerit, promptum habet dignoſcere. Non igitur deſpicies, ſpero, conſilium meum, niſi Temet deſpicias, qui tuam in hac Theſium tabula deſcriptam imaginem agnoſcis: Neque ſi donum accipis, donantem repudiabis, cuius in pectore ſingularem nominis tui obſeruantiam perſpectam habes. Vale.

I T E M.

7 PHiloſophia cùm animum formare mihi propoſui, non temerè ſum arbitratus, Regiam quaſi Aulam in memet extruere: quippè neminem iuſtiùs, quàm Philoſophum decere Regale ſolium, probauit exemplo ſuo erudita, & vèl hinc maximè veneranda antiquitas. Diuinus quoque Plato Rempublicam ſenſit beatam fore Philoſophis Regibus, vel Regibus philoſophantibus. Ergo huic Aulæ quàm fecerim ego frontem, niſi hanc ipſam variatam doctrinæ poſitionibus tabulam? ſcilicet per eam pateſcet ingreſſus, luſtrare interiora volenti, & ſi quid demùm in eiuſmodi commentatione perfecerim, intelligere. Ac quemadmodùm Ædium Regalium fores exornari ſolent columnis, coronis, tympanis, alijſque exquiſiti operis molibus, & quorum magnificentia, non tam oculos in ſe conuertat ſubeuntium, quàm in venerationem Auguſtalis colligat animos: idipſum putaui obſeruandum, huic fronti tuum inſculpens nomen (N. N.) cuius eſt tanta dignitas vbique gentium, Academiarum præſertim, diſſipata, vt operi cuilibet exiguo, obſcurique nominis homini contrahere ſplendoris plurimum poſſit. Efficiet illud quoque, vt curioſi luſtratores, qui propterea frequentes aderunt oppugnaturi, ipſo in limine tuum conſpicati nomen, minùs forſan abiectè ſentiant de Mentis penetrali. Dum autem externa in fronte huiuſce tabulæ tuum pateris inſcribi nomen, ſimul ipſum in intimo pectoris inciſum ſcito, characteribus obſeruantiæ, & amoris ſempiternis. Vale.

I T E M.

8 PRæſto ſum prouocaturus non neminem fortis meæ. Libellus hic ideò prodit. Quòd leges Principum, quòd ſanctiones Pontificum, quòd ipſius iura Naturæ proſcribunt, execrantur, exhorrent, armis gerendum ac Marte; hoc literis, ac Minerua conſerendum certamen ſingulare, approbant boni, ſuadent ſapientes, honeſtant nationes. Illa quoque, vndè præliare deterius fit, literale commendabilius, ac ſanctius efficit, loci, temporis, modi conditio. Itaque nec campus vmbraculo Academico nobilior, nec tempus hodierno, in frequentia

quentia tanta celebrius, nec modus categorica demonstratione Peripateticis tutior. Quid erat reliquum, nisi vt suum partes deligerent patronum, cuius nutu negotium hoc feliciter vertat? At mihi quidem non longè quæritandus fuit multò optimus: Te vnum in paucis patronum supplex adopto (clarissime Vir) cuius per omnes Academias volitans nomen nostra suspicit ætas in Templo famæ dedicatum. Ne igirur stare à me graueris, quamquàm à tyrone veteranus, ab rudi sapientissimus, ab obscuro inclytus: hæ demùm patroni sunt partes: & , non si sapientiæ quis compos sit, sed si modò studiosus, Mecænates sibi conciliat. Ita tuo fretus patrocinio inibo certamen securus, nec sudorem frontis pacisci metuam pro laurea victoriæ. Vale.

I T E M.

9 PEruagaui instar apis philosophicum rosetum (N. N.) alis subnixus, hinc ingenioli mei, indè oraculi Doctoris huiusce ætatis facilè principis. Haud miraberis, credo, contulisse me hoc loco scientiarum parentem cum roseto; in ea quippè, vt non desideramus flores, ita fruticare spinas aduertimus. Delectat, mirum quantùm (quis neget?) mentem philosophantis inuestigatio arcanorum Naturæ, exploratio abditæ veritatis: sed quàm multos interim in dumos controuersiarum offendimus, qui florum delicias importunis corrumpunt aculeis? Itaque delibare succum non licèt inoffensis, quamquàm indè forte dulcius mellificium. Vt vt sit; en hoc velut aluearium meum succo philosophico fœtum tibi offero. Quàm dulce in mel euaserit, tuum fuerit dijudicare, dum ego inita disputatione præbeo degustandum. Vale.

I T E M.

10 ARgumentum hoc publicæ disputationis Tuò nomine præfixum edere, non tam suadeor, quàm compellor (Illustrissime N.). Sic enim existimo, excultum principio doctrinis animum quendam esse quasi agrum subnascente segete intempestiuè lætum, cuius ad luxuriem cohibendam, simul & radices altiùs figendas in largiorem messem facit mirificè rigor niuium incubantium, quæ dein flante Fauonio è fatis diffluentes, ridentem vt nunquàm antè, restituant agri faciem. Haud secus præcocis disciplinæ ingenium amat fœcundari seueritate disputationis, publicæ in primis, cuius pretium est existimatio, & nominis dignitas; sic firmiùs mandari animo concepta semina in spem vberioris sapientiæ. Verùm inter hos disputationis

tionis rigores aspiret, oportet, Fauonius aliquis, ex quo propugnator ipse respiret: patronus inquam exigitur, cuius ille aspectu, cuius nutu animetur. Quem verò ipse præstoler alium clementiorem Fauonium, quàm Te (Illustrissime N. N.) qui mihi auspicium ad hoc negotium literarium fecisti ad hanc diem prosperrimum? Amo benignitatem istam in omnes promiscuè pronam: quàm verò immerito mihi vltrò impendisti, etiam atque etiam obseruo. Te itaque nunquàm non fauentem mihi, quidni Fauonium meum exorem? Quidni aspirante Te confidam, omnes impugnantium niues illico dissipatum iri, dictumque cum lyrico vate: *Diffugere niues, redunt iam gramina campis, Arboribusque coma?* Vale.

I T E M.

11 Tandem triennalis in philosophico (Theologico) campo culturæ, quantùm mihi licuit, fructum promo, ac Tibi meritissimo tutelari pronus consecro. Incusabit quis fortè tarditatem meam, sed perperam. Habet Natura ipsa ludens in pomarijs alias, & alias arbores, præcoquas, serotinas, suam quamque in specie, generosas: Habet Amygdalum, habet Moram: sed illius festinatam germinationem retrogredæ sæpè hyemis censura stringit; huius lentitudinem Elogium commendat summæ inter arbores omnes prudentiæ. Fructus itaque cito, si tuto, eruperint. Obijcietur certè quidem cruditas in meis, sed Sole calente concoquentur. Has ego partes à te supplex expeto, qui studijs meis benigno semper lumine adfuisti. Vale.

I T E M.

12 Tibi (Vir Illustrissime) has theses nuncupo per me propugnandas, indices illius fructus, quem curriculo peperi triennali (*vel biennali*). Haud equidem dissimulo imbecillitatem meam, nec tamen suauitatem fructus aliquantulam despondeo. Quid enim (in id exemplum) si vitem obserues, eius caule infirmius, qui reputando natus est? quid porrò vuis iucundius? Vlmo alicui, fac, illa nupserit, en, vt surgit lasciuiùs, vt fœtificat nobiliùs? Scilicet meæ ipse conscius humilitatis, tuum conquisiui nomen, cuius excelsitati fortunandus committerer. An verò grandiore istud fama attolli possit tam multis celebre titulis, præditum ornamentis? Ex quo iubet illa silere me hoc loco tuorum claritatem natalium, splendorem fortunæ, nobilitatem institutionis, felicitatem progressus, gloriam denique eruditionis, qua tantùmdem æquales superas,

quantùm summum, quemque priscorum exæquasti. Ne renue igitur fulcire iacentem facultatem meam ad disputandum, præsentia tui nominis, cui vna cum Thesibus ingenium meum, ac studia voueo, consecroque. Vale.

ITEM.

13 PRouoco duos simul hoc vno libello, æquales meos non tantùm, sed Te quoque, Vir Egregie; & quidem ad certamen. Quòd primùm æquales, promptum habes, ad literarium (*vel Philosophicum, vel Theologicum, &c.*). Scilicet hoc facit æmulatio, nec sine fœnore; nam si contemplatione paritur sapientia, oppugnatione adolescit. Quòd deindè Te, quòd tam bene de me meritum, quid mirere? Ego nullius meriti conscius, studium ipsum tuum in me, beneuolentiam, beneficentiam, non ingratum puto prouocare ad merita tibi maiora congerenda, ad meam tenuitatem, inopiam, imbecillitatem in hac publicæ disputationis alea, hoc est in summo dignitatis discrimine iuuandam, subleuandam, erigendam. Hoc enimuerò certamen nobile, nullius quippè iniuriæ, multæ autem gloriæ; mihi verò spei maximæ ad fructus studiorum aliquos demetendos. Vale.

ITEM.

14 EST, cur gratias agam maximas fato meo, quòd exoptatam diù obseruantiæ in te meæ testificandæ tandem aliquando occasionem hanc obtulit. Theses Philosophicas (*vel Theologicas, &c.*) editurus cum inscripto patrono, nec maiorem equidem alium, quàm Te reperire potuissem, nec opportuniorem excogitare. Nam quòd Auctor non consilio solùm, sed exemplo mihi extiteris studia hæc seueriora ineundi, persuadens auctoritate, excitans gloria parta; vni Tibi omninò profectum meum proposito hoc argumento disputationis acceptum referre oportuit; &, si quid indè nominis conante ingeniolo meo collegissem, in Temet refundere. Ita nimirùm *ad locum vndè exeunt flumina reuerti* obseruat Sapiens: Et quando ex tuæ sapientiæ pelago meus hic, vel fluuius, vel riuulus exitum inuenit, in sinum tuum recurrat, necesse est. Excipe igitur libens, quòd iure Tibi cedit; nec intuere vt extraneum, quod natum ex te est. Vale.

ITEM.

15 QVòd est de more postremùm studiosis scientiarum, propositis summis capitibus publicam disputationem conferere, Ego primùm habeo, vt mea tibi consecrem, Vir Illustris-

Illustrissime. Ex quo enim inclytum tuum nomen insonuit mihi, simul aditus patuit in gratiam, in clientelam tuam tam pronam illam, tam splendidam istam, vt nihil iam, quòd cerneres in rem meam vertere, efficere non posses; nihil quòd posses, non efficeres. Numerarem hoc loco beneficia tua, ni omnem excederent numerum. Sed ea licebit cuique consequi, cui non ignota fuerit tuæ gentis claritas, quæque ipsius velut hereditarium patrimonium censetur, Magnanimitas. His autem tantis, ac innumerabilibus meritis cumulum illum scito fore, si publicam testificationem obseruantiæ in te meæ hisce Thesibus nuncupatis, quo semper soles, lumine sereno aspexeris. Vale.

ITEM.

16 QVòd ex modestia dictabat Pythagoras, Philosophum se, non sophum esse, hoc est non sapientem, sed sapientiæ dumtaxat amatorem: hoc ex conscientia quantò iustius mihi vsurpabitur, qui quantùm intenderim neruos ingenij omnes, vt in adyta sapientiæ penetrarem; tamen in limine ipso constiterim, aut veriùs vix ipsum procul salutauerim limen. Ita sapientiæ nil præter amorem mihi arrogauerim. Vtcumque autem; in magnum cedit mihi commodum hæc infelicitas, quæ dum amore persequitur sapientiam, in eos viros incidat, oportet, in quibus ea sedem habet. Te verò (Virorum Maximè) quòd ego breui gradu offenderim, ne mirere; tuo enim in pectore sedet, imò regnat, sicubi vnquam, Sapientia. Quare cum ipsa cultorem quoque eius, ac possessorem non possum non colere, citraque arrogantiæ suspicionem, Amatoris titulum Sapientiæ simul atque Sapientum mihi vendicare. Gratiam ergo feceris audaciæ, quòd hanc tabulam disputandarum Thesium Tibi potissimùm dicandam putauerim: neque enim sum dubius, quin amans ipse Sapientiæ, quæ in tuo est ære, Tui quoque amantes, illius gratia complectaris. Vale.

ITEM.

17 ANimaduerti (Illustrissime N.) magnanimis Viris tanti esse virtutem, vt non ipsi eam peperisse contenti, in alijs quoque conceptum dumtaxat illius studium omni genere officij persequantur. Hinc illa opum profusio tam frequenti Scriptorum Elogio per omnes ætates in alijs atque alijs Dynastis celebrata ad alendos in ingenuorum adolescentum pectoribus igniculos gloriæ, quàm equidem vna conciliat virtus. Hinc Mecænatum appellatio à principibus Poëtarum consecrata, tam

 obserua-

obseruata hominibus arctæ fortunæ, quàm amplæ affectata: Nec adhuc liquet, vtra sors felicior; quando nec illis restat, quòd metuant ab egestate; nec his, quòd ad splendorem nominis desiderent. Id quòd facilè mihi persuasit, harum Thesium haud ingratam tibi fore dedicationem, vt in quibus ipse omnis virtutis ornamentis diues, agnoscis non obscurum vestigium diligentis virtutem animi, & conatus comprehendis ingenij mei triennio (*biennio, &c.*) toto collatos ad virtutum parentem Philosophiam consequendam; tametsi demùm frustratum in parte maxima perspexeris, & vix Philosophi, hoc est amatoris sapientiæ nomen adeptum. Ast amatum iri abs te confido amantem illius, quàm Tutè citra Zelotypiæ sensum vnicè amas, Sapientiæ. Vale.

I T E M.

18 QVòd nomen tuum præclarissimum huic paginæ, studiorum meorum quasi tesseræ prænotandum putauerim, id ne audaciæ, sed fiduciæ potiùs tribuas, velim. Quantùm enim formidinis ingerit homini in discrimen existimationis dubium ituro, suæ conscientia tenuitatis, tantùmdem spei ipse monetur in patrono aliquo quàm maximæ auctoritatis collocare. Te verò (N. N.) Musarum Præsidem, ac summum Reipublicæ literariæ Dictatorem quidni ex omnibus patronum exorarem publicæ meæ disputationis, & quidem maximè fidens? Nam, si pro laborantibus naturalis est fauor (teste Fabio Inst. orat) certè nec me pumilione cum gigantibus congressuro vllus magis laborat, nec in Viro ad munificentiam nato, qualem Te ætas nostra suspicit, magis naturalem præstolari fauorem mihi fas est. Erit igitur eximiæ humanitatis, disputandam per me materiem admisso tuo nomine decorare: erit magnanimitatis disputationem ingresso, præsentia ipsa subuenire. Vale.

I T E M.

19 PRæfigo pagellæ huic meæ clarissimum tuum nomen, (N. N.). Ne tu mihi temeritati verte. In oculis ferri Amicus quisque deposcit: Ego Te Dominum cur non potiùs tollam in fronte? Ambit Regum frontem aureum, ac gemmatum Diadema, quo detracto esse desinunt Reges. Nomine hic tuo cùm mihi adorno frontem, planè regnare videor; adeò istud est splendidum, vt, vndè patrocinium affectabam tuum, Regnum ipsum mihi cedere putem. Intelligant hinc, licebit, cultores scientiarum, quæ sit clientum tuorum fortuna. Sed ne-

mo hoc habet diù inquirendum, cùm nemini comperta non ſit celebritas iſtius nominis, & quàm partam habes in publicis quibuſque Academijs, ac cœtibus literatorum, auctoritatem. Cæterùm quæ me fiducia iſtuc adduxit, tu ne vacuam, aut irritam eſſe patere. Vale.

I T E M.

20 OBſigno lucubrationes meas Philoſophicas (*Theologicas*) effigie ſummi capitis; tuo, inquam, nomine (N. N.) quòd vbi auditur, ingerit mentibus exemplar omnium ingenuarum artium ex omni Republica literatorum expreſſum. Teſtis eſt patria, quæ Te emeritum penè antè ſpectauit, quàm tyronem; quæ adoleſcentem iam viros prætergreſſum doctrina; quæ alijs laureandis arbitrum vix lauream conſequutum. Teſtes æquales tui ſtudio virtutis ſemper impares; ſodalem ſortiti, admirati magiſtrum; nec tam ad philoſophiæ præcepta proprios componentem mores, quàm moribus proprijs tradentem philoſophiæ præcepta. Nunc verò ad id ætatis prouectum Patria vniuerſa Præſidem literarum, animorumque arbitrum colens facilè perſuaſit, nulli me iuſtiùs hauſtos in ſcholis labores conſecrare poſſe, quàm tibi; quem præſertim humanitate Principem, ne dum eruditione, haud ingratam obſequij mei ſignificationem hanc habiturum eſſe certò ſcio. Vale.

I T E M.

21 NOn parui fuerit viris prudentibus, quòd ego tam paruam in tabulam nomen tuum ampliſſimum cogendum putauerim. Magnis illud voluminibus magna commendent ingenia: meum ſiquidem ingeniolum aut paruo contentum eſſe volo; aut in paruo (ſi fas eſt) magnum videri. Ne tu (N. N.) id effatum inſcitiæ verte, aut multò minùs temeritati. Id enim vt audeam, Tua ipſius facit amplitudo, quæ iam tantùm increuit, ſiue literarum omne genus gloria conſideretur, ſiue parta cum virtutibus heroicis auctoritas, ſiue excitatæ paſſim tuo nomini à totis cœtibus ſapientum acclamationes, & plauſus, vt minùs ampla videri ea poſſit, ſi Templa ſolùm ac fora, non etiam ſinus, & angulos, cuiuſmodi pagella hæc eſt, impleat. Vale.

I T E M.

22 CIngendus propediem corona Philoſophorum (*vel Theologorum, &c.*) præſto ſum his Theſibus coronatus, quibus laureæ præiudicium nanciſcar. Sed hæ per ſe obſcuræ

paruerint, nisi gemnia illuminet. Quæ autem lucidior nomine tuo gemma (Vir inclyte)? Cuius clariores natales, illustrati tanta eruditione, virtute, sapientia, ac rerum heroicarum gloria? Ne igitur mireris, in istud me oculos conuertisse, vt qui laudem ingenij nullam præ me fero, prudentiæ aliquam certè conquiram; nomen tuum delectum volens, non iam ex multis (cum paucis quippè ætatis nostræ ipse congrederis) cui theses consecrarem meas, ac futuræ disputationis fortunam certò auspicio commendarem. Vale.

I T E M.

23 VT Tibi (N. N.) meas Theses nuncuparem, ordinauit planè fatum. Virtutis indices hæc sunt, sapientissimi nostræ ætatis Doctoris, quem ingenio meo erudiendo arridentia sidera prospexere; vt ex his summis capitibus tractatæ ab ipso subtilitate incomparabili Philosophiæ (*vel Theologiæ*) veluti ex vngue leonem hunc arguas, verendum feris, hoc est sapientiæ aduersarijs, & Cathedras Doctorales melius quàm saltus implentem eruditissimis vocibus. Tantæ autem Virtuti Fortuna par adiungi debuit comes: id quòd omninò successit te patrono oblato, cuius tanto amplior dignitas, quanto tenuior mea conditio. Cui enim mortalium ignota est istius celebritas nominis, aut quis recessus tam abditus, quò non illius fama peruaserit? Quare certantes ad meam felicitatem cùm videam non sine admiratione Virtutem atque Fortunam, & gratias ago Fato meo, quàm maximas & Te, Vir Magnanime, vt mea magis prouocatus humilitate vota promoueas, etiam atque etiam exoratum velim. Vale.

I T E M.

24 POsitiones meas publicæ disputationi destinatas cùm tibi nuncupo (N. N.), non tam meas trado, quàm reddo tuas. Auctorem Te, ac promotorem studiorum meorum nisi profiteor, parentem Solem huiusce meæ, qualis qualis, lucis in orbem Philosophico (*Theologico*) conceptæ impius, ne dum insanus nego: Tuas ergo in manus eæ lætæ conuolant, agnoscunt beneficas, osculantur, seque ipsæ constituant tributarias. Tu quidem certè respuere non poteris, quòd tuum est; nec, quòd ex te profectum, negligere, ac Temet in me non amare. Vale.

I T E M.

25 PRæsto est tibi salutabunda Philosophia (*vel Theologia*) mea in breui pallio; prensare discupiens manus istas,

quæ

quæ stylum non minùs doctæ sunt tractare, quàm ferrum; quibusque par est felicitas, scribenda facere, ac facienda scribere. Palladi vota fecerint prisci, Præsidi armorum, ac literarum, Numen volentes, non hominem esse, in quo ista concurrerent. Te quidem illi si reuiuiscerent, gemina laude florentem conspicati, aut rediuiuam Palladem crederent, aut Numine esse posse hominem maiorem. Nostra certè ætas facilè inuidiam haberet antiquitatis, nisi hæc eo commento gloriaretur descripsisse nobis typum, atque honore Diuinitatis adiecto subdidisse nobis ad imitationem stimulos. Ergo tibi nostrati Palladi, quà quidem præsides literis, votiuam hanc Positionum Philosophicarum (*Theologicarum* tabulam pronus appendo, relicturus bellicosis locum ad suas partes. Vale.

I T E M.

26 ERe tua esse dicam (Vir amplissime) vt hæc Positionum per me disputandarum series dicata tibi prodeat. Ne dictum hoc accipias de illorum genere, quæ adoxa vocitantur: quasi ego illuminari solem facula, aut, riuulo augeri Oceanum posse, nomenque tuum celeberrimum per ora mortalium celebrius iturum esse contendam, si huic volanti paginæ commendetur. Quid enim ab homine limen iam tùm terente sapientiæ, Antistes ipse, ac Præses expectet dignitatis? Sed illa ratio interesse Tua probat non parum; propterea quòd non illi solùm de re literaria optimè merentur, qui literarum omnium opes sudata fronte partas ostentant; verùm & maximè, quos studiosi atque tyrones in literis patronos atque adeò patres experiuntur: Vt illa demùm summa prodatur gloria sapientum, quæ hominem non tam in se diuitem sapientia, quàm alios fauore, atque opera ditantem commendat. Eum porrò te prorsùm esse, Vir ornatissime, hac mea nuncupatione professus, neque idcircò ingratum tibi obsequium meum, neque otiosum mihi patrocinium tuum fore confido. Vale.

I T E M.

27 EN tibi (Vir egregiè) primitias laborum meorum. Seuisti exemplis in meo pectore amorem sapientiæ, fœcundasti consilijs, fouisti fauore, consequens fuit, vt ad maturitatem perductos primos fructus tibi ipsi offerrem vel censum, vel obsequium. Decumanos ergo ne expecta; soli quippè infelicitas cum industria culturæ colluctans vetat sperare. Neque illos tamen, acerbos licèt, reiecturum te puto, immò verò gratiores palato fore, tua conditos benignitate. Eò siquidem

quidem deuenit artis lasciuia, vt ipsa pomi austeritas iucundiora maturis acerba, si saccaro castigetur, reddat. Vale.

I T E M.

28 THeoremata Philosophica (*vel Theologica*) à me defendenda, meam simul in ijs defendendam dignitatem libens committo authoritati tuæ (Vir Amplissime). Est enim tanta vbique gentium fama sapientiæ tuæ, tantus in te prædicatur cumulus ingenuarum omnium disciplinarum, vt illarum aliquàm oppugnare possit nemo, qui Te non oppugnet: nemo Te oppugnare, qui non semet hostem prodat sapientiæ infensissimum, ac nostræ ætatis Thersitem Achille dignum. Non negem ambiguam in multis partibus reddi sapientiam, & in luce veritatis offerri sæpè crepusculum, in quo alia alijs ingeratur, & sæpè pugnans opinio; sæpè etiam aliquam nonnulli oscitantes allucinentur. Sed hoc, habeo ego, cur in præsentia minimè reformidem: quippè versatus sum in meridie ipso, circumfusus radijs Præceptoris sapientissimi, cuius, quàm propono propugnandam doctrinam, sanissimam esse, sani quemque iudicij virum probaturum scio. Illud modò est, cur verear, ne susceptum munus pro dignitate obeam, & instituti à summo sapiente discipuli impleam partes. Id quòd aura tua abundè præstabit, si me tuos inter clientes censere non dedignaberis. Vale.

I T E M.

29 SVmma hæc doctrinæ capita disputationi publicæ proposita non dubitanter tibi committo, Vir ornatissime, qui nihil pendis, nisi summæ prudentiæ trutina: Neque molem rerum attendis, sed pretium: Non specie te externa falli sinis, non lenocinijs capi, qui res introspicis penitùs, & quòd bonum cum honestate iunctum, id demùm habes pulchrum. Disciplina scholastica nihil est castius, nihil à fuci suspicione, cui amœnæ literæ plerumque obnoxiæ sunt, alienius: Ad summum nihil dignius Viro graui, qualem Te Respublica literatorum suspicit: Nec officit breuitas huius pagellæ, aut oculis tuis minus digna redditur; vti neque auro inclusus lapillus, aut inaure vnio, suo caret pretio, oculosuè fugit Augustarum. Vale.

I T E M.

30 ERigo tandem ab extincto pertinacibus studijs monstro ignorantiæ hoc quasi trophæum Philosophiæ (*Theologiæ*) meæ: sic enim appellare lubet placita hic descripta: Et quamquàm

quàm non indictionem certaminis inter Sapientes nimirùm conferendi; haud dubij tamen exitus, omninòque certæ victoriæ. Quos autem, & quantos in eo negotio labores Herculeo nisu deuorauerim, intelliget facilè, quisquis mei tarditatem ingenij habuit cognitam. Nec porrò sapientum congressus formidolosus, quantùmuis aspectus ipse grauis: quando ij à nobis sunt, eundemque in hostem coniurati. Ingerent ambiguitates, vt veritatis notitia certior fiat. Offundent tenebras, vt illius lucem faciliùs explicent. Molientur obices, vt ruptis triumphet potentia. Denique veritatem ipsam oppugnantes pulcherrimè propugnabunt, amice infensi, discordes concorditer. Te dumtaxat aueo nancisci, Præsidem; atque huic Trophæo non magis Philosophiæ (*Theologiæ*) victricis nomen, quàm tuum incisum legi. Vale.

DEDICATIO PANEGYRICI SACRI.

De Diuo Octauio Martyre.

Ad Octauium Asinarium Episcopum Hyporegiensem recèns creatum nomine Academiæ Infocatorum Mediolani.

Plausus, quibus Te Aula Romana nuperrimè inauguratum accepit, Illustrissime Præsul, dissipato rumore facilè ad nos primùm deuolarunt, quos tui obseruantia nominis minimè in postremis habebas. Vnus itaque incessit omnes applaudendi tibi genius, sed diuersa, aliud alium, distrahebant studia. Etenim siue familiæ claritas persequenda offerret se se, id quàm luculenter Academiæ nostræ moderator, ac tui cum primis studiosissimus (N. N.) in Alphonsum Gentilem tuum Academiæ Astensis Principem renuntiatum paucis ab hinc annis perfecerat: siue occurrerent tua ipsius ornamenta, & exaggeratus magnis periculis virtutum heroicarum cumulus; certè rara ista in tam florente fortuna moderatio animi, & verecundiæ rubore suffusa oris maiestas vèl absentis laudem, ne dum præsentis refugiebant, qualem te vulgato mox aduentu summis votis præstolabamur. Ergo rem maturantibus subijt opportunum consilium, quo simul vtrumque integris omnibus præstaremus. Nam & Diuo OCTAVIO panegyricum Dictionem decreuimus ad te habendam, vt in illo non tam nomen agnoscas tuum, quàm perstrictas virtutes ac merita citra pudorem leges: Et, ex omnibus Acade-

micis Georgium potiſſimè è familia tua, atque e ſodalitio ipſo, quòd hactenus profeſſus eras, delegimus, qui communi nomine officium perſolueret, vt vel hoc ipſo ornatam familiam videas, quòd altercantibus de ambitu honeſtiſſimæ prouinciæ collegis, in vno tandem gentili tuo vota omnium conquieuerint. Rudis videbitur Dictionis character, & palato tuo delicatiſſimo planè iniucundus: quippè vrgente nos tempeſtiuò iſto aduentu nondum concoctus. Sed illum partim ſanctitudine argumenti; partim humanitate tua facilè condies; nec penſum potiùs in nobis, quàm ſtudium æſtimabis. Vale Kal. Febr CIↃIↃC......

DEDICATIO PANEGYRICI ACADEMICI.

De Alphonſo Aſinario Principe Palladinorum creato nomine Diſcipuli ad Ioannem Baptiſtam Alferium.

Dictio, quàm habui publicè in Academia (Vir nobiliſſime) mox typis excuſa prodit. Id ego (fatebor ingenuè) ſponte facio, & ex animo: non precibus cuiuſquàm adductus, non conuitijs fatigatus, non coactus imperijs, vt in re ſimili ſolemne eſt multis præfari. Neque ideò arrogantiæ notam reformido, quaſi conſummatum opus oſtentem, ac luce dignum, quòd & acerbum eſſe ipſa ingenij ſterilitas, & planè præcipitatum anguſtiæ temporis probant. Sed illa iam fato ſuo, cùm haberetur, functa eſt: quò nunc minùs diſpudeat in communem ſe conſpectum efferre, quando non erubuit in conuentu florentiſſimo ingeniorum palam ſe ſe exhibere ſpectandam: Et quæ non timuit doctiſſimorum virorum ſubire præiudicium, fruſtra inſani vulgi cenſuram perhorreſcat. Itaque non veretur ex vmbraculo exilire protinus in apertum Solem; nam nec quidquàm reperit illa vmbra ſplendidius, nec in iſto Sole magni alicuius Viri, qua tutò ſe protegat, vmbra deerit. Quòd herclè ad te confugiens, feliciſſimè conſecutus viderer, ſi hoc ipſum in primis conceptum animo fuiſſet; Quippè Virum illum ſum nactus, cuius non tam protegi vmbra humanitatis, quàm ſapientiæ fulgoribus illuſtrari mirificè poſſim. Sed ea mihi mens fuit, vt in Alphonſum Principem ornamenta conferrem, nec intra huiuſce Academiæ, aut Ciuitatis, terminos laudationem concludi paterer, ſed latiùs amplificare contenderem, vulgatiſque exemplis efficere, vt gloriæ meritiſſimi iuuenis nemo non aut auditor, aut ſpectator exiſteret. Hanc verò lucubratiunculam meam

cui

cui potiùs, quàm Tibi nuncuparem? Te enim ille non modò coniunctum sanguine, sed etiam tutela patronum, beneficentia patrem agnoscit. Dicerem & supra patrem, quando eius demortui desiderium egregia tua cura sustulisti. Quare, non alienas, sed tuas ipsius laudes offerre videor, in quibus ipse tantam tui partem conspicaris; neque magis exhibere donum, quàm debitum reponere. Accedit illa quoque non leuis causa, quòd ego huius gymnasij discipulus, alumnus quodammodò tuus censeri possum. Maxima enim opera tua, consilioque factum est, vt publici gymnasij moderatio committeretur Patribus Sodalitatis Diui Pauli, & ex eorum dexteritate ac diligentia singulari tantus literis ac moribus cultus, iuuentuti prouentus, Ciuitati splendor accederet, quantùm in dies nemo non videt. Hoc ipsum tu Patribus, tibi Ciuitas refert acceptum. Nec te modò studiosissimum sui prædicat, quòd à Consilijs, quòd Syndicus alterno semper officio constantem sibi operam nauas; sed etiam Patrem fatetur Patriæ, quòd per te vaga iuuentus, & ludibrio Fortis exposita nacta sit optimos Patres, quibus ad pietatem & eruditionem egregiè informetur. Spero, non ingratum tibi fore studium meum, neque inuisos hosce laborum meorum acerbos quidem, sed tamen primos fructus, quos in tuo ipsius fundo decerptos promptè voueo. Astæ......

DEDICATIO DICTIONIS ACADEMICÆ.

Nomine Discipuli.

Ad Antonium Prouanam Archiepiscopum Dyrrhachiensem.

IN solemni Academiæ instauratione (Præsul amplissime) cùm me A secretis assumpsit Octauius Pelletta, adolescens huius Gymnasij non minus antiquitate morum, quàm recenti dignitate Princeps, iussus sum exhibere me palam spectandum, & quid ipse in contentione gloriæ inter condiscipulos nuper excitata sentirem, pro concione proferre. Ego studijs meis præclarè consultum intelligens, quòd ad scribendum vocatus, dicendi quoque prouincia honestissima decorarer, subij libenter id onus; sed & fato meo gratias egi quàm maximas, quòd optatissimum commodum tandem fecerit, voluntatis erga te meæ publicam aliquam significationem exhibendi. Dolebam equidem Ioannem Ambrosium germanum meum defunctum, non tam ereptum

mihi, quàm Tibi, cui vnà se cum Philosophicis thesibus iam deuouerat. Sed nequaquàm potuit antiqua illa obseruantia vel ipsius mortis iniuria violari. Ita & viget adhuc Fratris mei studium, quamquàm facto interstitio funeris, & magna mihi hereditate cessisse visus est, cùm sua quæque debita erga Amplitudinem tuam transmisit, vt in magnitudine æris alieni omnium commodorum rationem fructumque nanciscerer. Sed ille auspicijs tuis Philosophicum cursum absoluerat, Ego Rhetoricum penè instituo: Ille maturitatem obtulerat frugum, Ego primitias consecro: Ille ad Actum studiorum extremum (heu cum vitæ fabula) venerat, Ego vix scænam ingredior, & nunc primùm acturus in pleno theatro, siparium aufero. Præiudicium ergo facio, ne consummatum aliquid expectes, in quo nihil nisi inchoatum spectare potes: tantùmque voluntati meæ tribuas, quantùm adimes operi: Vt & hoc ipsum gratiam promereatur, quòd ego humanitati tuæ plùs, quàm maiestati tribuo. Vale. Alias....

DEDICATIO CHORI PLANETARVM.

Nomine Academicorum exhibiti Principi post editum in eius laudem Panegyricum, qui inscriptus est PHOEBVS.

Ad Antonium & Ioannem Angelum è Comitibus Arcimboldijs.

Diem quis illustret, aut quis Phœbo lumen adiungat? Succedere hoc tamen posse successu patuit, & facto minimè fictum exemplum: Cùm nuper vos, Illustrissimi Comites, ad Principis nostri recentem pompam adfuistis: qui literaturæ gloria illuxerat PHOEBVS, nouam ex præsentia vestra conciperet lucem, ac se quidem Solem, non solùm tamen intelligeret. Nimirùm clarissima hæc Arcimboldiorum familia Orientem fecit Academiæ nostræ, totumque hoc splendoris literarij è munificentiæ suæ splendore produxit. Chorum ergo Planetarum exhibitum Principi nuncupamus vobis, debitum acceptæ claritatis tributum, quamquàm antè addictum tenebris ab Auctore, cuius è sinu vix euaserat latebrarum impatiens, & nescius noctis PHOEBVS Panegyricus. Vos serena fronte accipite rarum paginis, sed clarum sententijs, ac ipsa specie argumenti conspicuum opus, Academiamque nostram, quibus cœpistis, beneuolentiæ radijs constanter fouete. Mediolani......

DEDI-

DEDICATIO ELOGIORVM.

In Academia Palladinorum Vrbis Astæ primo Triennio expositorum.

Ad Hieronymum Georgium Vic. Gen. Asten. nomine Censoris Academiæ.

VT mihi Censuræ prouinciam detulere Collegarum suffragia, adieci animum ad ea sedulò perscribenda, quæ per triennium hoc primùm, & velut infantiam Academiæ alio atque alio tempore à Palladinis nostris exhibita plausus literatorum communes meruerunt. Quippè non tam supprimere improbanda, quàm probata in vulgus edere, id demùm esse boni Censoris existimo. Itaque Latina Elogia primo collegi (quando Græca tametsi plura, & illustria, Typographorum nostratium vel inopia, vel inertia beneficio lucis fraudantur) alia deinceps editurus argumenta, symbola, emblemata, carmina; ni Sodalium meorum studium occupauerit. Ac ne alienæ prorsum rei procurator forte videar, visum est interserere ex meis aliqua, quæ characteris nota ipsa obscurior proferet. Omnia verò Tibi, Vir Spectatissime, nuncupanda iudicaui, vt & communi Academicorum in te obseruantiæ satisfacerem, & hisce Elogiis clarissimo tuo nomine adscripto nouum accederet, ac multò luculentius Elogium ad commendationem ipsorum sempiternam. Vale, ex Acad.Pallad.Asten....,

DEDICATIO PANEGYRICI.

Cuius titulus CÆSAR CHRISTIANVS ex Gente Aduocatorum expressus.

Cæsare Aduocato Principe Academiæ renuntiato ad Hieronymum Aduocatum Patrem nomine Academiæ.

TE tibi reddimus, Hieronyme Aduocate, Cæsaris filij lectissimi sacrantes encomia. Quidquid enim elucet in filio, imago est Patris expressa, digna Narcissi oculis, digna votis. Non poteras signum ponere illustrius eximijs tuis meritis, quàm quòd vocale esset, veriori æmulatione, quàm illud Memnonium,

nium, & quòd exemplis comitaretur voces, neque verbis tantùm, sed rebus egregijs hauſtam ex patre nobilitatem prædicaret. Quid verò in te ex tantò filio redundet laudis, cognoſcas licet ex ingenti lætitia, qua Principem nunc illum adeptus Ordo noſter triumphat. Quantam enim demùm eſſe oportet in dante, cùm in accipiente tanta ſit gloria? Tu quidem Cæſare genitus non poteras non Cæſares gignere; ne minùs viderere in parentes gratus, vſuram lucis lucem denegans; vtque illorum digna æternitate memoria tranſmiſſa per te ad Filios hereditaria virtute perennaret; meliori certè id conſilio, quàm qui mortuas defunctorum patrum imagines explicant domi vel ementitas pictoris inſcitia, vel inuidia temporis vitiandas. Hanc viuam, & verè ſpirantem imaginem quoties offendes oculis, toties replicabis memoriam Auorum tuorum, compendioque temporis totum illud, quòd infinita iam mole Annalium, Hiſtoriarum, Faſtorum occupatur ab Aduocatis tuis, vno ebibes oculorum intuitu. Neque Auos modò, ſed te ipſe contemplaberis in tua ſpecie, honoreſque publicos, quibus hactenùs à prima vſque iuuentute tanta cum laude perfungeris, auguraberis, filio quoque ex hodierno Principatu veluti certò præiudicio quandoque obuenturos. Nunc verò tandem incipient oculatam fidem acquirere, quæ tibi ſæpiùs Pater Syluester è Sodalitate S. Pauli, ac gentilis tuus, magni vir conſilij, & Sapientiæ de optima ſpe, atque indole tanti adoleſcentis luculentiſſimè teſtatus fuit. Hanc itaque Panegyricam, nomine Academicorum dictam Filio, tibi Parenti dicatam volumus, futurum ſperantes, vt, quando vel deformes arrident parentibus liberi, hæc aurei adoleſcentis facies obſcuris licet expreſſa coloribus, tibi Patri optimo maximè reprobetur. Vale. Mediolani.....

DEDICATIO ACROAMATIS.

De ſui Inſpectione: Ad Academicos Oculatos Sereniſs. Principi Carolo Cardinali ab Etruria.

NOn inſulſè homo Ethnicus Anaxagoras ſciſcitanti ex ſe, quorſum productus à Natura in Mundum eſſet: Contemplandi inquit Solis gratia. Mea certè OCVLATORVM Academia, Optime Principum, vix edita nunc eſt ingremium Orbis Literarij, cùm Te Solem ſuum contueri natiuo quodam vrget inſtinctu. Quin Argum æmulata, tota in OCVLOS, ne quid

ſibi

ſibi iſtius lucis occulatur, euigilat. Ego verò formaturus lingua, quem tuo agente radio mox fueram enixus fœtum: ac præcipuum in primis OCVLORVM organum perfecturus, Acroama hoc habui ad Academicos, veram Hominis mortalis felicitatem in ſui inſpectione ſitam eſſe contendens. Sed cæca videri poterit, etſi ad OCVLATOS diſputatio, ni lucem demonſtrationis addiderit tuæ ſplendor gloriæ, Princeps vndè Orbes Sereniſſimi ſtemmatis fulgentiores facilè reddidiſti. Enimuerò ſi ex theſauro Mentis, non ex Fortunæ gazis depromptæ opes Hominem in terris beant: Ecquis hoc ſeculo Sacratorum Procerum ſegetem ditiorem oſtentet ſiue florentis ad omnem luxum Fortunæ, quàm negligat: ſiue Mentis ad prodigium excelſæ, quàm dignis Heroë virtutibus decoratam exhibeat? Non perſequor ſingulatim, ne videar de Solis luce congredi Author OCVLATORVM exoculus. Sat fuerit in præſentiarum meminiſſe Tui, cuius ipſum nomen inſtar viſi Solis ſuos per ſe explicat Orbi fulgores. Non enim id vacat omine, neque ſerium luſus excludit, quòd CAROLVS iſta nuncupationis auguſtæ vox, anagrammatis lege SOL, atque CVRA redditur; Scilicet, Vt, quem Academia ſummum fundandæ Principem agnoſcit, tuendæ quoque, honeſtandæque benigniſſimum Patronum exoret. Vale.

DEDICATIO PANEGYRICI.

A Carolo Antonij Gondio dicti de Petro Capponio Principe Academiæ Infœcundorum ad Io: Baptiſtam Gondium Senatorem Florentiæ.

DEbetur amplitudini tuæ, Senator Illuſtriſſime, hoc qualecunque animi mei vel tributum, vel obſequium. Dicta fuit in Petrum Capponium Principem Academiæ noſtræ Oratio à Carolo Antonio Gondio filio tuo Adoleſcentium huiuſce ætatis lectiſſimo tanta cum vocis firmitate, venuſtate geſtus, dignitate actionis, quantam ſecutus continuò plauſus concionis declarauit. Interfuiſti ipſe auritus, oculatus, vt diſſimulare minimè potueris, nam inter luctam pudoris patrij emicuit geſtiens animus tuus, indignata viſcerum clauſtrum erupit in vultu hilaritas, omninoque in triumphante filio triumphauit. Ipſa nunc Oratio in lucem per Typos properans tuum ſuoptè iure ſinum petit, iubens vèl in ſurdis paginis frui te iterùm oratore filio, atque ex fugaci

trium-

triumpho, hoc quasi trophæum immortale cernere. Hinc mihi non mediocriter lenitur conscientia propriæ tenuitatis, qui orationem eandem ingenioli mei fœtum informem in aspectum tuum proferre auderem quidem; sed haud diffiderem pronuntiatione Filij à Te excepta, quæ exercitatissimo quoque Oratore digna fuit, styli mei vitia compensanda fore; nec tenuitatem dictantis magis, quàm dicentis magnificentiam attendendam. Cæterùm exoratam volo humanitatem tuam (*Vir illustrissime*) vt obsequium hoc meum ex animo magis, quàm ex pretio metiaris. Vale. Florentiæ......

DEDICATIO PANEGYRICI.

Cui Titulus: CYROPÆDIA.

De Obitio Malaspina Principe Academiæ Infæcundorum ad Serenissimum Leopoldum Principem ab Hetruria.

ANhelat benignitatis tuæ gremium vix dum enata CYROPÆDIA, ipso Regali nomine animosa. Renuebat persuasus modestia Orator, plausibus contentus Ciuium, Adolescens huiusce Ciuitatis lectissimus, in quo ambigas, vter sanguis illustrior, Natalium, an pudoris. Sed ego velut parienti obstetrix audeo promouere fortunam, vt apud te feliciter adolescat digniorem nacta Cyrum, disertiorem Xenophontem; addo & salubrius Cælum, quando Malaspiniam præsefert habitudinem corporis. Cui enim meliùs innitatur familiæ Regiæ laudatio, quàm vni Principum Hetruriæ nostræ, hoc est nullo minori magnorum Regum? Sed illa potiore de causa, quòd amplitudo Malaspinia, vt tempore, sic imperio olim incomprehensa, vnum nunc vestrum in patrocinium contracta compendium facit augustius: Tanta illa claritas meridiem vestra in vmbra nanciscitur: Regnantque gloriosiùs eorum posteri in Aula vestra Ministri, quàm suis quondam in Aulis regnantes Ataui. Audiunt hi quidem Annalium voces, Hetruscas Terras Malaspinio Sceptro paruisse. Audiunt Malaspinios gentiles tractu seculorum longissimo Magnos Marchiones Hetruriæ (vt & Principes simul Lunæ, & Caferonianæ, & Galliæ Subalpinæ, & Liguriæ, quibus illa superstes hodiè propago nobilissima, vestro tamen patrocinio nobilior *Iacobus Marchio Fosdenoui*) neque verò, translato sceptro dolendum de suo casu putant, sed gratulandum

laudum potius Hetruscis fortunam, & sibi; quæ nec ijs parere, nec sibi dominari feliciùs vnquàm dederit. Siquidem non eripuit illa Malaspinijs imperium Hetruriæ, sed vestra, (Princeps) gratia compensauit, præ omni æstimanda imperio. Præcessere submittenda vestro sceptra illorum, instar fascium. Denique iuste constitit multiplici diademate tam nobilis seruitus. Tu verò potissimùm, Magnanime Leopolde, ambitiosam facis tui complexus Cyropædiam; tu (inquam) Princeps literatorum, ac literatissimus Principum; qui, quantò ad Xenophontæam diuinitatem attolleris propiùs, tanto humaniùs demitteris ad subleuandos conatus imbecillium ingeniorum, literarum quemque studiosum hoc ipso tuum reputans Cyrum, quem foueas, nec in eo pensitans auaritiam naturæ, sed ausum virtutis. Ergo accipe serenus hoc qualecunque ingenij, non alieni, sed tui potiùs argumentum. Scilicet quòd contemplari Mens tua non habeat, sed pertractare Benignitas, ministerio nostrum, gloria tuum. Florentiæ.....

DEDICATIO PANEGYRICI.

Cui titulus HERMERACLES.

De Carolo Antonio Gondio Principe Academiæ Infæcundorum ad Serenissimum Cosmum. Principem Hetruriæ.

HErmathenam alij suis in Academijs dedicent, Infœcundis meis placet Hermeraclen. Hanc illis haud detrectant laudem, vt Mercurium cum Minerua sibi fœderata habeant Numina, ne dum propitia, ingenium scilicet à natura sortiti ita fertile, ita fœcundum, vt flores omnigenos, vt fructus præcoquos vel sponte proferat ingenuarum artium, amœniorum literarum. Meos non pœnitet in sterili, atque adeò contumaci solo sudatas fruges demetere, & lauros de fronte irrorante altas carpere, vtique ad iustos triumphos. Sed ecce Hermeracles hic noster ad Celsitudinem tuam rectà contendit, ius allegans Triumphi; nam ad Celsitudinem, inquit, Capitolij Triumphatores deducebantur. Quamobrem verò, nisi vt tibi Ioui suo se sistat, & iusta persoluat? Hæc quidem illi votorum meta, hic apex honoris omnium maximi. Fuit hic (fateor) triumphus non vnius Gondij nostri, in quo visi sumus vnà omnes triumphare. Triumphauit in eo Industria, Ingenium, labor spectaculis longè pul-

cherrimus: Triumpharunt ſodales communione lætitiæ: Triumphauit Ciuitas feliciſſimo primitiarum prouentu in Ciue adoleſcente: Triumpharunt parentes gloria lectiſſimi, & verè aurei filij: Quidni & ego triumphauerim tam inclyto alumno, tam benè impenſo magiſterio? Verùmtamen vbi partem dumtaxat decerpimus ſinguli de hoc Triumpho, totum ſe ducere quiſque putabit, ſi Tu (Sereniſs: Princeps) procumbentem ad Aras tuas Hermeraclen ſupercilio Maieſtatis facili, ac lumine ſereno adſpexeris; ſique Academiam cum ipſo noſtram, tuo acceptam ſinu, protectam vmbra (quòd etiam atque etiam obſecramus) fouere non renueris. Fortunent æternum Te Numina. Florentiæ......

DEDICATIO ORATIONVM SIGISMVNDI BOLDONII.

Ad Sereniſſimum Coſmum Principem Etruriæ nomine N. Ciuis Florentini.

DEfero Ioui meo hæc ſpolia literaria, æmulatus Romuli ſtudium à victoria Ceninenſium: Tibi, inquam, Princeps Sereniſſime. Quem nondum ætate adultum videt, numine tamen iam nùm propitium felix Etruria noſtra præſentiſcit. Et niſi gregarius forem, hæc ſanè iactarem opima ſpolia; quippè detracta per me (neſcio; quo bono Alite) hoſti humanarum rerum deterrimo, nimirùm Tempori, cuius inuidiæ iuuat in præſens referre, quòd ex ingenti volumine Orationum, quæ fato Auctoris fuere ſuperſtites, haſce vix paucułas, nec eas quidem ex melioribus, ſeruare licuerit. Quales hæ cunque ſint, quas tamen coniecto probandas Viris doctis, quibus primitiæ eius Auctoris in ipſa ætatis acerbitate vitæ ſunt præmaturæ; eas Celſitudini Tuæ, feretro delatas animi, vt cuiuſquàm mortalium obſequentiſſimi, in Capitolio iſto Maieſtatis dico, & conſecro. Interim dum Iouem meum Feretrium, citra ſuperſtitionis veterum, adulationis recentium labem inauguro, vt hocce oblatum munuſculum ſereno, vt digno Ioue oculo adſpicias, vt ſimul vota mea de gratia tua demerenda, qua nihil anxius magis in terris anhelo, exaudias, ſupplex rogo & contendo. Vale.....

DEDICATIO INSTITVTIONIS GRAMMATICÆ.

Vincentij Galli.

Nomine Bibliopolæ Florentini. Ad Illustrissimum Conradum Marchionem Malaspinium.

GRammatica Institutio tam multiplex hodiè, atque varia, scenam ingreditur, vt vel suas Protheus formas exhauserit. Eius quæque species Viris doctis, alia alijs, probatur optima. Sed nulla adhuc melior plerisque (quòd sciam) nec plausus magis communes merita, quàm quæ à Vincentio Gallo oblata nuper fuit. Scilicet haud multarum paginarum, omnis autem eruditionis volumen: in quo dubia inter se certant victoria, sed non dubia laude atque adeò admiratione doctiorum, collecta quædam disciplinæ vniuersæ breuitas, & liquida methodi perspicuitas, quæ duæ dotes numeros omnes faciunt instituti ad doctrinam Operis. Quid enim curare debent impensiùs formatores puerorum, in tantis præsertim humanæ ætatis angustijs, quàm vt ij adolescentiam totam, hoc est robur annorum ad studia ne perdant in ipso limine scientiarum, interminatam nauantes Grammaticæ operam? Hunc itaque libellum studiosorum vsui natum, meis recens impensis luci redditum dicare non vereor inclyto tuo nomini, Vir Illustrissime; rem certè infimam, si gradum spectes, summum ipse literariæ gloriæ apicem tenens: Rei autem publicæ minimè despectam, quæ iuuentute benè formata cùm primis nititur. Sic fiet, vt & inter complurium, de hoc libello iudicia, tuæ auctoritas sapientiæ suffragia compleat: & ego in breuissimæ molis opere amplissimo compendium tibi bellum obseruantiæ meæ exhibeam. Vale. Florentiæ......

DEDICATIO HISTORIÆ DENVO EDITÆ.

Cui titulus: Feruidæ Religionis typus in vita Ludouici Bitosti.

A Fortunato Columbo scriptæ ad Prosperum Ricciardum Abbatem Vallumbrosanum.

VIcissent me vota piorum; vt natam in Gallijs, nec sine plausu exceptam hanc historiolam FORTVNATI CO-

LVMBI collegæ mei transferrem in lucem Italiæ, nisi ipsa visa esset suo iure fortunam alterius Columbi nouo Orbe inquirendo premere. Pudebat (fateor) ita obsolere apud me notitiam rerum scriptarum Ordinis mei, vt exteros curiosos, ieiunos mitterem: atque earum rerum, quæ prouido Numine tam nostro natæ sunt sæculo, quàm ipsius sæculi vitijs & corruptelis, natiuis potissimùm, expugnandis. Elegantiam hic Scriptoris commendent alij, ego magis propositum mirer, quod in tanta styli lautitia ita sobrius euaserit, & grande ingenium factum ad pompam tam arcto continere maluerit spatio. Quippè Vir priscæ sanctitudinis, & minimè vanæ Philosophiæ parui duxit abdicauisse aliquando fastum domesticum illustrissimæ, opulentissimæque prosapiæ, sectator nudati, & Crucifixi Dei; ni simul ab obliquo illo fastus aucupio caueret sibi, quòd ingenij multò amœnissimi titillans felicitas suggerebat, si nimirùm promeret in dies (qui est genius nostri sæculi) alia, atque alia, etsi de contemptu Mundi, de Paupertate Euangelica, de amplexu Crucis, suo tamen inscripta nomine, suo charactere splendida, visendæ molis volumina. Vt ea re hanc vnam scriptiunculam inuito elicuerint Patres, sed & ipsam de seruitijs domesticis, quos Conuersos Ordo nominat, alumno sanè inclyto nostræ disciplinæ, ac inclyti Scriptoris cura haud indigno. Atque hoc quale quale sit, nisi meliùs, Sancti pro Sancto laborantis opusculum nostratibus typis excudendum, cuiusnam nomini iustiùs dicaretur, quàm tuo, Abbas clarissime, quo non alius viuentium reddit lineamenta tanti Patris viuidiùs, seu natales spectentur, seu tenor vitæ? Nam Ricciardæ familiæ splendorem nemo non videt, qui Solem videt: vsque eò ditescit hæc radijs, vt; cùm in Gallijs ortum agnoscat suum, in Italiam vsque protenta, non locorum, non temporum tractu longissimo occasum adhùc timeat. At, inquam, tale auspicium poscebat hæc dedicatio, & FORTVNATVS Scriptor quem, nisi PROSPERVM acciret Patronum? Nec verò absonùnt à Natalibus Vita: nisi quòd instituto vitæ seuero natales ipsos dissimulas, clariorem in recessu obscuro nobilitatem ponens. Quamquàm ne hic quidem dissimulare genus tuum licèt, nec Magnæ Animæ cohibere fulgores, quos Tu iam multus in ætate inculpatissima, quos indefessus in maximis muneribus, & magistratibus Ordinis, quos in omni periculo virtutis, Oeconomiæ in primis spectatissimus non intra fines tantùmmodò sacræ tuæ Reipublicæ, sed longè, ac latè

exteris

exteris quoque sacris familijs, & Ordinibus ad absolutum Cœnobitæ, ac Præsules integerrimi exemplum diffundis. Sed quid ego? Hæc pluribus vetat innui modestia tua, sed inuitat humanitas, vt eximijs tuis meritis exiguum hoc studij mei, & obseruantiæ specimen exhibere ne dubitem. Vale. Florentiæ.....

DEDICATIO PLAVSVVM ACADEMICORVM.

In Laurea Gasparis Fachineti Philosophi, nomine ipsius, Sereniss: Vladislao IV. Regi Poloniæ, cum allusione ad stemma Regium, Et stemma ipsius Fachineti.

QVos mihi nuper exhibuit Academia plausus, Philosophicam metam assequenti, eos Maiestati Tuæ nuncupatos volo. Debent omninò, vndè primùm emanauere flumina, eòdem etiam pererrato Orbe remeare, & grata vicissitudine haustas vndas in patrium Oceani sinum reuoluere. Auspicijs ego tuis, Serenissime Rex, pertentaui prouinciam, ex qua siquid demùm lucis accessit mihi, id totum è Regio tuo SOLE processit. Itaque & in ipsum reflectat, necesse est. Non ignoro, plerosque id fore daturos audaciæ, quod in istius conspectu Solis sistere se non metuat obscurum meum SIDVS sempiternæ potius nocti destinandum. Sed Ego audax, quàm ingratus videri malo, Maiestatisque Tuæ clementiam vèl hinc luculentiùs commendare, quæ neque nullius luminis lumen, neque nullius nominis hominem dedignatur. Hos dum consecro Maiestati tuæ plausus, Diuinæ simul vota nuncupo, vt ad istius Regni felicitatem, atque Orbis Christiani præsidium sospitem Te diu, fortunatumque conseruet. Mediolani.....

DEDICATIO PANEGYRICI SACRI.

De Diuo Octauio, ad Octauium Broliam Episcopum Astensem nomine Alumni ad finem curriculi Rhetorici.

PRopero, Illustrissime Præsul, ad finem Rhetorici stadij, & penè metam contingo. Officium exigit, vt sistar Tibi, cuius auspicijs curriculum istud sum ingressus. Mos est collegis in ipso exitu facultatis ornare ipsam publicè, & Theses propositas conceptis enthymematis propugnare. Ego longè aliud consilium

lium in eo. Siquidem disciplinam amasiam non fucatis verbis, sed nuda propositione; non disputatione clamosa, sed pacata dictione quasi natiuo splendore detecto palàm expono, vt suo se silentio prædicet, atque ex taciturnitate verecundior magis arrideat. Piaculum certè fuerit carpere, quòd est ad laudem compositum. Quamquàm is, quisquis tandem fuerit, dementiam apertiùs suam prodet, qui rem mutam conuicijs, maledictisque lacesset. Tu sic accipe, quòd laudatur in Diuo, velut imaginem, in qua & virtutes tuas contemplere, & singularem erga te meam Præceptorisque mei Viri clarissimi obseruantiam aliqua ex parte cognoscas. Vale. Astæ.....

DEDICATIO LIBELLI CARMINVM.

Cui Titulus, APOLLO PÆAN nomine Philosophi alumni.

QVæ nuper luseram, longa fallens tædia conualescentiæ, suadet nunc Genius, vt amplissimo tuo nomini, Vir Illustrissime, dicatam velim. Inuocaram ad iocum ritu vestali Apollinem Medicinæ numen idèm ac Musicæ, præualidam in morbo lethali obstinatoque vim expertus Medicinæ. Restat, vt nobiliorem Te Apollinem Musa mea seruata consalutet, communem scilicet Mecœnatem studiosorum, Asylumque virtutis. Scio, non defore, qui mihi vel leuitatem impingat, vel audaciam. Sed immerito. Philosophiam enim, cui addixeram operam, ac quidquid aliud studium seuerius interpellante valetudine, cui ipse potiùs vacarem aut conditioni meæ honestiùs, aut ingenuitati congruentiùs, quàm Musis, in hac præsertim vix prouecta pubertate? cuius quidem ætatis acerbitatem ipsa carminis austeritas satis probat: Sed eam benignitatis tuæ radijs ipse concoxeris. Nec enim quia eximius es inter mortales, more mortalium humiles temnis: sed vèl in hoc eximius, neminem eximis ad vmbram confugientem tuam. Sapientissimus Tute omnium non sapientes modò complecteris, sed & amantes Sapientiæ. Ea me spes iure audacem facit, nedum animosum, vt hosce tibi porrigam flosculos in adolescentiæ Verè collectos, daturus quandoque fructus, si fata concesserint & maturioris ætatis, & studij grauioris, ex mea sterilitate parabiles. Vale. Florentiæ....

DEDI-

DEDICATIO LIBRI.

A N. N. Medico conscripti de Natura Mulierum nomine Typographi ad Lectorem.

HAbes, Lector, candidatum immortalitatis Auctorem, nigris aliquando capitibus petitum. Eius venam planè gemmeam vberrimè hauserat Academia Pisana, vbi is duos & viginti per annos titulo Supraordinarij Doctoris honestissimo multiplicem tractauit materiem cùm admiratione pari Auditorum, & fructu. Felicitatem verò in curandis morbis cùm ætatis illius mortales sensere, tùm Dynastæ in primis summique Principes celebrem reddidere encomijs. Ex his Cardinalis amplissimus sua hæc scripsit manu (annus erat millesimus sexcentesimus trigesimus primus, pridie Idus Aprilis). *Ex medicis quotquot vsus fui Patauinis, Venetis, Bononiensibus, Florentinis, Romanis, & si quibus aliundè, neminem vnum affirmo parem N. N. à me esse repertum.* Hæc autem tanta gloria, quæ omni maior inuidia crederetur, ciere pruritum potuit nescio cui iuueni Medico, vt de alieno ambitiosus, ex Manuscriptis Doctoris nostri dissertationibus in Hippocratem de Flatibus, quæ sibi fortè in manus deuenerant, duas ipsas excerpere, suoque ipsius nomine præfixas euulgare per Typographos ausus fuerit; & vnam quidem idiomate corrupit vulgari, inscripsitque *APOLLO*; alteram verò quæ ex Quæstionibus erat, stylo ipso Latino Auctoris intacto, *Quæstionum scholasticarum* titulo impertiuit; Vtrum impudens magis fur, an imprudens, ipse cauerit. Enimuerò & imprudentiam iuuenilem demùm arguet sua canitie Tempus, tardo procedens, sed certò vestigio: & furti simul impudentiam propalàm accusabit splendor natiuus Auctoris nostri in reliquis voluminibus, quæ Cælo fauente subindè prodibunt in omnium oculis. Tu interim, Lector Candide, hoc accipe *De Natura Mulierum*, simul & agnosce in homine demortuo viuum adhuc cum nomine illius immortali, consulendi humano generi studium. Vale. Pisis.....

DEDI-

DEDICATIO PRÆFATIONVM ET GRATIARVM.

In prima Editione.

Ad Dionysium Massarium Præsulem clarissimum nomine Auctoris proprio.

PRæfationum breuium formulas ad publicas de quaque Scientia disputationes nunc tandem tyronum precibus exoratus promo, Illustrissime Massarie, tuis præsertim addicentibus auspicijs, ac tuo inscriptas nomine. Scriptiunculas enimuerò extemporales, nec (vt ille præcipit) nonum in annum pressas, sed quales quales subitarius stylus effutijt, edi oportebat decore saltem adscititio visendas, cùm deesset natiuus, & patrocinio munitas certò, cùm iustos ex Aristarchos plures cierent. Neque porrò absurdè Præfationes ipsas hac quasi noua præfatione accumulo. Doceor siquidem à tuo præfari nomine, qui alios doceo præfari. Proludere consultiùs non possum ad Scientias, quàm consultissimum te Scientiarum in ipso statim limine consalutans. Non formant ex hominem ad supinandum, tametsi ad contemplationis ocium natæ; sed mente primùm illustrata ad honestam vltrà expediunt actionem, & genium inspirant ad facta magnanima. Tuorum itaque immortalium facinorum commemoratione scitè præfatus fuero ad ipsas Scientias. Sed hæ formulæ modò sunt per me traditæ. Cui verò iustiùs dicendæ, quàm Tibi, cuius proposita institutio vitæ in hoc maximè Religionis musæo non nisi formula est sanctissimi Præsulis? Anne mihi obijciatur breuitas? Hæc scilicet laudum tuarum summa, quòd in annorum compendio amplitudinem explicas illarum virtutum, quæ annosos Heroas facilè exhauriunt. Quid enim tam consonum tibi, quàm cum grauitate commissa breuitas, & agendi maturitas festinata? Impunè dixerim, hoc te nomine tantùm à plerisque mortalium recedere, quantùm accedis ad Deum, cuius (vt Psaltes cecinit) idem fuit in molitione rerum Dictum, & Factum; Mandatum idem, & Creatum. Historiam recito, non pango fabulam. Testor Firmanam tuam ciuitatem, quæ tamen vix credidit sibi; quùm te tui adhuc impotem per ætatem, iam molientem vidit rerum omnium abdicationem, delicias ætatulæ molli innutritas abhorrentem, commoda vitæ vix degustata nauseantem, & illud maius homine consilium ineuntem

tem puellum, vt arctam Cœnobiticæ vitæ rationem sectarere. Verùmtamen consilium Dei altius adegit, vt vmbratili vitæ præreptus sisteres in Sole Clericali, daturus lucem potiùs, quàm accepturus. Atque hic ad res maximas, quàm pronum iter? Inauguraris mox Decanatu, vna è summis in Metropolitana tua dignitatibus: spectatque Ciuitas non sine miraculo eminentem Viris impuberem: spectat in ephœbo senium, in flore fructum, in ætatis luxurie vbertatem virtutum (Vno verbo) spectat Decanum tanto ante, quàm canum. Rapuisti tu merito omnium simul cum oculis animos: atque in primis Illustrissimi Ioannis Baptistæ Rinuccinij Archiepiscopi tui (cuius quidem Viri plena est encomio fama, & virtus prodigio) vt prouinciam sibi cariorem tuæ crederet prudentiæ, religioni, caritati, Vicarium Te Generalem instituens in vniuersa per Vrbem, atque Diœcesim Cœnobia sacrarum Virginum: Vt in Hyberniam destinatus Nuntius Apostolicus, Te quoque Generalem (vt aiunt) Auditorem assumeret munus iniungens Regni illius amplitudini par: Vt inibi Catholicorum armis Metatorem Diuersoriorum Generalem præficeret, in queis etiam A consilijs cum ipso Rinuccinio (quòd exterorum præterea datum est nemini) adlectus fueras, conspirantibus eorum Magistratuum non tam suffragijs, quàm votis. Quare duplicem vno tempore personam, in toga, in sago agere te oportebat; iura, arma administrare; forum, castra preterere; Vtrùm plùs illic iustè, an istic fortiter? vtrobique certè gloriosè. Ac ne corollarium quis putet militare negotium tibi commissum, aut perfunctoriè abs te gestum, duobus ipsis exercitibus situ distractis, ac studio præsentem opem ferebas. Neque irrita nostrorum spes. Tua potissimùm virtute insignis parta victoria est, cæsis hæreticorum ampliùs quinque millibus. Triumphasti tu planè, & quidem in Romanum Capitolium, cùm ex Hybernia Romam nuncius ipse victoriæ conuolasti. Quamquàm in hocce triumpho partem sibi maximam vendicaret Sanctissimus ac verè Maximus Pontifex INNOCENTIVS X. & quòd ipse auctor primus fuerat in Nuntiatura Rinuccinij profectionis tuæ in Hyberniam, & quòd te victoriæ prosequendæ remisit illico Ministrum Apostolicum cum subsidio aureorum quinquaginta millium, quibus alia decem adiecit Sacrum Collegium Purpuratorum: Nec minore eum liberalitate pijssimus inter Catholicos Principes FERDINANDVS II. Etruriæ Magnus Dux sclopos maiores bis mille nauigijs compositos in Liburnensi portu suppeditauit. His stimulis

Zz vrgen-

vrgentibus deuorasti facilè longissimum iter, nouas in hostes fidei anhelans pugnas, nouos triumphos. At noua planè, solisque æstimata Christi affeclis ratio triumphi successit, vt oppressus iniurijs extares victor; detentus vinculis, liber; securibus petitus, securus. O sortem tuam posteriorem priore meliùs inuidendam. O nondum mortalibus exemptum hominem, & iam Cælitibus additum. Meministine (refricandam tibi memoriam puto; quando, quæ perpessus es causa Religionis, summa incommoda, intelligo, verò amatori excidisse). Meministine, dico, vbi redux ad Hyberniam appulisses, reperisse te Catholicam Rem non modò inclinatam, sed pene euersam? erectam ex aduersò hæreticam audaciam, reparatas ad nostratium excisionem vires, grassantem liberiùs impotentissimæ dominationis ferociam? Meministi, cùm latus Rinuccinij tui stipares in vrbe Kilchenia, obseratis de repente portis dolo Hæreticorum, occupatisque armato milite aditibus viarum, extremum vobis captiuis periculum institisse: Te verò tam ingenio promptum, quàm animo, ratum, ex tanti capitis iactura pessum ire Apostolicæ Sedis dignitatem, & fugam Rinuccinio tuæ pretio vitæ quæsisse, & manibus tuis prensas scalas firmasse, per quas ille se mœnibus clam demissus seruauit? Nimirùm isto submoto sustinere solus parabas hostium impetum; & vel insperatam tentare cunctando victoriam, vel fortiter in vestigio mori. Neque enim dubitabas, quin fuga Præsulis, & clades hostis funestissima tibi auctori sanguine, ac vita constaret. Repete parumper captiuitatem istam Kilchenienscm ad menses nouem, perfacilem eam quidem, si studia tua accensa reputemus: si verò successum, quàm non duram solùm, sed diram? Repete squalorem angustissimi carceris per menses quinque postremos: Sed liber, inquis, per amplum Cæli spatiabatur animus. Repete inediam, vigilias, & reliqua additamenta custodiæ. Sed corpore exhausto quiescebat recreata supernis dapibus mens. Repete bestias, ad quas id temporis damnatus fuisti; Leopardos, quibuscum ligatus (sic licèt cum Ignatio Martyre appellare custodes tuos milites) tam ferinæ immanitatis; vt, cùm benè & diceres ipsis, & faceres syncerissimæ fidei homo, & summæ beneficentiæ, deteriores in diem fierent: At horum, ais, iniquitas doctrina mihi fuit; *Romanum esse*, idest Catholicum, *Agere*, & *Pati fortia*; Et quando hactenùs non nihil egeram, quidni subindè aggrederer aliquid pati? Patere igitur hic quoque, vt, quòd tibi patienti messuit fortitudinis lauream, intactum à me ne omitta-

omittatur. Cur enim taceatur penitus, cui nec satis est omnis oratio? Aduenit, si benè meministi, salutabundus ad carcerem prima noctis vigilia Sacerdos è Societate IESV, specie venerabilis, ac plenus officij: sed hora illa intempestiua, aspectus incognitus inexpectatusque; tùm expallescens post salutationem vultus, trepidans vox, hæsitantia verba adhortabundi, vt velles & animæ tuæ consultum, & corpori, suspectum fecit officium de more potius consolantis damnatum. Animasti ipse hominem tua causa exanimem, vt palam proferret, Te enim haud mortem timere. Tum is apertiùs, mane insequente sententiam capitis ferendam in Te simul & exequendam. Quid Tu verò ad hæc, & qualis? Tui semper similis, tenoris semper vnius: Infractus animo, constans ore, oculis, voce, vt admirabundo Sacerdoti elicueris cum clamore præconium illud singulare, Nunquàm se fortitudinis tantùm in homine morituro reperisse. O illam noctem, arenam gloriosam tui cum corpore luctantis animi! O suspiratum porrò diluculum, vndè primùm triumphis tuis in Cæleste Capitolium pandenda via. Verùm abnuit è Cælo, qui cuncta sanctissimè moderatur. Euertit mane per Episcopum Catholicum tibi coniunctissimum machinamenta Hæreticorum, elusit consilia impia, eripuitque Te Martyrio contentus ausu, non laureæ Martyrij. Seruatam voluit, quàm deuoueras vitam instar nimirum Anathematis. Denique euasisti dicatam orthodoxæ fidei mortem, vt ipsius fidei propagationem viuus vrgeres, inauguratus meritò. A secretis Sacræ Congregationis de Propaganda Fide. Id quòd ego tibi auguror fore ad amplissima quæque vestibulum. Vt, cui nihil iam superfuit, quòd impenderes pro dignitate Romanæ Ecclesiæ, pro qua vitam obtuleras, nihil quoque, quòd Ecclesia ipsa in Te effundat dignitatis, superesse patiatur. Vale, ac me sin malè præfatum Operi, Tibi saltem benè præcatum, clementi aure fac attenderis. *Vale*.

DEDICATIO OPVSCVLI.

Hebraicas voces Scholasticas Latinè redditas complectentis ad Cardinalem N. N. nomine Auctoris.

EN tibi, Eminentissimorum Princeps, partum ingenioli mei plùs ausu, quàm mole visendum. Addictus ipse Hebraicis literis cùm fortè fortuna offenderim in Diuum Thomam *Contra*

 Gentes

Gentes ab Iosepho Ciante Episcopo Marsicensi Hebraicè redditum, tanta cum proprietate vocum præsertim Scholasticarum (id quòd tentare alius, assequi potuerit nemo) non ingratum atque inutile fore putaui studiosis, si voces illas cum Latina interpretatione vnum in corpus collectas publicæ luci committerem. Nec violari proindè metuo Genebrardi Manes de sacris Hebræorum literis meritissimi, cui scilicet alia mens fuit, quàm vt Sanctæ Linguæ vocabula cuncta suis in scriptis digereret. Quamquàm (si quis expenderit) quàm ille sponte ieiunus fuit, tam minùs propriè quædam imprudens transtulit. Tibi verò primitias istas literarias agelli mei quidni dicatas velim, quem sacra Purpura non priùs, quàm literarum peritia Principem fecit, quemque in amœna linguarum benignum æquè, & facilem, ac in seria Ecclesiasticæ politiæ grauem & seuerum Orbis admiratur. Viue felix, æternumque viue. Dat. Romæ, &c.

DEDICATIO PANEGYRICI, ET ELOGIORVM,

Quibus est Titulus VIRTVTIS TEMPLVM, ET HONORIS.

In Guidum Mazentam Principem Academiæ, nomine Academicorum.

QVas à Nobis accepit festiuissimæ gratulationis acclamationes Princeps noster renuntiatus Guidus Mazenta, Tibi meritò consecratas decernimus (Præses Illustrissime) qui eius olim nascentis cunabula auspicio fortunasti tuo, è Sacrosancto fonte Infantem suscipiens. Debetur enim Matutæ claritas Diei, copiam Autumnus suam acceptam fert Veri, & puro decurrit alueo riuus beneficio Fontis. Quamquàm enim in tanta vnius adolescentis gloria partem sibi quisque vendicet, & Ludouicus pater, vèl ex hoc Sanctissimi nominis, quòd indolem impertiuit Nato ad omnem virtutis sanctimoniam; & Faustinus Mazenta patruus inclytus, qui demortui Patris desiderium egregia in filium fratris fide, vigilantiaque expleuit; & Sodalitas Patrum S. Pauli, qui puerum literis erudiendum complexi, omni simul pietatis, ac religionis laude instruxere; & ex ijs cum primis Hiacynthus Cantinus, Vir in paucis eruditus & grauis, à quo eloquentiam hausisse se hoc anno gloriatur Adolescens. Tibi tamen

men potissimum, Præses Amplissime, referendum est quidquid gratulandi segetem ministrauit Principi nostro, quód ipse nascenti homini tam multos ad eum honestandum, instar horoscopi commouisti. Tu siquidem in hoc Cælo Amplissimi Ordinis ita emines dignitate Principis, ipsam vt potiùs euehas, quàm ab ipsa eueharis dignitate: ita fulges, vt lucem in alios quoque transfundas, ac diuites vnà cum luce impressiones. Verùm non hic laudum tuarum campus. Historijs illæ seruantur, atque Annalibus, quibus materiam tu solus integram suppeditare potes. Hos interim qualescunque plausus nostros hilari supercilio, videlicet non vt alienos, sed quasi tuos accipe, Academiamque nostram tuæ addictam felicitati humanissimo sinu foue. Vale. Mediolani.....

DEDICATIO LIBRI,

Cui titulus CANONES CONSCIENTIÆ Auctore Theophilo Alario Cler.Reg.Barnabita.

Ad Illustrissimum Ioannem Baptistam Cecchium Præpositum Piscensem.

VEneror Cæleste consilium, Illustrissime Præsul (nam profiteri gratias Fortunæ fugit animus) quòd optatam diù obseruantiæ tibi meæ testandæ opportunitatem importuna literatorum iactura mihi tandem quæsiuit. Theophilum Alarium ex Ordine Clericorum Regularium, quos Barnabitas vocant, lumen sacræ Doctrinæ nostro seculo conspicuum nuper extinctum iure lugeamus, nisi monumentum egregium extaret, pretium funeris tanti Viri. Hic à diuturnis functionibus, quibus sanctissimè, vt Clericum Regularem decet, insistebat, subseciuas colligens horas, elucubrauerat CANONES CONSCIENTIÆ ex vtroque Iure, ac probatis Doctorum cùm antiquorum, tùm recentium sententijs coactos, priuatum vt ocium magis erudiret, quàm vt eruditorum album affectaret. Improbauit Amicus nescio quis, sed malè sanus censor modestiam hominis, & vt erat intimus, clepsit facilè volumen, ac procul transmisit infelici typographo publicandum. Qui iustam Authoris indignationem veritus, si resciret; & nomen primò supposuit inuisi in natura rerum Scriptoris Ioannis Francisci Suarez, & titulum Enchiridij mucidum adiecit fronti: præterea opus totum

totum perpetuo de Contractibus titulo, & mendis toto corpore obscœnissimis, atque innumerabilibus corrupit ad probrum typorum, ac studiosorum stomachum. Ingemuit rem aduertens Author, tam candidus animo, quàm capillo (iam enim sexagenarium excedebat) & peruolans in vulgum Opus vix è lineamentis suum agnitum (vsque eò vitiatum prodierat) arripuit: Institit excutere contractas sordes, formæ natiuæ restituere: indè & locupletare additamento complurium obseruationum, ac dogmatum; è quibus nonnulla planè noua inspersit æquè ac reliqua omnia ad libellam rectæ rationis, saniorisque doctrinæ, Iuratus intereà, supprimere, ne alteri pateret fraudi, ac vel domesticis tenebris habere deuotum, vel luci Vulcaniæ. Scilicet quàm satur otio desudans in literis, tàm ieiunus literariæ gloriationis. Hoc igitur ad mortem senis optimi inuiolatum, quæ octogenario maiori successit; Vtrùm verò perniciosius Reipublicæ, an vtilius? Nam etsi foret viuentis sanctitas, & eruditio norma omnibus integerrimæ vitæ; quia tamen ex mortalitate hæc norma fragilis, habere nos iubet gratias fato potiùs, quàm conceptam inuidiam; quando eruditione caduca vitæ mortalis sempiternum redemit fructum eruditissimi monumenti. Id quòd ego cautè per amicos elicui, quasi mox lectum redditurus. Sed studiosior veritatis, ac publici commodi ausus sum (honestiore certè fraude, quàm ille Typographus) in lucem committere, reposito nomine germano Authoris, Tuo simul, Illustrissime CECCHIE dedicatum. Cui porrò iustiùs, quàm doctissimo Præsuli, opus doctissimum; aut, quàm vindici morum, restitutum Parenti legitimo fœtum? Non me equidem pellicit amor, quamquàm impellit, vt merita tua attingam hoc loco, quæ iustis panegyricis, atque historijs materiam præbuerint. Isthæc enim, quàm obtines, Episcopali suppar titulo, superior re Dignitas, nescio quid singularis magnificentiæ suggerit rectis æstimatoribus gloriæ. Quòd PISCIA (celebre quidem oppidum propter Reipublicæ veteris potentiam, & bella cum finitimis gesta: pòst extra insigniora Italiæ numeratum) gloriatur ab anno Decimo nono supra Millesimum, & Quingentesimum ex Diœcesi Lucana Leonis X. Pont. Max. diplomate exemptam se fuisse cum ora ista Vallium Nebulæ, atque Arrianæ, Oppidis, Castris, Vicis florentissima: Antistitem Sacrorum habere Præpositi quidem appellatione, iure autem Episcopali decoratum; Vt in Clericos animaduertat, Anathemate fulminet, Statuta condat, Synodum cogat, Concursus proponat, Ecclesias

visitet,

visitet, Beneficia conferat, Pontificalia exerceat, Indulgentias largiatur, Ordinibus minoribus initiet, Virgines consecret, alia item Priuilegia Episcopo Lucano contracta, sibi ipse ampla, integraque conseruet: Ad hæc Canonicorum Collegium habere cum Dignitatibus ordinatum, qui ex Apostolicis literis tam Gratiæ, quàm Iustitiæ omninò instar Cathedralium delegari Iudices possint: Præthereà nullius esse Diœceseos, sed Diui Petri protectioni commendatam, Apostolicæ Sedi proximè subdi: Quòd, inquam, PISCIA oppidis multis alioqui inferior, Vrbibus tamen non paucis Ecclesiastico Magistratu nobilior emineat, in quem potissimùm redundat hæc gloria, nisi in Gentiles tuos, qui Pontificio tam nobili prospexere primo Laurentium Cecchium; vt, quamquàm Iuspatronatus alternis reseruaretur Tuæ cum Turina familia, auspicium tamen à Tua fecerit virtus, & Cecchiam Lautum Mitratis temporibus faustissimè adiunctam voluerit? Qualis enim Laurentius iste fuerit, testatur non ipsa modò, quàm primus capessiuit, dignior per eum facta Dignitas; sed quòd eumdem Iuris vtriusque consultissimum Philippus Decius Auditorem (vt aiunt) Romanæ Rotæ proposuit è plurimis candidatis vnum Paulo III. Pont. Max. Hoc enimuerò tantùm est, vt magni cuiusque encomij loco sufficere posse videatur. Cur autem miremur; floruisse tam crebros in Cecchia gente Iurisperitos, vbi tam domestica fruticauit Laurus? Quamquàm (dicet aliquis) non Togæ magis frondescit Laurus, quàm Sago: amica non solùm iura dantis; sed triumphantis quoque à bello Cæsaris. Ne hæc quidem à tuis Gentilibus aliena, fortunatissime CECCHIE, quorum tam multos enumeras in longa ætatum serie, militari præfectura, & Martiali gloria memorandos. Neque verò est instituti mei proferre vtrinque sigillatim imagines; quippè locum alium, ac feliciorem stylum deposcunt: Præsertim cùm ad tui nominis appellationem fama Maiorum tuorum facilè conticescat, quorum virtutes ac decora successor ipse, & hæres ex asse transmittere paras posteris non sine fœnore. Felix interim Piscia, quæ Te hodiè Præsulem complectitur ex Cecchis quartum: quæ Iuris vtriusque Lauro insignitum: quæ Diui Stephani Equitem, eundemque Francisci Equitis fratrem, Ciuis vrbanissimi, & magnanimi: quæ prolis egregiæ dignum patruum, atque ad illius ingenuæ indolis disciplinam exemplar optimum: quæ denique simulacrum virtutum omnium spirantissimum, vndè lineamenta Christianæ vitæ desumere quisque Diœcesanorum tuorum possit, & pascua sempiternæ

ternæ

ternæ beatitatis certo calle petere, Iam inuideant Piſciæ tuæ neceſſe eſt præſentem felicitatem ampliores Eccleſiæ, talem ſibi Præſulem anhelantes, Ego verò fore auguror, vt & ſanctiſſimis illarum votis aliquando, & humeris tuis valentiſſimis fortuna reſpondeat. Hæc vtriuſque dum, apprecor à Deo immortali, accipe Tu facilis hoc qualecunque obſeruantiſſimi animi in tua de me præclara merita teſtimonium. Vale.

DEDICATIO THESIVM RHETORICARVM.

Ad Ioannem Secundum Ferrerium Ponzilionum Sanctiſſ: Domini Noſtri in vtraque Signaturæ Referendarium pro N. N.

Alluditur ad Stemma Gentilitium.

QVemadmodùm non fuit difficilè Doctoris mei nutibus parenti, harum Theſium diſputandarum ſeriem texere; ita nec diù laborandum in eo Viro inueniendo, cuius nomine inauguratas, numine munitas non modò lucem omnium aſpicere, verùm & Sapientum vmbram ſubire paterer. Tu quidem, Præſul optime, inter omnes primus occurriſti, in quo & plura ornamenta conſpicerem pulcherrimarum diſciplinarum, & maiora erga me merita, genuſque meum agnoſcerem. Neque verò defero nimium huic muneri, moli tametſi minimo, cui nec animi offerentis magnitudo deeſt, nec dignitas ipſius Operis, quippè ex RHETORE Vincentij Galli, officina illa Oratorum celeberrima prodeuntis. Sed enim quantùm mihi amplitudo rei addit animi ad munus exhibendum, tantùm facilè adimeret ab onere ſuſcepto obeundo, ni par præſidium polliceretur auſpicatiſſima tuæ Gentis ALES, varia dum exhibet, hinc ad victoriæ gloriam quaſi curricula, indè Fulmina ad inuidiæ confodiendam audaciam. Vtinam verò hæc mihi ſaltem contingat gloria, vt vnus ipſe præ cunctis mortalibus eximias tuas virtutes aliquando æmulator iſtius Alitis in Cælum efferam: Vtinam ea fulmina per te mihi ſuppetant, quibus aduerſæ fortunæ ictus omnes eludam. Tu interim clientem addictiſſimum, maiora in dies daturum ſtudij argumenta, Alis foue, vmbra protege. Vale. Aſtæ Pompeiæ An. 1629.

DEDI-

DEDICATIO THESIVM RHETORICARVM.

Ad Illustriss. Octauium Broliam Episc. Asteusem pro N.N. Alumno.

Cum allusione ad stemma Gentis.

RHetoricas præceptiones, quas in Lycæo Astensi hoc anno primùm hausi, felicissimis auspicijs tui nominis, Præsul amplissime, disputandas profero. Quid enim ingenij mei Cymbulam per amplissimum pelagus Eloquentiæ deuolantem sistere debuit, nisi nobilissimæ tuæ Gentis ANCHORA, quò tutior, ac firmior aduersus oborientem disputationis procellam, incitatosque fluctus enthimematum seruaretur? Scilicet periculosæ aleæ plenum opus aggrediens, illius mihi quæsiui patrocinium, qui parem haberet mentem imperio, & literariam dictaturam sacris fascibus adiunctam sustineret. Non pandam argumento infinito vela orationis. Nam illa singularis tua virtus cùm gentilitijs ornamentis, tùm proprijs præfulgens, vti neminen habet inter æquales superiorem, sic nullius facultatem ingenij, aut dicendi parem copiam nancisci potest. Tu accipe serena fronte cum hoc Rhetoricæ compendio, vastissimi erga Te animi mei, atque obseruantiæ exiguum monumentum. Vale. Astæ Pompeiæ, &c.

DEDICATIO THESIVM THEOLOGICARVM.

Ad Illustriss. Vitellium Nuntium Apostol.

Cum allusione ad stemma familiæ Vitelliæ.

QVas iubeor à Moderatoribus meis Theses Theologicas publicæ disputationi committere; eas vt tibi nuncupem, Præsul amplissime, duplex illa suadet ràtio. Quamquam enim non hæc vna circumsonet clarissimæ Gentis tuæ gloria, quòd ab immemorabili origine summis in omni literatura Viris continenter floruerit, quæ pacis bellique adoreis promiscuè triumphauerit: ex ipsis tamen literis non modò omnem vrbanitatis elegantioris cultum, atque illum Regio dignum sanguine morum splendorem hausisse se cognoscit; verùm & hinc sibi gradum fecis-

feciſſe ad ampliſſimos quoſque Reipublicæ honores, atque ab Apolline ad Martem, à Toga ad Purpuram, à ſtylo ad ſceptrum feliciter commigraſſe iactat. Vt ideò vereri ipſe non debeam, ne meum hoc ſpecimen ſacræ doctrinæ, tametſi ad lucem tantam obſcurius, tuis ingratum Muſis reddatur. Accedunt autem eximia merita in Ordinem meum vniuerſum, quibus ita ſingulorum animos complecteris, ita deuincis, vt minus eſſe putemus, ſi te Patronum ſalutauerimus, qui Patrem experimur. Mihi certè vtrumque hic vſurpabitur. Nam & Patronum implorare opus habeo in hac vmbratilli prouincia obeunda, vt inſtar Europæ puellæ, quam à Ioue in Tauri ſpecie ſublatam tuto itinere in eius tergo tranaſſe maria Poëtæ concinunt, vndoſum ego pelagus diſputationum, ac meæ imbecillitati malè fidum, gentilitio illo tuo VITVLO, id eſt fauore ac patrocinio ſubuectus tranſmittam: Et ſimul ſi quid in me demum ex euentu redundabit gloriæ, eius Tu mihi parens, & auctor inaugurabere; non ſecus ac LVNÆ, quam in Stemmate geminam præfers, imperium pelagi à Sapientibus attribuitur. Vale. Venetijs.....

LAVS DEO.

INDEX

INDEX TITVLORVM.

AD PRAEFATIONES, ET GRATIAS.

Et

Erra-

Candido Lectori, Auctor S.

Errata (in quibus prior numerus paginam, posterior versum designat) ita corriges. 1.27 sapientum.2.32.consensus ibid.33. libris. 4.fuerint.5.13 instituta.9.15 expones.12.28. adesse.1..32 conserto.15.20.habent 17.22. recta. 22.15 acceptam.24.8.mensæ formam.25..9 tonitrus.27.4 lucear.32.20.pluris. 35.3.tepore 37 15. eleganti.38 10 picturam conspicatus 39 20 theatrales 40. 34.illiteratus 45.39 κέλης. ibid ἀκίνητος. 40.28. Λαΐδος. 47.9. ferculis.48.22 perennet ibid.23.venerantur.52.29 suspicit.53.30 male.61.5.præbentia ibid 19 ingentibus 64.10 paratius.65 1.ago 67.19.ali.71., quantamcunque.ibid.37 sanitas.73.30.mutam. 76.13.vetorum.77.30.grauissima.78.19.solicitans.ibid.33 me.79.7.permagni 89 24.censuerunt ibid.28 ob.rectatorum ibid. 39 inussit.91.12.consummatiorem 92.1 respublica ibid 10 ratione 96.37 Naturam.102.2 propositis.106.36.contexto 107.20 ferat..08 9.excipiendas 111.25. quoque.119.4 dubitat.120.32. res pondere.121 19 sedari.122.3 ,.virum.123.36. adoleuerint 125 31.supercilio 130.15 fient ibid.34.minimè 131.11 ipsa..0.16 35. rupe.135 2 felicem.137.34 omnis humanitatis.138 24.more.139 26 Rempublicam 141.4 exlex.143.14.uos.ibid 41.quod.146 2.tribuisset.148 0 æquales 149.2. contenta 151,13.nequaquam.ibid.19 ipsi.152.27 fuerint.156.5.statu.ibid 9 Deæ. ibid.39.quid 158.18.felicitatis. 165.6 conuitium 169 33.sint.ibid.40 saltu 170.1. aurium.ibid.Philosophus 176.25.gubernatis ibid 41.discretio.177.5.ad frontem (subde) supra lineum pileolum Pontifex tam ad maiestatem .80 6.oculatos.184, 36.dissero.188.22.vna 194.13, inhonorum ibid..3 interiti ibid.33 meritos.190. 23 sic 201 15 se 209 35.Pontificis.218.12. debeat.220 32. exemplum Orbi.221. 41.Mundo.225 2.infeliceque,127.41.miseros,230.15.releuati.232.7.maxillas. ibid 14 maximum pars.ibid.17 hæc iam 233.12.vterque 236.6 sidus illud Hispanicum ibid. 0 Maximus,239 33.bellum potiùs mouendum 240 7 triumenaū 241 37.dissuadenda m 244. 9.nostri 247 29 desicit 249 14.Præsi.15.ibid.21.ex Platone ipso 250 5 additamento.255.25.Geniium.257 7. μάνυς. 259 35.scilicet Eccelinum.260 27 astris.269.40.fortioremque 270 11.armabatur.ib 22.Vindicibus 271.37 ab eo viro. 274.39.operam.278.23. turpitudinum 279 6 modus. 283. 5.mortalium genus 284 37. formator,285..6.immortalis ibid .9 obelis 288.32. voluet 289.2.quæ malorum artious,290.1.& vnde.291 9 administrat.293.4 nobilioris 295 39 medicina inter artes ibid.36.elegātia,ornatus 296.. has partes. 299 36.imperatore vos.308 12 monuerit.ibid 24 conceptas.309.14 in ea iacta ibid 15.receptarer ibid.23. iuuentutis 324.23.Iunonem ibid.34.colore ibid.38. atrarum nubium 337.33 qui reptando natus est 342.35 ipsę constituunt.345.35 panegyricam ibid.37 legas.349.31.Narcissi oculis 350.28 minime reprobetur 354.1.cherrimis. ibid.27. visæ sunt. ibid.32. sereno, ac digno. 357.2. Præsulis Cætera,quæ partim imprudenter exciderunt in literis,commatis, punctis: partim procaciter per diphthongos irrepserunt in voces Premo,Precor,Pretium: partim denique precariò ex vsu vulgi in titulo Reuerendissimi;omnia hæc scilicet nobis absentibus,Tu,Lector,qua es prudentia,& facilitate condonabis,vt qui probè tenes, quantopere intersit, literarij fœtus in lucem prodeuntis non eundem parentem esse, & obstetricem. Vale.